SANCTUS IRENAEUS LUGDUNENSIS

ADVERSUS HAERESES

SABBATISMUS

Sanctus Irenaeus Lugdunensis (c. 130–c. 202)
Adversus haereses

Textus latinus: in dominio publico.
Translatio, concordantia et editio © 2026 Inversiones San Juan Diego (Sabbatismus). Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0).

Sabbatismus: officina editoria fundationis Inversiones San Juan Diego, San Pedro Sula, Honduras.
Litteris EB Garamond et Cinzel compositum.
sabbatismus.com

Liber primus

Praefatio

1. Quatenus veritatem refutantes quidam inducunt verba falsa, et genealogias infinitas, quae quaestiones magis praestant, quemadmodum Apostolus ait, quam aedificationem Dei, quae est in fide; et per eam, quae est subdole exercitata verisimilitudo, transducunt sensum eorum, qui sunt inexpertiores, et in captivitatem ducunt eos, falsantes verba Domini, interpretatores mali eorum, quae bene dicta sunt, effecti: et multos evertunt, attrahentes eos sub occasione agnitionis ab eo, qui hanc universitatem constituit et ordinavit; quasi altius aliquid et majus habentes ostendere, quam eum qui coelum et terram, et omnia quae in eis sunt, fecit; suadenter quidem illi illiciunt per verborum artem simpliciores ad requirendi modum, male autem perdunt eos in eo quod blasphemam et impiam ipsorum sententiam faciant in Fabricatorem, non discernere valentium falsum a vero.

2. Error enim secundum semetipsum non ostenditur, ne denudatus fiat comprehensibilis; suasorio autem cooperimento subdole adornatus, et ipsa veritate (ridiculum est et dicere) veriorem semetipsum praefert, ut decipiat exteriori phantasmate rudiores; quemadmodum a melio-

re nobis dictum est de hujusmodi: Quoniam lapidem pretiosum smaragdum, magni pretii apud quosdam, vitreum in ejus contumeliam per artem assimilatum, quoadusque non adest qui potest probare, et artificium arguere, quod subdole sit factum. Cum enim commistum fuerit aeramentum argento, quis facile poterit, rudis cum sit, hoc probare? Igitur ne forte et cum nostro delicto abripiantur quidam quasi oves a lupis, ignorantes eos propter exterius ovilis pellis superindumentum, a quibus cavere denuntiavit nobis Dominus, similia quidem nobis loquentes, dissimilia vero sentientes; necessarium duxi, cum legerim commentarios ipsorum, quemadmodum ipsi dicunt, Valentini discipulorum, quibusdam autem ipsorum et congressus, et apprehendens sententiam ipsorum, manifestare tibi, dilectissime, portentuosissima et altissima mysteria, quae non omnes capiunt, quia non omnes cerebrum habent; ut et tu cognoscens ea, omnibus his, qui sunt tecum, manifesta facias, et praecipias eis observare se a profundo insensationis, et ejus, quae est in Deum, blasphemationis. Et quantum nobis virtutis adest, sententiam ipsorum, qui nunc aliud docent, dico autem eorum, qui sunt circa Ptolemaeum, quae est velut flosculum Valentini scholae, compendiose et manifeste ostendemus, et aliis occasiones dabimus, secundum nostram mediocritatem, ad evertendum eam, non stantia, neque apta veritati ostendentes ea, quae ab iis dicuntur: neque conscribere consueti neque qui sermonum arti studuerimus: dilectione autem nos adhortante, et tibi et omnibus, qui sunt

tecum, manifestare, quae usque adhuc erant absconsae, jam autem secundum gratiam Dei in manifestum venerunt doctrinae ipsorum. Nihil enim est coopertum, quod non manifestabitur; et nihil absconsum, quod non cognoscetur.

3. Non autem exquires a nobis, qui apud Celtas commoramur, et in barbarum sermonem plerumque vacamus, orationis artem, quam non didicimus, neque vim conscriptoris, quam non affectavimus, neque ornamentum verborum, neque suadelam, quam nescimus; sed simpliciter et vere et idiotice ea, quae tibi cum dilectione scripta sunt, cum dilectione percipies, et ipse auges ea penes te, ut magis idoneus quam nos, quasi semen et initia accipiens a nobis: et in latitudine sensus tui in multum fructificabis ea, quae in paucis a nobis dicta sunt, et potenter asseres iis, qui tecum sunt, ea quae invalide a nobis relata sunt. Et quemadmodum nos elaboravimus, olim quaerenti tibi discere sententiam eorum, non solum facere tibi manifestam, sed et subministrationem dare, uti ostenderemus eam falsam; sic et tu efficaciter reliquis ministrabis secundum gratiam, quae tibi a Domino data est; ut jam non abstrahantur homines ab illorum suadela, quae est talis.

CAPUT PRIMUM

Quid de Aeonum suorum genesi, nomine, ordine, fetibus conjugalibus effutirent Valentini discipuli: et quae Scripturae loca commentis suis adaptarent.

1. Dicunt esse quemdam in invisibilibus, et inenarrabilibus altitudinibus perfectum Aeonem, qui ante fuit: hunc autem et Proarchen, et Propatora, et Bython vocant: esse autem illum invisibilem, et quem nulla res capere possit. Cum autem a nullo caperetur, et esset invisibilis, sempiternus, et ingenitus, in silentio et in quiete multa fuisse in immensis Aeonibus. Cum ipso autem fuisse et Ennoean, quam etiam Charin et Sigen vocant: et aliquando voluisse a semetipso emittere hunc Bythum, initium omnium, (et velut semen prolationem hanc praemitti voluit) et eam deposuisse quasi in vulva ejus, quae cum eo erat, Sige. Hanc autem suscepisse semen hoc, et praegnantem factam generasse Nun, similem et aequalem ei, qui emiserat, et solum capientem magnitudinem Patris. Nun autem hunc, et Unigenitum vocant, et Patrem, et initium omnium. Una autem cum eo emissam Veritatem, et hanc esse primam et primogenitam Pythagoricam quaternationem, quam et radicem omnium dicunt. Est enim Bythus et Sige, deinde Nus et Alethia. Sentientem autem Unigenitum hunc in quae prolatus est, emisisse et ipsum Logon et Zoen, patrem omnium eorum, qui post se futuri essent, et initium et formationem universi Pleromatis. De Logo autem et Zoe emissum secundum conjugationem Hominem et Ecclesiam, et esse hanc primogenitam Octonationem, radicem et substantiam omnium, quatuor nominibus apud eos nuncupatam, Bython, et Nun, et Logon, et Anthropon. Esse enim illorum unumquemque masculo-feminam, sic: Initio Propatorem illum

coisse secundum conjugationem suae Ennoeae, id est cogitationi, quam Gratiam et Silentium vocant; Unigenitum autem, hoc est Nun, Alethiae, id est Veritati; Logon autem Zoae, id est Vitae; et Anthropon cum Ecclesia.

2. Hos autem Aeonas in gloriam Patris emissos, volentes et ipsos de suo clarificare Patrem, emisisse emissiones in conjugatione; Logon quidem et Zoen, posteaquam emissus est Homo et Ecclesia, alteros decem Aeonas, quorum nomina dicunt haec: Bythius et Mixis, Ageratos et Henosis, Autophyes et Hedone, Acinetos et Syncrasis, Monogenes et Macaria. Hi decem Aeones, quos dicunt ex Logo et Zoe emissos. Anthropon autem et ipsum emisisse cum Ecclesia Aeonas duodecim, quibus nomina haec donant: Paracletus et Pistis, Patricos et Elpis, Metricos et Agape, Aenos et Synesis, Ecclesiasticos et Macariotes, Theletos et Sophia.

3. Hi sunt triginta erroris eorum Aeones, qui tacentur, et non agnoscuntur. Hoc invisibile et spiritale secundum eos Pleroma, tripartite divisum in octonationem, et decada, et duodecada: et propter hoc Salvatorem dicunt (nec enim Dominum eum nominare volunt) triginta annis in manifesto nihil fecisse, ostendentem mysterium horum Aeonum. Sed et in parabola eorum operariorum, qui in vineam mittuntur, dicunt manifestissime triginta hos Aeonas declaratos. Mittuntur enim alii quidem circa primam horam, alii circa tertiam, alii circa sextam, alii circa nonam, alii circa undecimam. Compositae igitur praedictae horae in semetipsas, triginta numerum

adimplent. Una enim, et tres, et sex, et novem, et undecim, triginta fiunt. Per horas autem Aeonas manifestari volunt: et haec esse magna et admirabilia et abscondita mysteria, quae ipsi fructificant; et sicubi quid eorum, quae dicuntur in Scripturis, poterunt adaptare et assimilare figmento suo.

CAPUT II

Soli Unigenito cognitus primus Pater. Sophiae aemulatio, perturbatio, periculum, et partus informis. Ab Horo restituitur. Horos quis? Christus et Spiritus sanctus ad Aeonum consummationem emittuntur. Ex Aeonum collatione Jesus producitur.

1. Et Propatorem quidem eorum cognosci soli dicunt ei, qui ex eo natus est, Monogeni, hoc est No: reliquis vero omnibus invisibilem et incomprehensibilem esse. Solus autem Nus, secundum eos delectabatur videns Patrem, et magnitudinem immensam ejus considerans exsultabat, et excogitabat reliquis quoque Aeonibus participare magnitudinem Patris; quantus et quam magnus exsisteret, et quemadmodum erat sine initio, et incapabilis et incomprehensibilis ad videndum. Continuit autem eum Sige voluntate Patris, quoniam vellet omnes hos in intellectum et desiderium exquisitionis Patris sui adducere. Et reliqui quidem Aeones omnes tacite quodammodo desiderabant prolatorem seminis sui videre, et eam, quae sine initio est, radicem contemplari.

2. Praesiliit autem valde ultimus, et junior, de duodecade ea, quae ab Anthropo et Ecclesia

emissa fuerat, Aeon, hoc est Sophia; et passa est passionem sine complexu conjugis Theleti; quae exorsa quidem fuerat in iis, qui sunt erga Nun et Alethiam; derivavit autem in hunc Aeonem, id est Sophiam, demutatam sub occasione quidem dilectionis; temeritatis autem, quoniam non communicaverat Patri perfecto, quemadmodum et Nus. Passionem autem esse exquisitionem Patris; voluit enim, ut dicunt, magnitudinem ejus comprehendere. Dehinc cum non posset, quoniam impossibilem rem aggrederetur, in magna agonia constitutum propter magnitudinem altitudinis, et propter quod investigabile Patris est, et propter eam, quae erat erga eum dilectionem, cum extenderetur semper in priora, a dulcedine ejus novissime forte absorptum fuisse, et resolutum in universam substantiam, nisi ei, quae confirmat, et extra inenarrabilem magnitudinem custodit omnia, occurrisset virtuti. Hanc autem virtutem et Horon vocant, a qua abstentum, et confirmatum, vix reversum in semetipsum, et credentem jam quoniam incomprehensibilis est Pater, deposuisse pristinam intentionem, cum ea, quae acciderat, passione ex illa stuporis admiratione.

3. Quidam autem ipsorum hujusmodi passionem, et reversionem Sophiae, velut fabulam narrant: impossibilem et incomprehensibilem rem eam aggressam, peperisse substantiam informem, qualem naturam habebat femina parere: in quam cum intendisset, primo quidem contristatam, propter inconsummationem generationis: post deinde timuisse, ne hoc ipsum finem habeat:

dehinc expavisse, et aporiatam, id est, confusam, quaerentem causam, et quemadmodum absconderet id, quod erat natum. In iis autem passionibus factam, accepisse regressionem, et in Patrem regredi conari: et aliquandiu ausam, tamen defecisse, et supplicem Patris factam. Una autem cum ea rogasse et reliquos Aeonas, maxime autem Nun. Hinc dicunt primum initium habuisse substantiam materiae, de ignorantia, et taedio, et timore, et stupore.

4. Pater autem praedictum Horon super haec per Monogenem praemittit in imagine sua, sine conjuge, masculo-femina. Patrem enim aliquando quidem cum conjuge Sige, modo vero et pro masculo, et pro femina esse volunt. Horon vero hunc et Stauron, et Lytroten, et Carpisten, et Horotheten, et Metagogea vocant. Per Horon autem hunc dicunt mundatam et confirmatam Sophiam, et restitutam conjugi. Separata enim intentione ab ea, cum appendice passione, ipsam quidem infra Pleroma perseverasse: concupiscentiam vero ejus, cum passione ab Horo separatam, et crucifixam, et extra eum factam, esse quidem spiritalem substantiam, ut naturalem quemdam Aeonis impetum, informem vero, et sine specie, quoniam nihil apprehendisset. Et propter hoc fructum ejus invalidum et femineum dicunt.

5. Postea vero quam separata sit haec extra Pleroma Aeonum, et mater ejus redintegrata suae conjugationi, Monogenem iterum alteram emisisse conjugationem, secundum providentiam Patris, Christum et Spiritum sanctum, a quibus

consummatos esse dicunt Aeonas. Christum enim docuisse eos conjugationis naturam, innati comprehensionem cognoscentes, sufficientes sive idoneos esse: declarasse quoque in eis Patris agnitionem, quoniam incapabilis est, et incomprehensibilis, et non est neque videre, neque audire eum, nisi per solum Monogenem. Et causam quidem aeternae perseverationis iis omnibus incomprehensibile Patris esse; generationis autem, et formationis, comprehensibile ejus, quod quidem Filius est. Et haec quidem, qui nunc emissus erat, Christus in eis operatus est.

6. Spiritus vero sanctus adaequatos eos omnes, gratias agere docuit, et veram requiem induxit. Et sic forma, et sententia similes factos Aeonas dicunt, universos factos Noas, et Logos, et omnes Anthropos, et omnes Christos: et feminas similiter omnes Alethias, et Zoas, et Spiritus, et Ecclesias. Confirmata quoque in hoc omnia, et requiescentia ad perfectum, cum magno gaudio dicunt hymnizare Propatorem, magnae exsultationis participantem. Et propter hoc beneficium, una voluntate, et sententia, universum Pleroma Aeonum, consentiente Christo et Spiritu, unumquemque Aeonum, quod habebat in se optimum, et florentissimum conferentes, collationem fecisse: et haec apte compingentes, et diligenter in unum adaptantes emisisse problema, et in honorem et gloriam Bythi perfectissimum decorem quemdam, et sidus Pleromatis, perfectum fructum Jesum, quem et Salvatorem vocari, et Christum, et Logon, patronymice, ac Omnia, quoniam ab omnibus esset. Satellites quoque ei, in hono-

rem ipsorum, ejusdem generis angelos cum eo prolatos.

CAPUT III

Quibus Scripturae sacrae locis uterentur haeretici ad asserenda commenta sua?

1. Haec igitur est, quae intra Pleroma ipsorum dicitur, negotiatio, et passi Aeonis, et paene perditi, [et] quasi in multa materia, propter inquisitionem Patris, calamitas: et Hori, et Crucis ipsorum, et Redemptoris, et Carpistae, et Horothetae, et Metagogei, hexaeonia compago: et primi Christi, cum Spiritu sancto, de poenitentia a Patre ipsorum postrema Aeonum genesis: et secundi Christi, quem Soterem dicunt, ex collatione composita fabricatio. Haec autem manifeste quidem non esse dicta, quoniam non omnes capiunt agnitionem ipsorum; mysterialiter autem a Salvatore per parabolas ostensa iis, qui possunt intelligere. Sic triginta Aeonas significari per triginta annos, sicut praediximus, in quibus nihil in manifesto dicunt fecisse Salvatorem, et per parabolam operariorum vineae. Et Paulum manifestissime, dicunt, Aeonas nominare saepissime, adhuc etiam et ordinem ipsorum servare, sic dicentem: In universas generationes saeculi saeculorum. Sed et nos ipsos denique in gratiarum actionibus dicentes aeonas aeonum, illos Aeonas significare: et ubicunque aeon, aut aeones nominantur, in illos id referri volunt.

2. Duodecadis autem Aeonum emissionem significatam per id, quod duodecim annorum exsistens Dominus disputaverit cum legis docto-

ribus, et per apostolorum electionem: duodecim enim apostolos elegit. Et reliquos octodecim Aeonas manifestari per id, quod post resurrectionem a mortuis octodecim mensibus dicant conversatum eum cum discipulis. Sed et per praecedentes nominis ejus duas litteras, Iota et Eta, octodecim Aeonas significanter manifestari. Et decem autem Aeonas similiter per Iota litteram, quod praecedit in nomine ejus, significari dicunt. Et propter hoc dixisse Salvatorem: Iota unum, aut unus apex non praeteribit, quoadusque omnia fiant.

3. Hanc autem passionem, quae circa duodecimum Aeonem facta est, significari dicunt per apostasiam Judae, qui duodecimus erat apostolorum, et quoniam duodecimo mense passus est; uno enim anno volunt eum post baptisma praedicasse. Adhuc etiam in ea, quae profluvium sanguinis patiebatur, manifestissime hoc significari; duodecim enim annis passam eam, per Domini adventum esse sanatam, cum tetigisset fimbriam vestimenti ejus; et propter hoc dixisse Salvatorem: Quis me tetigit? docentem discipulos quod factum esset inter Aeonas mysterium et curationem passi Aeonis. Per illam enim, quae passa est duodecim annis, illa virtus significatur, eo quod extenderetur, et in immensum flueret ejus substantia, quemadmodum dicunt. Et nisi tetigisset vestimentum, hoc est, illius Filii, Veritatis primae tetradis, quae per fimbriam manifestata est, advenisse in omnem substantiam suam. Sed stetit, et quievit a passione per egressam virtutem Filii.

Esse autem hunc Horon volunt, qui curavit eam, et passionem separavit ab ea.

4. Quod autem Salvatorem ex omnibus exsistentem Omne esse, per hoc responsum, Omne masculinum aperiens vulvam, manifestari dicunt. Qui cum omnia sit, aperuit vulvam Excogitationis passi Aeonis, et separata ea extra Pleroma, quam etiam secundam Ogdoadem vocant, de qua paulo post dicemus. Et a Paulo autem manifeste propter hoc dictum dicunt: Et ipse est omnia. Et rursus: Omnia in ipsum, et ex ipso omnia. Et iterum: In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis. Et illud: Recapitulata esse omnia in Christo per Deum. Sic interpretantur dicta, et quaecunque alia sunt talia.

5. Adhuc etiam de Horo suo (quem etiam plurimis nominibus vocant), duas operationes habere eum ostendunt, confirmativam et separativam: et secundum id quidem, quod firmat et constabilit, Crucem esse; secundum id vero, quod dividit, Horon. Salvatorem autem sic manifestasse operationes ejus: et primo quidem confirmativam, in eo quod dicit: Qui non tollit crucem suam, et sequitur me, discipulus meus esse non potest. Et iterum: Tollens crucem, sequere me. Separativam autem, in eo quod dicit: Non veni mittere pacem, sed gladium. Et Joannem dicunt hoc ipsum manifestasse, dicentem: Ventilabrum in manu ejus, emundare aream, et colliget frumentum in horreum suum, paleas autem comburet igni inexstinguibili; et per hoc operationem Hori significasse. Ventilabrum enim illud, crucem interpretantur esse, quae scilicet consumit

materialia omnia, quemadmodum paleas ignis; emundat autem eos, qui salvantur, sicut ventilabrum triticum. Paulum autem apostolum et ipsum reminisci hujus crucis dicunt, sic: Verbum enim crucis iis, qui pereunt, stultitia est; iis autem qui salvantur, virtus Dei. Et iterum: Mihi autem non eveniat in ullo gloriari, nisi in Christi cruce, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

6. Talia igitur de Pleromate ipsorum, et plasmate universorum dicunt, adaptare cupientes ea, quae bene dicta sunt, iis quae male adinventa sunt ab ipsis. Et non solum autem ex evangelicis et apostolicis, tentant ostensiones facere, convertentes interpretationes et adulterantes expositiones; sed etiam ex lege et prophetis, cum multae parabolae et allegoriae sint dictae, et in multa trahi possit ambiguum, per expositionem propensius ad figmentum suum, et dolose adaptantes, in captivitatem ducunt a veritate eos, qui non firmam fidem in unum Deum Patrem omnipotentem, et in unum Jesum Christum Filium Dei conservant.

CAPUT IV

Qua ratione formatam Matrem Achamoth vellent haeretici. Ex ejusdem perturbationibus ortum aspectabilem hunc mundum fingebant.

1. Ea vero, quae extra Pleroma dicuntur ab iis, sunt talia: Enthymesin illius superioris Sophiae, quam et Achamoth vocant, separatam a superiore Pleromate cum passione dicunt, in umbrae vacuitatis locis defervisse per necessitatem;

extra enim lucem facta est, et extra Pleroma, informis et sine specie, quasi abortus, ideo quia nihil apprehendit. Misertum autem ejus superiorem Christum, et per Crucem extensum, sua virtute formasse formam, quae esset secundum substantiam tantum, sed non secundum agnitionem; et haec operatum recurrere, subtrahentem suam virtutem, et reliquisse illam: uti sentiens passionem quae erga illam esset per separationem Pleromatis, concupiscat eorum, quae meliora essent, habens aliquam odorationem immortalitatis relictam in semetipsa a Christo et Spiritu sancto. Quapropter et ipsam duobus nominibus vocari, Sophiam paternaliter (pater enim ejus Sophia vocatur) et Spiritum sanctum, ab eo, qui est erga Christum Spiritus. Formatam autem eam, et sensatam factam, statim autem evacuatam ab eo, qui invisibiliter cum ea erat, Verbo, hoc est Christo, in exquisitionem egressam ejus luminis, quod se dereliquisset; et non potuisse apprehendere illud, quoniam coercebatur ab Horo. Et sic Horon coercentem eam, ne anterius irrueret, dixisse Iao: unde et Iao nomen factum dicunt. Cum non posset pertransire Horon, quoniam complexa fuerat passionem, et sola fuisset derelicta foris, omni parti passionis succubuisse, multifariae et variae exsistentis: et passam eam tristitiam quidem, quoniam non apprehendit; timorem autem, ne quemadmodum eam lumen, sic et vita relinqueret; consternationem autem, super haec: ignorantia autem omnia. Et non, quemadmodum mater ejus prima Sophia et Aeon, demutationem in passionibus habuit, sed contrarietatem. Super

haec autem evenisse ei et alteram affectionem conversionis ad eum qui vivificavit.

2. Eam collectionem et substantiam fuisse materiae dicunt; ex qua hic mundus constat. De conversione enim mundi, et Demiurgi omnem animam genesin accepisse; de timore autem et tristitia, reliqua initium habuisse. A lacrymis enim ejus factam universam humidam substantiam, a risu autem lucidam; a tristitia autem et pavore, corporalia mundi elementa. Aliquando enim plorabat, et tristis erat, quomodo dicunt, quod derelicta sola esset in tenebris et in vacuo: aliquando autem in cogitationem veniens ejus, quod dereliquerat eam lumen, diffundebatur et ridebat; aliquando autem rursus timebat; aliquando consternabatur, et exstasin patiebatur.

3. Et quidem enim tragoedia multa est jam hic, et phantasia uniuscujusque illorum, aliter et aliter graviter exponentis, ex quali passione et ex quali elemento substantia generationem accepit. Quae etiam convenienter videntur mihi non omnes velle in manifesto docere, sed solos illos, qui etiam grandes mercedes pro talibus mysteriis praestare possunt. Non enim jam dicunt similia illis, de quibus Dominus noster dixit: Gratis accepistis, gratis date; sed separata et portentosa, et alta mysteria cum magno labore exquisita fallacibus. Quis enim non eroget omnia, quae sunt sua, uti discat, quoniam a lacrymis Enthymeseos, quae est ex passione Aeonis, maria, et fontes, et flumina, et universa humida materia generationem acceperunt; de risu autem ejus lumen;

de pavore autem, et inconstabilitate, corporalia mundi elementa?

4. Volo autem aliquid et ego conferre fructificationi eorum. Quoniam enim video dulces quidem quasdam aquas, ut fontes, et flumina, et imbres, et talia; quae autem sunt in mari, salsas: adinvenio non omnia a lacrymis ejus emissa, quoniam lacrymae salsae sunt qualitate. Manifestum est igitur, quoniam salsae aquae hae sunt a lacrymis. Opinor autem, eam in agonia et in inconstantia grandi constitutam et sudasse. Unde etiam secundum argumentationem ipsorum suspicari oportet, fontes et flumina, et si quae sunt aliae aquae dulces, generationem habuisse a sudoribus ejus. Non est enim suadibile, cum sint unius qualitatis lacrymae, alteras quidem salsas, alteras dulces aquas ex iis exisse. Hoc autem magis suadibile, alteras quidem esse a lacrymis, alteras vero a sudoribus. Quoniam autem et calidae, et austerae quaedam sunt aquae in mundo, intelligere debes, quid faciens, et ex quo membro emisit has. Apti sunt enim hujusmodi fructus argumento ipsorum.

5. Cum igitur peragrasset omnem passionem mater ipsorum, et vix cum elata esset, ad obsecrationem conversa est ejus luminis, quod dereliquerat eam, hoc est Christi, dicunt: qui regressus in Pleroma, ipse quidem, ut datur intelligi, pigritatus est secundo descendere: Paracletum autem misit ad eam, hoc est Salvatorem, praestante ei virtutem omnem Patre, et omnia sub potestate tradente: Aeonibus autem similiter, uti in eo omnia conderentur, visibilia et invisibilia, Thro-

ni, Divinitates, Dominationes. Mittitur autem ad eam cum coaetaneis suis angelis. Hanc autem Achamoth reveritam eum, dicunt primo quidem coopertionem imposuisse propter reverentiam; deinde autem cum vidisset eum cum universa fructificatione sua, accurrisse ei, virtute accepta de visu ejus. Et illum formasse eam, formationem, quae est secundum agnitionem, et curationem passionum fecisse ejus, separantem eas ab ea, et non eum neglexisse. Nec enim erat possibile eas exterminari, quemadmodum prioris, eo quod jam habilia et possibilia essent; sed segregantem separatim commiscuisse et coagulasse, et de incorporali passione in incorporalem materiam transtulisse eas; et sic aptabilitatem et naturam fecisse in eis, ut in congregationes et corpora venirent, uti fierent duae substantiae, una quidem mala ex passionibus, altera autem conversionis, passibilis: et propter hoc virtute Salvatorem fabricasse dicunt. Hanc autem Achamoth extra passionem factam concepisse de gratulatione eorum, quae cum eo sunt, luminum visionem, id est angelorum, qui erant cum eo, et delectatam in conspectu eorum peperisse fructus secundum illius imaginem docent, partum spiritualem secundum similitudinem factum satellitum Salvatoris.

CAPUT V

Formatur Demiurgus. Quis et qualis ille? Hic caeterorum omnium, quae sunt extra Pleroma, conditor.

1. Tria igitur haec cum subsistant, secundum eos, unum quidem ex passione, quod erat materia; alterum vero de conversione, quod erat animale; alterum vero quod enixa est, quod est spirituale, sic conversa est in formationem ipsorum. Sed spiritale quidem non potuisse eam formare, quoniam ejusdem substantiae ei erat. Conversam autem in formationem ejus, quae facta erat de conversione ejus, animalis substantiae, emisisse quoque a Salvatore doctrinas. Et primo quidem formasse eam de animali substantia dicunt Deum Patrem et Salvatorem, et regem omnium ejusdem substantiae ei, id est animalium, quas dextras vocant; et eorum quae ex passione et ex materia, quas sinistras dicunt. Ea enim quae post eum sunt, eum dicunt formasse latenter motum a matre sua. Unde et Metropatorem, et Apatorem, et Demiurgum eum, et Patrem vocant; dextrorum quidem Patrem dicentes eum, id est psychicorum; sinistrorum vero, id est hylicorum, Demiurgum: omnium autem regem. Hanc enim Enthymesin volentem in Aeonum honorem omnia facere, imagines dicunt fecisse ipsorum, magis autem Salvatorem per ipsam. Et ipsam quidem in imagine invisibilis Patris conservasse incognitam a Demiurgo: hunc autem unigeniti Filii; reliquorum vero Aeonum eos, qui ab hoc facti sunt angeli et archangeli.

2. Patrem itaque et Deum dicunt factum eorum quae sunt extra Pleroma, fabricatorem esse omnium psychicorum et hylicorum. Separantem enim duas substantias confusas, et de incorporalibus corporalia facientem, fabricasse quae sunt

coelestia et terrena, et factum hylicorum et psychicorum, dextrorum et sinistrorum fabricatorem, levium et gravium, sursum advolantium et deorsum devergentium; septem quoque coelos fecisse, super quos Demiurgum esse dicunt. Et propter hoc Hebdomadam vocant eum, matrem autem Achamoth, Ogdoada, servantem numerum primogenitae et primariae Pleromatis Ogdoadis. Septem autem coelos, quos intellectuales esse dicunt, angelos autem eos tradunt, et Demiurgum et ipsum angelum, Deo autem similem, quemadmodum et paradisum supra tertium coelum exsistentem virtute archangelum quartum dicunt esse, et ab hoc aliquid accepisse Adam conversatum in eo.

3. Haec autem Demiurgum dicunt a semetipso quidem putasse in totum fabricasse; fecisse autem ea Achamoth. Coelum enim fecisse nescientem coelum, et hominem plasmasse ignorantem hominem, terram autem ostendisse non scientem terram, et in omnibus sic dicunt ignorasse eum figuras eorum, quae faciebat, et ipsam matrem, semetipsum autem putasse omnia esse. Causam autem ei fuisse matrem ejus talis opinationis dicunt, quae sic voluerit producere eum: caput quidem et initium suae substantiae, dominum autem universae operationis. Hanc autem matrem et Ogdoadem vocant, et Sophiam, et Terram, et Hierusalem, et Spiritum sanctum, et Dominum masculiniter. Habere autem medietatis locum eam, et esse quidem super Demiurgum, subtus autem, sive extra Pleroma usque ad finem.

4. Quoniam quidem materialem substantiam ex tribus passionibus constare dicunt, timore, et tristitia, et aporia; de timore quidem, et de conversione animalia subsistentiam accepisse; de conversione quidem Demiurgum volunt genesin habuisse; de timore autem reliquam omnem animalem substantiam mutorum animalium, et hominum. Et propter hoc superiorem eum exsistentem praescire quae sunt spiritalia, et se putasse solum Deum, et per prophetas dixisse: Ego Deus, et praeter me nemo. De tristitia autem spiritalia malitiae docent facta: unde et diabolum genesin habuisse (quem et Cosmocratorem vocant), et daemonia, et omnem spiritalem malitiae substantiam. Sed Demiurgum quidem psychicum filium matris suae dicunt, Cosmocratorem vero creaturam Demiurgi: et Cosmocratorem quidem intelligere ea quae sunt supra eum, quoniam sit spiritalis malitia; Demiurgum vero ignorare, cum sit animalis. Habitare matrem quidem ipsorum in eo qui sit coelestis locus, hoc est, in medietate; Demiurgum vero in eo, qui sit in coelo locus, hoc est, hebdomade; Cosmocratorem vero in eo, qui sit secundum nos, mundo. De expavescentia vero et aporia, quasi de vesaniori, corporalia, quemadmodum praediximus, mundi elementa facta esse; terram vero secundum expavescentiae statum, aquam vero secundum timoris motum, aerem vero secundum moestitiae fixionem; ignem vero omnibus iis inesse mortem et corruptelam, quemadmodum et ignorantiam tribus passionibus inabsconsam docent.

5. Cum fabricasset igitur mundum, fecit et hominem choicum, non autem ab hac arida terra, sed ab invisibili substantia, et ab effusibili et fluida materia accipientem: et in hunc insufflasse psychicum definiunt. Et hunc esse secundum imaginem et similitudinem factum: secundum imaginem quidem hylicum esse proximum quidem, sed non ejusdem substantiae esse Deo; secundum similitudinem vero psychicum; unde et spiritum vitae substantiam ejus dictam, cum sit ex spiritali defluitione. Post deinde circumdatam dicunt ei dermatinam tunicam: hanc autem sensibilem carnem esse volunt.

6. Partum vero matris ipsorum, quae est Achamoth, quem secundum inspectionem eorum angelorum, qui sunt erga Salvatorem, generavit, exsistentem ejusdem substantiae matri suae, spiritalem, et ipsum (enim) ignorasse Demiurgum dicunt: et latenter depositum esse in eum, nesciente eo, uti per eum in eam, quae ab eo esset, animam seminatum, et in materiale hoc corpus, gestatum quoque velut in utero in iis, et amplificatum, paratum fiat ad susceptionem perfectae rationis. Latuit igitur, quemadmodum dicunt, Demiurgum conseminatus insufflationi ejus a Sophia spiritalis homo, inenarrabili virtute et providentia. Quemadmodum enim matrem suam ignoravit, sic et semen ejus. Quod etiam ipsum Ecclesiam esse dicunt, exemplum superioris Ecclesiae: et hunc esse in semetipsis hominem volunt, uti habeant animam quidem a Demiurgo, corpus autem a limo, et carneum a materia, spiritalem vero hominem a matre Achamoth.

CAPUT VI

Triplex haereticorum homo. Bona opera sibi inutilia, solis Catholicis necessaria dicebant. Nullis flagitiis pollui se posse putabant. Perditi eorum mores.

1. Cum sint igitur tria, alterum materiale (quod etiam sinistrum vocant) ex necessitate perire dicunt, quippe cum nullam spirationem incorruptelae recipere possit: animale vero, (quod etiam dextrum appellant) cum sit medium spiritalis et materialis, illuc redigi, quocunque declinaverit; spiritale vero emissum esse, uti hic animali conjunctum formetur, coeruditum ei in conversatione. Et hoc esse dicunt sal, et lumen mundi. Opus erat enim animali sensibilibus disciplinis. Ob quam causam et mundum fabricatum dicunt, et Salvatorem ad hoc venisse animale, quia suae potestatis est, ut id salvet. Quae enim salvaturus erat, eorum primitias eum suscepisse dicunt: ab Achamoth quidem spiritale, a Demiurgo autem indutum psychicum (id est, animalem) Christum, a dispositione autem circumdatum corpus, animalem habens substantiam, paratum vero inenarrabili arte, ut et visibile, et palpabile, et passibile fieret. Et hylicum autem nihil omnino suscepit: non enim esse hylicum capacem salutis. Consummationem vero futuram, cum formatum et perfectum fuerit scientia omne spiritale, hoc est homines qui perfectam agnitionem habent de Deo, et hi qui ab Achamoth initiati sunt mysteria; esse autem hos semetipsos dicunt.

2. Erudiuntur autem psychica (id est animalia), psychici (id est animales) homines, qui per operationem, et fidem nudam firmantur, et non perfectam agnitionem habent. Esse autem hos nos, qui sumus ab Ecclesia, dicunt. Quapropter et nobis quidem necessariam esse bonam conversationem respondent; aliter enim impossibile esse salvari. Semetipsos autem non per operationem, sed eo quod sint naturaliter spiritales, omnimodo salvari dicunt. Quemadmodum enim choicum impossibile est salutem percipere (non enim esse illum capacem salutis dicunt), sic iterum quod spiritale (quod semetipsos esse volunt) impossibile esse corruptelam percipere, licet in quibuscunque fuerint factis. Quemadmodum enim aurum in coeno depositum non amittit decorem suum, sed suam naturam custodit, cum coenum nihil nocere auro possit: sic et semetipsos dicunt, licet in quibuscunque materialibus operibus sint, nihil semetipsos noceri, neque amittere spiritalem substantiam.

3. Quapropter et intimorate omnia, quae vetantur, hi qui sunt ipsorum perfecti operantur, de quibus Scripturae confirmant, quoniam qui faciunt ea, regnum Dei non haereditabunt. Etenim idolothyta indifferenter manducant, nihil inquinari ab iis putantes, et in omnem diem festum ethnicorum, pro voluptate in honore idolorum factum, primi conveniunt; uti in nihilo quidem abstineant, quod est apud Deum et apud homines odiosum, muneris homicidiale spectaculum. Quidam autem et carnis voluptatibus insatiabiliter inservientes, carnalia carnalibus, spiritalia

spiritalibus reddi dicunt. Et quidam quidem ex ipsis clam eas mulieres, quae discunt ab eis doctrinam hanc, corrumpunt; quemadmodum multae saepe ab iis suasae, post conversae mulieres ad Ecclesiam Dei, cum reliquo errore et hoc confessae sunt. Alii vero et manifeste, ne quidem erubescentes, quascunque adamaverint mulieres, has a viris suis abstrahentes, suas nuptas fecerunt. Alii vero valde modeste initio, quasi cum sororibus fingentes habitare, procedente tempore manifestati sunt, gravida sorore a fratre facta.

4. Et alia multa odiosa et irreligiosa facientes, nos quidem, qui per timorem Dei timemus etiam usque in mentibus nostris et sermonibus peccare, arguunt quasi idiotas, et nihil scientes; semetipsos extollunt, perfectos vocantes, et semina electionis. Nos enim in usu gratiam accipere dicunt, quapropter et auferri a nobis: semetipsos autem proprie possidere, desursum ab inenarrabili et innominabili syzygia descendentem habere gratiam, et propterea adjici eis. Quapropter ex omni modo oportere eos semper syzygiae meditari mysterium. Et hoc suadent insensibilibus, iis sermonibus dicentes sic: Quicunque in saeculo est, et uxorem non amat, ut ei conjungatur, non est de veritate, et non transiet in veritatem. Qui autem de saeculo est mistus mulieri, non transit in veritatem; quoniam in concupiscentia mistus est mulieri. Quapropter nobis quidem, quos psychicos vocant, et de saeculo esse dicunt, necessariam continentiam, et bonam operationem, uti per eam veniamus in medietatis locum;

sibi autem, spiritalibus et perfectis vocatis, nullo modo. Non enim operatio in Pleroma inducit, sed semen, quod est inde pusillum quidem emissum, hic autem perfectum factum.

CAPUT VII

Perfecto universo semine matrem Achamoth, cum spiritalibus hominibus, in Pleroma transituram; Demiurgum, cum animalibus, in medietatis locum; hominem vero choicum in corruptelam abiturum. Materia igne consumenda. Blasphemia in Christi veram ex B. Virgine Incarnationem. Divisio prophetiarum, et de earum origine. Supina Demiurgi ignoratio.

1. Cum autem universum semen perfectum fuerit, Achamoth quidem matrem ipsorum transire de medietatis loco dicunt, et intra Pleroma introire, et recipere sponsum suum Salvatorem, qui est ex omnibus factus, uti syzygia fiat Salvatoris et Sophiae, quae est Achamoth. Et hoc esse sponsum et sponsam: Nymphonem vero, universum Pleroma. Spiritales vero, exspoliatos animas, et spiritus intellectuales factos, inapprehensibiliter et invisibiliter intra Pleroma ingressos, sponsas reddi iis, qui circa Salvatorem sunt angelis. Demiurgum vero transire et ipsum in matris suae Sophiae locum, hoc est in medietatem. Justorum quoque animas refrigerare et ipsas in medietatis loco. Nihil enim psychicum intra Pleroma transire. His autem factis ita, is qui latet in mundo ignis exardescens, et comprehendens universam materiam, consumit, et ipsum simul consumptum abire in id, ut jam non sit. Demiurgum autem

nihil horum cognovisse ostendunt ante Salvatoris adventum.

2. Sunt autem qui dicunt emisisse eum et Christum Filium suum, sed et animalem: et de hoc per prophetas locutum esse. Esse autem hunc, qui per Mariam transierit, quemadmodum aqua per tubum transit, et in hunc in baptismate descendisse illum, qui esset de Pleromate ex omnibus, Salvatorem in figura columbae; fuisse autem in eo et illud, quod est ab Achamoth, semen spiritale. Dominum igitur nostrum ex quatuor iis compositum fuisse dicunt, servantem typum primogenitae et primae quaternationis; de spiritali, quod erat ab Achamoth; et de animali, quod erat de Demiurgo; et de dispositione, quod erat factum inenarrabili arte; et de Salvatore, quod erat illa, quae descendit in eum, columba. Et hunc quidem impassibilem perseverasse (non enim possibile erat pati eum, cum esset incomprehensibilis et invisibilis): et propter hoc ablatum esse, cum traheretur ad Pilatum, illum qui depositus erat in eum spiritus Christi. Sed ne id quidem, quod a matre erat semen, passum esse dicunt. Impassibile enim et illud, quippe spiritale, et invisibile etiam ipsi Demiurgo. Passus est autem secundum hos, animalis Christus, et ille qui ex dispositione fabricatus in mysterio, ut ostendat per eum mater typum superioris Christi, illius qui extensus est Cruci, et formavit Achamoth formationem secundum substantiam: omnia enim haec exempla illorum esse dicunt.

3. Eas vero, quae habuerunt semen id quod est ab Achamoth, animas, meliores dicunt fuisse

quam reliquas: quapropter et plus eas dilectas a Demiurgo, non sciente causam, sed a semetipso putante esse tales. Quapropter et in prophetas, aiunt, distribuebat eas, et sacerdotes, et reges. Et multa de hoc semine dicta per prophetas exponunt: quippe cum altioris naturae esset. Multa autem et matrem de superioribus dixisse dicunt; sed et per hunc, et per eas, quae ab hoc factae sunt animae. Ac deinceps dividunt prophetias, aliquid quidem a matre dictum docentes, aliquid a semine, aliquid autem ab ipso Demiurgo: et Jesum tantumdem aliquid quidem [per] Salvatorem dixisse, aliquid a matre, aliquid a Demiurgo, quemadmodum ostendemus procedente nobis sermone.

4. Demiurgum autem, quippe ignorantem quae essent super eum, moveri quidem in iis quae dicuntur, contempsisse vero ea, aliam atque aliam causam putantem, quam spiritus qui prophetat (habens et ipse suam aliquam motionem), sive hominem, sive perplexionem pejorum: et sic ignorantem conservasse usque ad adventum Salvatoris. Cum venisset autem Salvator, didicisse eum ab eo omnia dicunt, et in gaudium ei cessisse cum omni virtute sua, et eum esse illum in Evangelio centurionem, dicentem Salvatori: Et ego enim sub potestate mea habeo milites, et servos, et quod jussero, faciunt. Perfecturum autem eum eam, quae secundum ipsum est mundi creationem, usque ad id tempus quod oportet, maxime autem propter Ecclesiae diligentiam atque curam, et propter agnitionem praeparati praemii, quoniam in locum matris transibit.

5. Hominum autem tria genera dicunt, spiritale, psychicum, choicum, quemadmodum fuit Cain, Abel, Seth; ut ostendant et ex his tres naturas, jam non secundum unumquemque, sed secundum genus. Et choicum quidem in corruptelam abire; animale vero, si meliora elegerit, in loco medietatis refrigeraturum; si vero pejora, transire et ipsum ad similia. Spiritalia vero inseminat Achamoth, ex illo tempore usque nunc, propter quod et animae erudientur quidem hic; et semina enutrita, quia pusilla emittantur, post deinde perfectione digna habita, sponsas reddi Salvatoris angelis respondent, animabus eorum ex necessitate in medietate cum Demiurgo refrigeraturis in aeternum. Et ipsas autem animas rursus subdividentes, dicunt quasdam quidem natura bonas, quasdam autem natura malas. Et bonas quidem has esse, quae capaces seminis fiunt; alias vero natura nequam, nunquam capere illud semen.

CAPUT VIII

Qui Scripturas detorquerent Valentiniani ad ea, quae impie fingebant.

1. Cum sit igitur tale illorum argumentum, quod neque prophetae praedicaverunt, neque Dominus docuit, neque apostoli tradiderunt, quod abundantius gloriantur plus quam caeteri cognovisse, de iis quae non sunt scripta legentes, et, quod solet dici, de arena resticulas nectere affectantes, fide digne aptare conantur iis quae dicta sunt, vel parabolas Dominicas, vel dictiones propheticas aut sermones apostolicos, ut

figmentum illorum non sine teste esse videatur; ordinem quidem et textum Scripturarum supergredientes, et, quantum in ipsis est, solventes membra veritatis. Transferunt autem, et transfingunt, et alterum ex altero facientes, seducunt multos, ex iis, quae aptant ex Dominicis eloquiis, male composito phantasmati. Quomodo si quis regis imaginem bonam, fabricatam diligenter ex gemmis pretiosis a sapiente artifice, solvens subjacentem hominis figuram, transferat gemmas illas, et reformans faciat ex iis formam canis, vel vulpeculae, et hanc male dispositam, dehinc confirmet et dicat, hanc esse regis illam imaginem bonam, quam sapiens artifex fabricavit, ostendens gemmas, quae bene quidem a primo artifice in regis imaginem compositae erant, male vero a posteriore in canis figuram translatae sunt; et per gemmarum phantasiam decipiat idiotas, qui comprehensionem regalis formae non habeant, et suadeat quoniam haec turpis vulpeculae figura illa est bona regis imago: eodem modo et hi anicularum fabulas assuentes, post deinde sermones, et dictiones, et parabolas hinc inde auferentes, adaptare volunt fabulis suis eloquia Dei. Et quanta quidem iis, qui sunt intra Pleroma, aptant, diximus.

2. Quanta autem de iis, qui extra Pleroma sunt ipsorum, ad suos insinuare conantur ex Scripturis, sunt talia: Dominum in novissimis mundi temporibus propter hoc venisse ad passionem dicunt, ut ostendat, quae circa novissimum Aeonum facta est, passionem, et per hunc finem manifestet finem ejus, quae est circa Aeonas,

dispositionis. Duodecim autem annorum virginem illam, archisynagogi filiam, quam insistens Dominus a mortuis liberavit, typum esse narrant Achamoth, quam extensus Christus eorum figuravit, et ad sensibilitatem adduxit ejus, quod dereliquerat eam, luminis. Quoniam autem ei manifestavit semetipsum Salvator exsistenti extra Pleroma in abortionis partu, Paulum dicunt dixisse in prima ad Corinthios Epistola: Novissime autem tanquam abortivo visus est et mihi. Et illam quae est cum coaetaneis Salvatoris adventationem ad Achamoth, similiter manifestasse eum in eadem Epistola dicentem: Oportere mulierem velamen habere in capite, propter angelos. Et quoniam adventante Salvatore ad eam, propter verecundiam velamen imposuit Achamoth in faciem suam. Et passiones autem, quas passa est, significasse Dominum dicunt (in hoc quidem, quod derelicta est a lumine) in eo, cum dicit in cruce: Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti? manifestasse eum, quoniam derelicta est a lumine Sophia, et prohibita est ab Horo in priora impetum facere. Taedium autem ejus, in eo quod dixisset: Quam tristis est anima mea! Timorem autem, in eo quod dixerit: Pater, si possibile est, transeat a me calix. Et aporiam autem (id est consternationem), similiter in eo quod dixerit: Et quid dicam, nescio.

3. Tria autem genera hominum ostendisse docent eum; hylicum quidem, in eo quod responderit dicenti: Sequar te? Non habet filius hominis ubi caput reclinet. Animale autem, in eo quod dixerit dicenti: Sequar te, permitte autem mihi

ire et renuntiare domesticis: Nemo super aratrum manum imponens, et in posteriora respiciens, aptus est regno coelorum. Hunc autem dicunt de mediis esse. Et illum autem similiter, qui multas partes justitiae confitebatur se fecisse, post deinde noluisse sequi, sed a divitiis victum, ut ne fieret perfectus, et hunc de psychico genere fuisse volunt. Spiritale vero, in eo quod dicit: Remitte mortuos sepelire mortuos suos, tu autem vade et annuntia regnum Dei; et Zacchaeo publicano, dicens: Properans descende, quoniam hodie in domo tua oportet me manere. Et fermenti parabolam, quod mulier abscondisse dicitur in farinae sata tria, tria genera manifestare dicunt. Mulierem quidem, Sophiam dici docent; farinae vero sata tria, tria genera hominum, spiritale, animale, choicum. Fermentum vero, ipsum Salvatorem dictum dicunt. Et Paulum autem manifeste dixisse choicos, animales, spiritales. Alibi quidem: Qualis choicus, tales et choici. Alibi autem: Animalis homo non percipit quae sunt spiritus. Alibi autem: Spiritalis examinat omnia. Animalis autem non percipit quae sunt spiritus, de Demiurgo dictum dicunt, qui cum psychicus sit, non cognoverit neque matrem spiritalem existentem, neque semen ejus, neque eos, qui sunt in Pleromate, Aeones. Quoniam autem eorum, quos salvaturus erat Salvator, initia accepit, Paulum dixisse: Et si delibatio sancta, et massa. Delibationem quidem, quod est spiritale dictum docentes; conspersionem autem nos, id est psychicam Ecclesiam, cujus substantiam assumpsisse

dicunt eum, et cum semetipso erexisse, quoniam erat ipse fermentum.

4. Et quoniam erravit Achamoth extra Pleroma, et formata est a Christo, et quaesita est a Salvatore, manifestare eum dicunt, in eo quod dixit, semetipsum venisse ad eam quae errasset ovem. Ovem enim errantem, matrem suam referunt dici, ex qua eam, quae sit hic, volunt esse seminatam Ecclesiam; errorem autem, eam, quae est extra Pleroma, in omnibus passionibus immorationem, ex quibus factam materiam tradunt. Mulierem autem illam, quae mundat domum, et invenit drachmam, superiorem Sophiam narrant dici, quae cum perdidisset intentionem suam, post deinde mundatis omnibus per Salvatoris adventum, invenit eam; quoniam et haec restituitur, secundum eos, intra Pleroma. Symeon autem eum, qui in manus suas accepit Christum, et gratias egit Deo, et dixit: Nunc remittis servum tuum, Domine, secundum sermonem tuum in pace: typum esse Demiurgi dicunt, qui veniente Salvatore didicit transpositionem suam, et gratias egit Bytho. Et per Annam, quae in Evangelio dicitur septem annis cum viro vixisse, reliquum autem omne tempus vidua perseverasse, donec vidisset Salvatorem, et agnovisset eum, et loqueretur de eo omnibus, manifestissime Achamoth significari dicunt: quae cum ad modicum vidisset tunc Salvatorem cum coaetaneis suis, postero omni tempore perseverans in medietate, sustinebat eum, quando iterum veniat, et reponat eam suae conjugationi. Et nomen autem ejus significatum a Salvatore, in eo quod dixerit: Justificata

est sapientia a filiis ejus; et a Paulo autem sic: Sapientiam autem loquimur perfectis. Et conjugationes autem, quae sunt intra Pleroma, Paulum dixisse dicunt, in uno ostendentem. De ea enim conjugatione, quae est secundum hanc vitam, scribens ait: Hoc enim mysterium magnum est: dico autem in Christo et Ecclesia.

5. Adhuc autem Joannem discipulum Domini docent, primam ogdoadem, et omnium generationem significasse ipsis dictionibus: Itaque principium quoddam subjecit, quod primum factum est a Deo: quod etiam Nun vocat et Filium, et Unigenitum Domini vocat, in quo omnia Pater praemisit seminaliter. Ab hoc autem aiunt Verbum emissum, et in eo omnem Aeonum substantiam, quam ipsum postea formavit Verbum. Quoniam igitur de prima genesi dicit, bene a principio, hoc est a Filio et Verbo, doctrinam facit. Dicit autem sic: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Prius distinguens in tria, Deum, et Principium, et Verbum, iterum ea univit, uti et emissionem ipsorum utrorumque ostendat, id est Filii, et Verbi, et eam quae est ad invicem simul et ad Patrem unionem. In Patre enim et ex Patre principium, in principio autem et ex principio Verbum.

Bene igitur dixit: In principio erat Verbum; erat enim in Filio: et Verbum erat apud Deum; etenim principium: et Deus erat Verbum, consequenter; quod enim ex Deo natum est, Deus est. Hic enim erat in principio apud Deum, ostendit emissionis ordinem. Omnia per ipsum facta sunt,

et sine ipso factum est nihil; omnibus enim iis, qui post eum sunt, Aeonibus, formationis et generationis causa Verbum factum est. Sed quod factum est in eo, inquit, vita est; hic enim syzygias manifestavit: omnia enim, ait, per ipsum facta sunt, vita autem in ipso. Haec ergo quae in eo facta est, proximior est, quam ea quae per ipsum facta sunt; cum ipso est enim, et per ipsum fructificat. Quoniam infert: Et vita erat lux hominum. Hominem autem nunc et Ecclesiam simili nomine significavit, ut per unum nomen manifestet syzygiae communionem. Ex Logo enim et Zoe Homo generatur et Ecclesia. Lumen autem dixit hominum Vitam, quoniam illuminati sunt ab ea, quod est formatum et manifestatum. Hoc autem et Paulus dicit: Omne enim quod manifestatur, lumen est. Quoniam igitur Vita manifestavit, et generavit Hominem et Ecclesiam, lumen dicta est eorum. Aperte igitur manifestavit Joannes per sermones hos, et alia, et quaternationem secundam, Logon et Zoen, Anthropon et Ecclesiam.

Sed et primam significavit tetradem. Narrans enim de Salvatore, et docens omnia, quae extra Pleroma sunt, per eum formata, fructum quoque eum esse dicens intra Pleroma: etenim lumen dixit illum, quod in tenebris lucet, et non comprehenditur ab eis, quoniam omnia, quae facta sunt ex passione, formans, ignoratus est ab eis. Et Filium, et Veritatem, et Vitam dicit eum, et Verbum carnem factum (cujus gloriam vidimus, ait, et gloria ejus, qualis erat Unigeniti, quae a Patre data est ei), plenum gratia et veritate. Dicit autem sic: Et Verbum caro factum est, et habita-

vit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate. Diligenter igitur ostendit primam quaternationem, Patrem dicens, et Gratiam, et Monogenem, et Veritatem. Sic Joannes de prima et matre omnium Aeonum ogdoade dixit. Patrem enim dixit, et Gratiam, et Monogenem, et Veritatem, et Verbum, et Vitam, et Hominem, et Ecclesiam. Et Ptolemaeus quidem ita.

CAPUT IX

Impugnantur impiae Haereticorum interpretationes.

1. Vides igitur, dilectissime, adinventionem, qua utentes seducunt semetipsos, calumniantes Scripturis, fictionem suam ex eis constare adnitentes. Propter hoc enim et ipsas eorum apposui astutias et dictiones, ut ex eis consideres malitiam inventionis et nequitiam erroris. Primo enim si propositum esset Joanni, illam, quae sursum est, octonationem ostendere, ordinem custodisset utique emissionis, et primam quaternationem, cum sit venerabilior (quemadmodum dicunt), in primis utique posuisset nominibus, et sic adjunxisset secundam, ut per ordinem nominum ordo ostenderetur octonationis: et non utique post tantum intervallum, quasi oblitus, deinde commemoratus, in novissimo primae memoratus fuisset quaternationis. Deinde autem et conjugationes significare volens, et Ecclesiae non praetermisisset nomen; sed aut et in reliquis conjugationibus contentus fuisset masculorum appellatione, similiter cum possent et illa simul su-

baudiri, ut unitatem per omnia esset custodiens; aut si reliquorum conjugationes enumerabat, et Anthropi (id est, Hominis), utique manifestasset conjugem, et utique non remisisset de divinatione nos accipere nomen ipsius.

2. Manifesta igitur expositionis eorum transfictio. Joanne enim unum Deum exponente, et unum Unigenitum Christum Jesum annuntiante, per quem omnia facta esse dicit, hunc Verbum Dei, hunc Unigenitum, hunc factorem omnium, hunc lumen verum illuminans omnem hominem, hunc mundi fabricatorem, hunc in sua venisse, hunc eumdem carnem factum, et inhabitasse in nobis: hi transvertentes secundum verisimile expositionem, alterum quidem Monogenem volunt esse secundum emissionem, quem scilicet et Principium vocant; alterum autem Soterem (id est Salvatorem), fuisse volunt, et alterum Logon (id est Verbum), filium Monogenis (id est unigeniti), et alterum Christum ad emendationem Pleromatis emissum: et unumquodque eorum, quae dicta sunt, auferentes a veritate, et abutentes nominibus, in suam argumentationem transtulerunt: ut, secundum eos, in tantis Joannes Domini Christi Jesu memoriam non fecerit. Si enim Patrem dixit, et Charin, et Monogenem, et Alethian, et Logon, et Zoen, et Anthropon, et Ecclesiam, secundum illorum argumentationem de prima ogdoade dixit, in qua nondum Jesus, nondum Christus Joannis magister. Quia autem non de syzygiis ipsorum Apostolus dixit, sed de Domino nostro Jesu Christo, quem et Verbum scit esse Dei, idem ipse fecit manifestum. Recapi-

tulans enim de eo Verbo, quod ei in principio dictum est, insuper exponit: Et Verbum caro factum est, et inhabitavit in nobis. Secundum autem illorum argumentationem, non Verbum caro factum est, quod quidem nec venit unquam extra Pleroma: sed qui ex omnibus factus, et sit posterior Verbo, Salvator.

3. Discite igitur, insensati, quoniam Jesus, qui passus est pro nobis, qui inhabitavit in nobis, idem ipse est et Verbum Dei. Si enim alius ex Aeonibus pro nostra salute caro factus est, aestimandum erat de altero dixisse Apostolum. Si autem Verbum Patris, qui descendit, ipse est et qui ascendit, ab uno Deo unigenitus Filius, secundum Patris placitum incarnatus pro hominibus; non de alio aliquo, neque de ogdoade Joannes sermonem fecit, sed de Domino Christo Jesu. Neque enim Verbum secundum eos principaliter caro factum est. Dicunt enim Sotera induisse corpus animale, de dispositione aptatum inenarrabili providentia, ut visibile et palpabile fieret. Caro est autem illa vetus de limo secundum Adam facta plasmatio a Deo, quam vere factum Verbum Dei manifestavit Joannes. Et soluta est illorum prima et primogenita octonatio. Cum enim unus et idem ostenditur Logos, et Monogenes, et Zoe, et Phos, et Soter, et Christus Filius Dei, et hic idem incarnatus pro nobis, soluta est octonationis illorum compago. Hac autem soluta, decidit illorum omnis argumentatio, quam falso nomine somniantes infamant Scripturas, ad propriam argumentationem confingendam.

4. Post deinde dictiones et nomina dispersim posita colligentes, transferunt, sicut praediximus, ex eo quod est secundum naturam, in id quod est contra naturam: similia facientes iis, qui controversias sibimetipsis quaslibet proponunt, post deinde conantur et Homericis versibus meditari eas: ita ut idiotae putent, ex illa temporali declamata controversia Homerum versus fecisse, et multi abducuntur per compositam consequentiam versuum, ne forte haec sic Homerus fecerit. Quemadmodum Herculem ab Eurystheo ad eum, qui apud inferos est, canem, missum ex Homericis versibus scribens ita (nihil enim prohibet exempli gratia commemorari et horum, cum sit similis et eadem utrisque argumentatio): Haec ubi dicta dedit, emisit limine flentem Herculem invictum, magnarum non inscium rerum, Eurystheus natus Stenelo, prosapia Persei, Ducturum ex Erebo canem atri Ditis ad auras. Vadit at ille, velut leo nutritus montibus acer, Urbem per mediam: noti simul omnes abibant, Et senes, et pueri, et nondum nuptae puellae, Plorantes multum, ac si mortem iret ad ipsam. Mercurius praemittit et caesia Pallas euntem: Fratrem etenim sciebat quatenus dolor exagitaret. Quis non ex simplicibus abripiatur ab hujusmodi versibus, et putet sic illos Homerum in hoc argumento fecisse? Qui autem scit Homerica, cognoscet quidem versus, argumentum autem non cognoscet, sciens quoniam aliquid quidem eorum est de Ulysse dictum, aliud vero de Hercule, aliud vero de Priamo, aliud de Menelao et Agamemnone. Si autem tulerit illos, et unumquemque suo libro

reddiderit, auferet de medio praesens argumentum. Sic autem et qui regulam veritatis immobilem apud se habet, quam per baptismum accepit, haec quidem, quae sunt ex Scripturis, nomina, et dictiones, et parabolas cognoscet: blasphemum autem illorum argumentum non cognoscet. Et enim si gemmas agnoscet, sed vulpem pro regali imagine non recipiet. Unumquemque autem sermonum reddens suo ordini, et aptans veritatis corpusculo, denudabit, et insubstantivum ostendet figmentum ipsorum.

5. Quoniam autem scenae huic deest redemptio, ut quis mimum ipsorum explicans, destructorem sermonem inferat, bene habere putavimus, ostendere primo, in quibus ipsi patres hujus fabulae discrepant adversus se invicem, quasi qui sint ex variis spiritibus erroris. Et ex hoc enim diligenter cognoscere est, et ex ostensione, eam firmam, quae ab Ecclesia praedicatur, veritatem, et ab iis id, quod fingitur, falsiloquium.

CAPUT X

Totius Ecclesiae, quam late toto orbe patet, unam et eamdem esse fidem et doctrinam; nec ex eo quod in Ecclesia alii sint aliis intelligentiores, aliquam colligi posse fidei varietatem aut mutationem.

1. Ecclesia enim per universum orbem usque ad fines terrae seminata, et ab apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in unum Deum, Patrem omnipotentem, qui fecit coelum et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt: et in unum Jesum Christum Filium Dei, incarnatum

pro nostra salute: et in Spiritum sanctum, qui per prophetas praedicavit dispositiones Dei, et adventum, et eam, quae est ex Virgine, generationem, et passionem, et resurrectionem a mortuis, et in carne in coelos ascensionem dilecti Jesu Christi Domini nostri, et de coelis in gloria Patris adventum ejus, ad recapitulanda universa, et resuscitandam omnem carnem humani generis, ut Christo Jesu Domino nostro, et Deo, et Salvatori, et Regi, secundum placitum Patris invisibilis, omne genu curvet coelestium, et terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur ei, et judicium justum in omnibus faciat: spiritalia quidem nequitiae et angelos transgressos, atque apostatas factos, et impios, et injustos, et iniquos, et blasphemos homines in aeternum ignem mittat: justis autem et aequis, et praecepta ejus servantibus, et in dilectione ejus perseverantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex poenitentia, vitam donans, incorruptelam loco muneris conferat, et claritatem aeternam circumdet.

2. Hanc praedicationem cum acceperit, et hanc fidem, quemadmodum praediximus, Ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans: et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens, et unum cor, et consonanter haec praedicat, et docet, et tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque hae quae in Germania sunt fundatae Ecclesiae aliter credunt, aut aliter

tradunt; neque hae quae in Hiberis sunt, neque hae quae in Celtis, neque hae quae in Oriente, neque hae quae in Aegypto, neque hae quae in Libya, neque hae quae in medio mundi constitutae: sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est; sic et lumen, praedicatio veritatis, ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque is qui valde praevalet in sermone, ex iis qui praesunt Ecclesiis, alia, quam haec sunt, dicet (nemo enim super magistrum est): neque infirmus in dicendo deminorabit traditionem. Cum enim una et eadem fides sit, neque is qui multum de ea potest dicere, ampliat, neque is qui minus, deminorat.

3. Plus autem, aut minus secundum prudentiam nosse quosdam intelligentiam, non in eo quod argumentum immutetur, efficitur, et alius Deus excogitetur, praeter fabricatorem, et factorem, et nutritorem hujus universitatis, quasi non ipse sufficiat nobis, aut alius Christus, aut alius Monogenes: sed in eo, quod omnia, quae in parabolis dicta sunt, exquirere et adjungere veritatis argumento, et in eo, ut instrumentum et dispositionem Dei in genere humano factam enarret: et quoniam magnanimus exstitit Deus, et in transgressorum angelorum apostasia, et in inobedientia hominum, edisserere: et quare alia quidem temporalia, alia vero aeterna, et quaedam coelestia, quaedam terrena unus et idem fecit, annuntiare: et quare cum invisibilis sit, apparuit prophetis Dei non in una forma, sed aliis aliter, adesse: et quare testamenta multa tradita huma-

no generi, annuntiare, et quis sit uniuscujusque testamentorum character, docere: et quare Conclusit omnia in incredulitatem Deus, ut universis misereatur, exquirere: et quare Verbum Dei caro factum est, et passus est, gratias agere: et quare in novissimis temporibus adventus Filii Dei, hoc est in fine, apparuerit, et non in initio, annuntiare: et de fine, et de futuris, quaecunque posita sunt in Scripturis, revolvere: et quare desperatas gentes, cohaeredes, et concorporatas, et participes sanctorum fecit Deus, non tacere: et quemadmodum mortalis haec caro induet immortalitatem, et corruptibile incorruptelam, annuntiare: et quemadmodum factus est, qui non erat populus, populus: et dilecta, dilecta; et quemadmodum plures filii ejus, quae deserta est, magis quam ejus quae habet virum, praeconare. In talibus enim, et in similibus eis exclamavit Apostolus: O altitudo divitiarum, et sapientiae, et agnitionis Dei! quam inscrutabilia judicia ejus, et investigabiles viae ejus. Sed non in eo, ut supra creatorem et fabricatorem, matrem ejus et illorum, Enthymesin Aeonis errantis adinvenires, et ad tantam pervenires blasphemiam: neque in eo, quod est super hanc rursus Pleroma, aliquando quidem xxx, aliquando vero innumerabiles multitudines Aeonum mentiri: quemadmodum dicunt hi, qui vere sunt deserti a divina sententia magistri; cum ea, quae est Ecclesia universa, unam et eamdem fidem habeat in universo mundo, quemadmodum praediximus.

CAPUT XI

Quae sit Valentini sententia, et in quibus ab eo discrepant discipuli ejus. Secundi, Epiphanis, et aliorum quorumdam dogmata.

1. Videamus nunc et horum inconstantem sententiam, cum sint duo vel tres, quemadmodum de eisdem non eadem dicunt, sed et nominibus, et rebus contraria respondent. Qui enim est primus, ab ea, quae dicitur Gnostica haeresis, antiquas in suum characterem doctrinas transferens Valentinus, sic definivit: dualitatem quamdam innominabilem, cujus quidem aliquid vocari Inenarrabile, aliud autem Sigen. Post deinde ex hac dualitate, secundam dualitatem emissam, cujus aliud quidem Patrem vocat, aliud autem Aletheiam. Ex hac autem quaternatione fructificari Logon et Zoen, Anthropon et Ecclesiam. Esse autem hanc octonationem primam. Et a Logo quidem et Zoe decem virtutes dicit emissas, sicut praediximus. Ab Anthropo autem et Ecclesia xii, ex quibus unam discedentem et destitutam, reliquam dispositionem fecisse. Terminos autem duos adhibet: unum quidem inter Bythum et Pleroma, determinantem natos Aeones ab infecto Patre; alterum vero separantem illorum matrem a Pleromate. Et Christum autem non ab his, qui sunt in Pleromate, Aeonibus emissum, sed matrem foris factam, secundum memoriam meliorum, enixam esse cum quadam umbra. Et hunc quidem, quippe cum esset masculus, abscidisse a semetipso umbram, et regressum in Pleroma. Matrem autem subrelictam sub umbra, evacuatam autem spiritali substantia, alterum filium emisisse: et hunc esse Demiurgum, quem

et omnipotentem dicit eorum quae ei subjacent. Coemissum autem ei et sinistrum principem, similem iis qui dicentur a nobis falsi nominis Gnostici. Et Jesum autem aliquando quidem ab eo, qui separatus a matre eorum, et coadunatus est cum reliquis, emissum dicit, id est a Theleto: aliquando autem ab eo, qui recucurrit sursum in Pleroma, hoc est a Christo: aliquando autem ab Anthropo et Ecclesia. Et Spiritum autem sanctum a Veritate dicit emissum, in examinationem et fructificationem Aeonum, invisibiliter in eos introeuntem, per quem Aeones fructificarent folia veritatis. Haec quidem ille.

2. Secundus autem primam ogdoadem sic tradidit, dicens: Quaternationem esse dextram, et quaternationem sinistram, et lumen et tenebras: et discedentem autem et destitutam virtutem non a triginta Aeonibus dicit fuisse, sed a fructibus eorum.

3. Alius vero quidam, qui et clarus est magister ipsorum, in majus sublime, et quasi in majorem agnitionem extensus, primam quaternationem dixit sic: Est quidem ante omnes Proarche, proanennoetos, et inenarrabilis, et innominabilis, quam ego monotetem voco. Cum hac monotete est virtus, quam et ipsam voco henotetem. Haec henotes et monotes, cum sint unum, emiserunt, cum nihil emiserint, principium omnium, noeton; et agenneton, et aoraton, quam Archem sermo monada vocat. Cum hac monade est virtus, ejusdem substantiae ei, quam et eam voco hen. Hae autem virtutes, id est, monotes, et henotes,

et monas, et hen, emiserunt reliquas emissiones Aeonum.

4. Iu iu! et pheu pheu! Tragicum vere dicere oportet super hanc nominum factionem, et tantam audaciam, quemadmodum sine rubore mendacio suo nomina posuit. In eo enim quod dicit: « Est ante omnia Proarche, proanennoetos, quam ego monoteta voco; » et iterum: « Cum hac monotete est virtus, quam et ipsam voco henotetem, » manifestum, quoniam figmenta sunt quaecunque ab eo dicta sunt, confessus est, quoniam ipse nomina posuit figmento, quae a nemine altero posita sunt: qui nisi haec auderet, hodie veritas, secundum eum, non habuisset nomina. Nihil igitur prohibet et alterum quemdam in tali argumento sic praefinire nomina: Est quaedam Proarche, regalis, proanennoetos, proanhypostatos virtus, proprocylindomene. Cum illa autem est virtus, quam ego cucurbitam voco: cum hac cucurbita autem est virtus, quam et ipsam voco perinane. Haec cucurbita et perinane, cum sint unum, emiserunt, cum non emisissent, fructum, in omnibus visibilem, manducabilem, et dulcem, quem fructum sermo cucumerem vocat. Cum hoc cucumere est virtus ejusdem potestatis ei, quam et ipsam peponem voco. Hae virtutes, cucurbita, et perinane, et cucumis, et pepo, emiserunt reliquam multitudinem Valentini deliriosorum peponum. Si enim eum sermonem, qui de universis fit, transfigurari in primam quaternationem oportet, et quemadmodum vult aliquis, ipse ponere nomina; quis prohibet his nominibus,

utique multo credibilioribus, et in usu positis, et ab omnibus cognitis?

5. Alii autem rursus ipsorum primam et archegonon octonationem his nominibus nominaverunt: primum Proarchen, deinde Anennoeton, tertiam autem Arrheton, et quartam Aoraton. Et de prima quidem Proarche emissum esse primo et quinto loco Archen, ex Anennoeto secundo et sexto loco Acatalepton, et de Arrheto tertio et septimo loco Anonomaston, de Aorato autem quarto et octavo loco Agenneton. Pleroma hoc primae ogdoadis. Has volunt virtutes fuisse ante Bython et Sygen, ut perfectorum perfectiores appareant, et Gnosticorum magis gnostici veri, ad quos juste quis hoc dicat: O pepones, sophistae vituperabiles, et non veri! Etenim de ipso Bytho variae sunt sententiae apud eos. Quidam enim sine conjugatione dicunt eum, neque masculum, neque feminam, neque omnino aliquid esse. Alii autem et masculum et feminam eum dicentes esse, hermaphroditi genesim ei donant. Sigen autem rursus alii conjugem ei addunt, ut fiat prima conjugatio.

CAPUT XII

Ptolemaei discipulorum, et Colorbaseorum doctrina.

1. Hi vero qui sunt circa Ptolemaeum scientiores, duas conjuges habere eum Bython dicunt, quas et dispositiones vocant, Ennoean et Thelesin. Primo enim mente concepit quiddam emittere, sicut dicunt, post deinde voluit. Quapropter duobus his affectibus et virtutibus, id est, En-

noeas et Theleseos, velut commistis in invicem, emissio Monogenis et Aletheiae secundum conjugationem facta est. Quos typos et imagines duorum affectuum Patris egressas esse, invisibilium visibiles; Thelematis quidem Nun, Ennoeas autem Aletheian: et propter hoc adventitiae Voluntatis masculus est imago, innatae vero Ennoeae femininus, quoniam Voluntas velut virtus facta est Ennoeae. Cogitabat enim Ennoea semper emissionem, non tamen et emittere ipsa per semetipsam poterat quae cogitabat. Cum autem Voluntatis virtus advenit, tunc quod cogitabat, emisit.

2. Non videntur tibi hi, o dilectissime, Homerici Jovis, propter sollicitudinem non dormientis, sed curae habentis, quando poterit honorare Achillem, et multos perdere Graecorum, apprehensionem habuisse magis, quam ejus, qui est universorum Deus. Qui simul ut cogitavit, perficit id quod cogitavit: et simul ac voluit, et cogitat hoc quod voluit: tunc cogitans cum vult, et tunc volens cum cogitat: cum sit totus cogitatus, et totus sensus, et totus oculus, et totus auditus, et totus fons omnium bonorum.

3. Qui autem prudentiores putantur illorum esse, primam octonationem non gradatim, alterum ab altero Aeonem emissum dicunt, sed simul et in unum Aeonum emissionem a Propatore, et Ennoea ejus, cum crearentur, ipsi se obstetricasse affirmant. Et jam non ex Logo et Zoe Anthropon et Ecclesiam, sed ex Anthropo et Ecclesia Logon et Zoen dicunt generatos, in hunc modum dicentes: Quando cogitavit aliquid emittere Propator,

hoc Pater vocatus est; at ubi quae emisit vera fuerunt, hoc Alethia vocatum est. Cum ergo voluit semetipsum ostendere, hoc Anthropos dictus est. Quos autem praecogitaverat, posteaquam emisit, hoc Ecclesia vocata est. Locutus est Anthropos Logon, hic est primogenitus filius. Subsequitur autem Logon Zoe; et sic prima octonatio completa est.

4. Multa autem pugna apud eos, etiam de Salvatore. Quidam enim eum ex omnibus generatum dicunt, quapropter Beneplacitum vocari, quoniam universum Pleroma bene sensit per eum glorificare Patrem. Alii autem ex solis decem Aeonibus, qui sunt a Logo et Zoe emissi; et propter hoc Logon et Zoen dici eum, parentum nomina custodientem. Alii autem ex duodecim Aeonibus his, qui sunt ab Anthropo et Ecclesia facti: et propter hoc filium hominis se confiteri, velut postgenitum Anthropi. Alii a Christo et Spiritu sancto, iis qui ad firmamentum Pleromatis emissi sunt, factum eum dicunt, et propter hoc Christum vocari eum dicunt, Patris sui, a quo emissus est, custodientem appellationem. Alii autem sunt, qui ipsum Propatorem omnium, et Proarchen, et Proanennoeton, Anthropon dicunt vocari: et hoc esse magnum et absconditum mysterium, quoniam quae est super omnia virtus, et continet omnia, Anthropos vocatur: et ideo hoc filium hominis se dicere Salvatorem.

CAPUT XIII

De Marci praestigiis et nefariis artibus.

1. Alius vero quidam ex iis, qui sunt apud eos, magistri emendatorem se esse glorians (Marcus est autem illi nomen), magicae imposturae peritissimus, per quam et viros multos, et non paucas feminas seducens, ad se converti, velut ad scientissimum, et perfectissimum, et virtutem maximam ab invisibilibus, et ab inenarrabilibus locis habentem, fecit, praecursor quasi vere exsistens Antichristi. Anaxilai enim ludicra cum nequitia eorum, qui dicuntur magi, commiscens, per haec virtutes perficere putatur apud eos, qui sensum non habent, et a mente sua excesserunt.

2. Pro calice enim vino misto fingens se gratias agere, et in multum extendens sermonem invocationis, purpureum et rubicundum apparere facit; ut putetur ea Gratia ab iis, quae sunt super omnia, suum sanguinem stillare in illius calicem per invocationem ejus: et valde concupiscere praesentes ex illo gustare poculo, ut et in eos stillet quae per magum hunc vocatur Gratia. Rursus mulieribus dans calices mistos, ipsas gratias agere jubet, praesente se. Et ubi hoc factum est, ipse alium calicem multo majorem quam est ille, in quo illa seducta Eucharistiam facit, proferens, et transfundens a minori, qui est a muliere Eucharistia factus, in illum, qui est ab eo allatus multo majorem, statim dicens ita: Illa quae est ante omnia, inexcogitabilis et inenarrabilis Gratia, adimpleat tuum intus hominem, et multiplicet in te agnitionem suam, inseminans granum sinapis in bonam terram; et talia quaedam dicens, et in insaniam mittens illam infelicem, admirabilia faciens apparuit, quando major calix adimpletus

est de minori calice, ut et supereffunderet ex eo. Et alia quaedam his similia faciens, exterminavit multos et abstraxit post se.

3. Datur autem intelligi, eum et daemonem quemdam paredrum habere, per quem ipse quoque prophetare videtur, et quotquot dignas putat fieri participes suae Gratiae, prophetare facit. Maxime enim circa mulieres vacat, et hoc circa eas quae sunt honestae, et circumpurpuratae, et ditissimae, quas saepe abducere tentans, dicit blandiens eis: Participare te volo ex mea Gratia, quoniam Pater omnium Angelum tuum semper videt ante faciem suam. Locus autem tuae magnitudinis in nobis est: oportet nos in unum convenire. Sume primum a me et per me Gratiam. Adapta te ut sponsa sustinens sponsum suum, ut sis quod ego, et ego quod tu. Constitue in thalamo tuo semen luminis. Sume a me sponsum, et cape eum, et capere in eo. Ecce Gratia descendit in te, aperi os tuum, et propheta. Cum autem mulier responderit: Nunquam prophetavi, et nescio prophetare; invocationes quasdam faciens denuo, ad stuporem ejus quae seducitur, dicit ei: Aperi os tuum, et loquere quodcunque, et prophetabis. Illa autem seducta, et elata ab iis quae praedicta sunt, concalefaciens animam a suspicione quod incipiat prophetare, cum cor ejus multo plus quam oporteat palpitet, audet, et loquitur deliriosa, et quaecunque evenerint omnia, vacue et audacter, quippe calefacta spiritu (sicut melior nobis de talibus prophetis exsequitur, quod audax et inverecunda est anima, quae vacuo aere excalefacta est): et exinde prophetidem

semetipsam putat, et gratias agit Marco ei, qui participavit ei suam Gratiam: et remunerare eum gestit, non solum secundum substantiae suae dationem (unde et divitiarum copiam magnam collegit), sed et secundum corporis copulationem, et secundum omnia uniri ei cupit, ut cum eo descendat in unum.

4. Jam vero quaedam ex fidelissimis mulieribus, quae habent timorem Dei, et non sunt seducibiles, quas similiter ut reliquas affectavit seducere, jubens eis prophetare, exsufflantes et catathematizantes eum, separaverunt se ab hujusmodi insano, qui se divinum spirare simulabat: pro certo scientes, quoniam prophetare non a Marco mago inditur hominibus, sed quibuscunque Deus desuper immiserit gratiam suam, hi a Deo traditam habent prophetiam, et tunc loquuntur ubi et quando Deus vult, sed non quando Marcus jubet. Quod enim jubet, eo quod jubetur majus est et dominatius, quoniam illud quidem principatur, illud autem subjectum est. Si ergo Marcus quidem jubet, vel alius quis, sicut solent in coenis sortibus hi homines ludere, et sibimetipsis invicem imperare ut prophetent, et secundum suas concupiscentias eos sibi prophetare, erit ille, qui jubet, et major et dominatior prophetico spiritu, cum sit homo; quod est impossibile. Sed tales quidem, qui jubentur ab ipsis, spiritus, et loquuntur quando volunt ipsi, terreni et infirmi sunt, audaces autem et impudentes, a Satana immissi ad seductionem et perditionem eorum qui non firmam fidem, quam ab initio per Ecclesiam acceperunt, custodiunt.

5. Adhuc etiam et amatoria et allectantia efficit, ut et corporibus ipsarum contumeliam irroget, hic idem Marcus quibusdam mulieribus, etsi non universis. Hae saepissime conversae ad Ecclesiam Dei, confessae sunt, et secundum corpus exterminatas se ab eo velut cupidine, et inflammatas valde illum se dilexisse; ut et diaconus quidam eorum qui sunt in Asia nostri, suscipiens eum in domum suam, inciderit in hujusmodi calamitatem. Nam cum esset uxor ejus speciosa, et sententia et corpore corrupta esset a mago isto, et secuta eum esset multo tempore, post deinde cum magno labore fratres eam convertissent, omne tempus in exhomologesi consummavit, plangens et lamentans ob hanc, quam passa est ab hoc mago, corruptelam.

6. Et discipuli autem ejus quidam circumobversati in iisdem, seducentes mulierculas multas corruperunt, perfectos semetipsos vocantes: quasi nemo possit exaequari magnitudini agnitionis ipsorum, nec si Paulum aut Petrum dicas, vel alterum quemdam apostolorum: sed plus omnibus se cognovisse, et magnitudinem agnitionis illius, quae est inenarrabilis virtutis, solos ebibisse. Esse autem se in altitudine super omnem virtutem: quapropter et libere omnia agere, nullum in nullo timorem habentes. Propter enim redemptionem, et incomprehensibiles et invisibiles fieri judici. Si autem et apprehenderit eos, assistentes ei cum redemptione haec dicent: O assessor Dei, et mysticae illius pro aeonon Siges, quam Magnitudines semper videntes faciem Patris, te viae duce et adductore utentes, abstra-

hunt sursum suas formas, quas valde audax illa ducta phantasmate, propter bonum Propatoris emisit nos imagines illorum, tunc intentionem illorum quae sunt sursum, quasi somnium habens: ecce judex in proximo, et praeco me jubet meae defensioni adesse. Tu autem, quasi quae scias utrorumque nostrorum rationem, tanquam unam exsistentem, judici assiste. Mater autem cito, audiens haec, Homericam inferorum galeam eis superimposuit, ut invisibiliter effugerent judicem, et statim eripiens eos in thalamum duxit, et reddidit suis sponsis.

7. Talia autem dicentes et operantes, et in iis quoque, quae sunt secundum nos regiones Rhodanenses, multas seduxerunt mulieres, quae cauterizatas conscientias habentes, quaedam quidem etiam in manifesto exhomologesin faciunt; quaedam autem reverentes hoc ipsum, in silentio sensim semetipsas retrahunt, desperantes a vita Dei, quaedam quidem in totum abscesserunt, quaedam autem inter utrumque dubitant, et quod est proverbii passae sunt, neque intus, neque foris exsistentes, hunc fructum habentes seminis filiorum agnitionis.

CAPUT XIV

Marci hypothesis. Fingit supremam tetrada instar mulieris ad ipsum descendisse, arcana nemini hactenus revelata patefacturam. Sub aenigmatica literarum, syllabarum, sonorum et characterum farragine Valentinianorum Pleroma ac commenta tradit.

1. Hic igitur Marcus vulvam et susceptorium Colorbasi silentii semet solum fuisse dicens, quippe unigenitus exsistens, defectus semen, quod depositum est in eum, sic enixus est. Illam quae est a summis, et ab invisibilibus, et innominabilibus locis quaternationem descendisse figura muliebri ad eum (quoniam, inquit, ejus masculinum mundus ferre non poterat) et ostendisse quoque semetipsam quae esset, et universorum genesim, quam nemini unquam, neque deorum, neque hominum revelavit, huic solo enarrasse, ita dicentem: Quando primum Pater, cujus pater nemo est, qui est inexcogitabilis et insubstantivus, qui neque masculus, neque femina est, voluit suum inenarrabile narrabile fieri, et quod invisibile sibi est, formari; aperuit os, et protulit Verbum simile sibi: quod assistens ostendit ei quod erat ipse, cum invisibilis forma apparuisset. Enuntiatio autem nominis facta est talis: Locutus est verbum primum nominis ejus: fuit ἀρχή; et syllaba ejus litterarum quatuor. Conjunxit et secundam, et fuit haec litterarum quatuor. Post locutus est et tertiam, et fuit haec litterarum x. Et eam quae est post haec locutus est, et fuit ipsa litterarum xii. Facta est ergo enuntiatio universi nominis, litterarum xxx, syllabarum autem quatuor. Unumquodque autem elementorum suas litteras, et suum characterem, et suam enuntiationem, et figurationes, et imagines habere: et nihil eorum esse, quod illius videat formam, quod ipsum super elementum est. Sed nec cognoscere eum, sed ne quidem proximi ejus unumquodque enuntiationem scire, sed quod

ipse enuntiat, ita omne quod enuntiat, illud quod est totum nominet. Unumquodque enim ipsorum, pars exsistens totius, suum sonum quasi omne nominare, et non cessare sonantia, quoadusque ad novissimam litteram novissimi elementi singulariter enuntiata deveniant. Tunc autem et redintegrationem universorum dicit futuram, quando omnia devenientia in unam litteram, unam et eamdem consonationem sonant, cujus exclamationis imaginem esse, Amen simul dicentibus nobis, tradidit. Sonos autem eos esse, qui formant insubstantivum et ingenitum Aeona, et esse hos formas, quas Dominus Angelos dixit, quae sine intermissione vident faciem Patris.

2. Nomina autem elementorum communia et enarrabilia, Aeonas, et verba, et radices, et semina, et plenitudines, et fructus vocavit. Singula autem ipsorum et uniuscujusque propria in nomine Ecclesiae contineri et intelligi ait. Quorum elementorum novissimi elementi ultima littera vocem emisit suam, cujus sonus exiens, secundum imaginem elementorum elementa propria generavit: ex quibus et quae sunt hic disposita dicit, et ea, quae sunt ante haec, generata. Ipsam quidem litteram, cujus sonus erat consequens sonum deorsum, a syllaba sua sursum receptam dicit, ad impletionem universi: remansisse autem deorsum sonum quasi foras projectum. Elementum autem ipsum, ex quo littera cum enuntiatione sua descendit deorsum, litterarum ait esse xxx, et unamquamque ex his xxx litteris in semetipsa habere alias litteras, per quas nomen litterae nominatur. Et rursus alias per alias nominari

litteras, et alias per alias, ita ut in immensum decidat multitudo litterarum. Sic autem planius disces quod dicitur. Delta elementum litteras habet in se quinque, et ipsum δ, et ε, et λ, et τ, et α, et hae rursus litterae per alias scribuntur litteras, et aliae per alias. Si ergo universa substantia deltae in immensum decidit, aliis alias litteras generantibus et succedentibus alterutrum, quanto magis illius elementi majus esse pelagus litterarum? Et si una littera sic immensa est, vide totius nominis profundum litterarum, ex quibus Propatora Marci Silentium constare docuit. Quapropter et Patrem scientem incapabile suum, dedisse elementis, quae et Aeonas vocat, unicuique eorum suam enuntiationem exclamare, eo quod non possit unum, illud quod est totum enuntiare.

3. Haec itaque exponentem ei quaternationem dixisse: Volo autem tibi et ipsam ostendere Veritatem. Deposui enim illam de superioribus aedificiis, ut circumspicias eam nudam, et intuearis formositatem ejus; sed et audias eam loquentem, et admireris sapientiam ejus. Vide quid igitur in caput ejus sursum, primum A et Ω, collum autem B et Ψ, humeros cum manibus Γ et X, pectus Δ et Φ, cinctum E et Y, ventrem Z et T, verenda H et Σ, femora Θ et P, genua I et Π, tibias K et O, crura Λ et Ξ, pedes M et N. Hoc est corpus ejus, quae est secundum magum, Veritatis; haec figura elementi, hic character litterae. Et vocat elementum hoc, Hominem: esse autem fontem ait eum omnis verbi, et initium universae vocis, et omnis inenarrabilis enarrationem, et taciti Silentii os. Et hoc quidem corpus ejus. Tu autem sublimius

allevans sensus intelligentiam, autogenitora et patrodotora verbum ab ore Veritatis audi.

4. Haec autem cum dixisset illa, attendentem ad eum Veritatem, et aperientem os, locutam esse verbum: verbum autem nomen factum, et nomen esse hoc, quod scimus et loquimur, Christum Jesum; quod cum nominasset, statim tacuit. Cum autem putaret Marcus plus aliquid eam dicturam, rursus quaternatio veniens in medium, ait: Tanquam contemptibile putasti esse verbum, quod ab ore Veritatis audisti. Non hoc, quod scis et putas habere, olim est nomen. Vocem enim tantum habes ejus, virtutem autem ignoras. Jesus autem est insigne nomen, sex habens litteras, ab omnibus qui sunt vocationis cognitum. Illud autem quod est apud Aeonas Pleromatis, cum sit multifarium exsistens, alterius est formae, et alterius typi, quod intelligitur ab ipsis qui sunt cognati ejus, quorum magnitudines apud eum sunt semper.

5. Has igitur, quae apud nos sunt viginti quatuor litterae, emanationes esse intellige trium virtutum imaginales, earum quae continent universum, quae sunt sursum, elementorum numerum. Mutas enim litteras novem puta esse Patris et Veritatis, quoniam sine voce sint, hoc est, et inenarrabiles et ineloquibiles. Semivocales autem cum sint octo, Logi esse et Zoes, quoniam quasi mediae sint inter mutas et vocales: et recipere eorum quidem quae supersint, emanationem, eorum vero quae subsint, elevationem. Vocales autem et ipsas septem esse, Anthropi et Ecclesiae: quoniam per Anthropum vox progre-

diens formavit omnia. Sonus enim vocis formam eis circumdedit. Est igitur Logos habens et Zoe viii, Anthropos autem et Ecclesia vii, Pater autem et Alethia ix. Ex minori autem computatione, qui erat apud Patrem descendit, emissus illuc, unde fuerat separatus ad emendationem factorum: ut Pleromatum unitas aequalitatem habens, fructificet unam in omnibus, quae est ex omnibus, virtus. Et sic is qui est numeri vii eorum qui sunt octo accepit virtutem, et facta sunt tria loca similia numeris, cum sint octonationes: quae ter in se venientia viginti quatuor ostenderunt numerum. Et tria quidem elementa (quae dicit ipse trium in conjugatione virtutum exsistere, quae fiunt vi, ex quibus emanaverunt viginti quatuor litterae) quadripertita inenarrabilis quaternationis ratione, eumdem numerum faciunt: quae quidem dicit illius, qui est innominabilis, exsistere. Indui autem ea a tribus virtutibus, in similitudinem illius qui est invisibilis: quorum elementorum imagines imaginum esse eas, quae sunt apud nos duplices litterae, quas cum xxiv litteris annumerantes, virtute quae est secundum analogiam, xxx faciunt numerum.

6. Hujus rationis et dispositionis fructum dicit in similitudinem imaginis apparuisse illum, qui post vi dies quartus ascendit in montem, et factus est sextus: qui descendit et detentus est in hebdomade, cum esset insignis octonatio, et haberet in se omnem elementorum numerum, quem manifestavit, cum ipse venisset ad baptismum, columbae descensio, quae est Ω et A. Numerus enim ipsius, unum et dccc. Et propter hoc Moysen

in sexta die dixisse hominem factum: et dispositionem autem in sexta die, quae est in coena pura, novissimum hominem, in regenerationem primi hominis, apparuisse. Cujus dispositionis initium et finem sextam horam, in qua affixus est ligno: perfectum enim sensum, scientem eum numerum qui est sex, virtutem fabricationis et regenerationis habentem, manifestasse filiis luminis eam generationem, quae facta est per eum, qui manifestatus est insignis in eum numerum. Hinc etiam et duplices litteras numerum insignem habere ait. Insignis enim numerus commistus viginti quatuor elementis, xxx litterarum nomen explicuit.

7. Usus est autem diacono septem numerorum magnitudine, quemadmodum dicit Marci Sige, ut a se cogitatae cogitationis manifestetur fructus. Et insignem quidem hunc numerum in praesenti, ait, eum qui ab insigni figuratus est, intelligi, eum qui quasi in partes divisus est, aut praecisus, et foris perseveravit, qui sua virtute et prudentia per eam, quae est ab eo, emissionem, hunc, qui est septem virtutum, secundum imitationem hebdomadis virtutis, animavit mundum, et animam posuit esse hujus universi, quod videtur. Utitur autem et ipse hic hoc opere quasi spontanee ab ipso facto: reliqua vero ministrant, cum sint imitationes inimitabilium, enthymesin matris. Et primum quidem coelum sonat A, quod autem est post illum E, tertium autem H, quartum vero et medium numeri vii. Iotae virtutem enarrat, quintum vero O, sextum autem Y, septimum autem et iv a medio Ω elementum

exclamat quemadmodum Marci Sige, quae multa quidem loquacius exsequitur, nihil autem verum loquens, affirmat. Quae virtutes, ait, omnes simul in invicem complexae sonant et glorificant illum, a quo emissae sunt: gloria autem soni mittitur in Propatorem. Hujus autem glorificationis sonum in terram delatum ait plasmatorem factum, et generatorem eorum quae sunt in terra.

8. Ostensionem autem affert ab iis, qui nunc nascuntur, infantibus, quorum anima, simul ut de vulva progressa est, exclamat uniuscujusque elementi hunc sonum. Sicut ergo septem Virtutes, inquit, glorificant Verbum, sic et anima in infantibus plorans et plangens Marcum glorificat eum. Propter hoc autem et David dixisse: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. Et iterum: Coeli enarrant gloriam Dei. Et propter hoc quando in doloribus et calamitatibus anima fuerit, in relevationem suam, dicit Ω in signum laudationis: ut cognoscens illa quae sursum est anima, quod est cognatum suum, adjutorium ei deorsum mittat.

9. Et de omni quidem nomine, quod est xxx litterarum, et de Bytho, qui augmentum accipit ex hujus litteris; adhuc etiam de Veritatis corpore, quod est duodecim membrorum, unoquoque membro ex duabus litteris constante; et de voce ejus, quam locuta est non locuta; et de resolutione ejus nominis, quod non est enarratum, et de mundi anima, et hominis, secundum quae habent illam, quae est ad imaginem, dispositionem, sic deliravit. Dehinc autem quemadmodum ex nominibus aequiparatam virtutem ostendit

eorum quaternatio, referemus; ut nihil lateat te, dilectissime, eorum quae ad nos pervenerunt ex iis, quae ab iis dicuntur, quemadmodum saepe postulasti a nobis.

CAPUT XV

Pergit Sige Marco narrare xxiv elementorum et Jesu generationem. Haec deliria confutat Irenaeus.

1. Sic autem annuntiat perquam sapiens eorum Sige generationem viginti quatuor elementorum. Cum solitate esse unitatem, ex quibus duae sunt emissiones, sicut praedictum est, monas et hen, quae duplicatae, quatuor factae sunt: bis enim duo, quatuor. Et rursus duo et quatuor in idipsum compositae, sex manifestaverunt numerum. Hi autem sex quadruplicati, viginti quatuor generaverunt figuras. Et quidem quae sunt primae quaternationis nomina sancta sanctorum intelliguntur, quae non possunt enarrari; intelliguntur autem a solo Filio, quae Pater scit quaenam sunt. Alia vero quae cum gravitate, et honore, et fide nominantur, apud eum sunt haec: Ἀῤῥητος et Σιγή, Πατὴρ et Ἀλήθεια. Hujus autem quaternationis universus numerus est litterarum viginti quatuor: Ἀῤῥητος enim nomen litteras habet in se septem, Σειγή quinque, et Πατήρ quinque, et Ἀλήθεια septem, quae composita in se, bis quinque, et bis septem, viginti quatuor numerum adimpleverunt. Similiter et secunda quaternatio Logos et Zoe, Anthropos et Ecclesia eumdem numerum elementorum osten-

derunt. Et Salvatoris quoque narrabile nomen Ἰησοῦς, litterarum est sex; inenarrabile autem ejus, litterarum viginti quatuor. Υἱός et Χριστός, litterarum duodecim; quod est autem in Christo inenarrabile, litterarum triginta. Et propter hoc ait eum A et Ω, ut περιστερὰν manifestet, cum hunc numerum habeat haec avis.

2. Jesus autem hanc habet, inquit, inenarrabilem genesim. A matre enim universorum, id est, primae quaternationis in filiae locum processit secunda quaternatio, et facta est octonatio, ex qua progressa est decas: sic factum est xviii. Decas itaque adjuncta octonationi, et decuplam eam faciens, lxxx fecit numerum: et rursus octuagies decies octingentorum numerum fecit: ut sit universus litterarum numerus ab octonatione in decadem progrediens, octo et octuaginta et dccc quod est Jesus. Jesus enim nomen, secundum Graecarum litterarum computum, dccc sunt lxxxviii. Habes manifeste et supercoelestis Jesu secundum eos genesim. Quapropter et A B Graecorum habere monadas octo, et decadas viii, et hecatontadas viii, dccc lxxxviii numerum ostendentia hoc est, Jesum, qui est ex omnibus constans numeris: et propter hoc A et Ω nominari eum, cum significent ex omnibus ejus generationem. Et iterum ita: Primae quaternationis secundum progressionem numeri in semetipsam compositae x apparuit numerus. A enim et B et Γ et Δ in semetipsa composita x fiunt, quod est I, et hoc esse volunt Jesum. Sed et Christus, inquit, litterarum est viii, ex quibus primam octonationem significari, quae cum iota applicita dccc lxxxviii

numerum generavit. Dicitur autem, ait, et filius Christus, hoc est, duodecas: υἱὸς enim nomen litterarum quatuor est, Χριστὸς autem octo: quae composita duodecadis ostenderunt magnitudinem. Prius autem, inquit, quam hujus nominis insigne appareret, hoc est, Jesus, filiis, in ignorantia magna fuerunt homines et errore. Cum autem manifestatum est vi litterarum nomen hoc quod secundum carnem amictum est, ut ad sensibilitatem hominis descenderet, habens in semetipso ipsum quoque vi, et viginti quatuor; tunc cognoscentes eum cessaverunt ab ignoratione, et a morte in vitam ascenderunt, nomine eis facto ducatore ad Patrem veritatis. Voluisse enim Patrem universorum solvere ignorantiam, et destruere mortem. Ignorantiae autem solutio, agnitio ejus fiebat. Et propter hoc dictum secundum voluntatem ejus, eum qui est secundum imaginem ejus, quae sursum est virtus, dispositum hominem.

3. A quaternatione enim progressi sunt Aeones. Erat autem in quaternatione Anthropos et Ecclesia, Logos et Zoe. Ab iis igitur Virtutes, ait, emanatae generaverunt eum, qui in terra manifestatus est, Jesum. Et Logi quidem locum adimplesse angelum Gabriel, Zoes autem Spiritum sanctum, Anthropi autem Altissimi virtutem: Ecclesiae autem locum Virgo ostendit. Et sic ille, qui est secundum dispositionem, per Mariam generatur apud eum homo, quem Pater omnium transeuntem per vulvam elegit per Verbum ad agnitionem suam. Cum autem venisset ipse ad aquam, descendisse in eum, quasi columbam, eum qui recucurrit sursum, et implevit xii nume-

rum: in quo inerat semen eorum, qui conseminati sunt cum eo, et condescenderunt et coascenderunt. Ipsam autem Virtutem quae descendit, semen dicit esse Patris, habens in se et Patrem, et Filium, et eam, quae per eos cognoscitur innominabilis virtus Siges, et omnes Aeonas. Et hunc esse Spiritum, qui locutus est per os Jesu, qui se confessus est Filium hominis, et manifestavit Patrem, descendens quidem in Jesum, unitus est. Et destruxit quidem mortem, ait, qui fuit ex dispositione Salvator Jesus; agnovit autem Patrem Christum. Jesum esse ergo nomen quidem ejus, qui est ex dispositione homo, dicit, positum autem esse in assimilationem et figurationem ejus, qui incipit in eum descendere, Hominis, quem capientem habere et ipsum Hominem, et ipsum Logon, et Patrem, et Arrheton, et Sigen, et Alethian, et Ecclesiam, et Zoen.

4. Haec jam supra Iu iu! et super Pheu! et super universam tragicam exclamationem et doloris vociferationem sunt. Quis enim non oderit eum, qui tantorum mendaciorum malus compositor est poeta, cum viderit veritatem idolum a Marco factam, et hoc alphabeti litteris stigmatam? Nuper, sicut quod est ab initio, quod dici solet, heri et ante Graeci confitentur a Cadmo se primum sedecim accepisse: post deinde procedentibus temporibus semetipsos adinvenisse, aliquando quidem adspiratas, aliquando autem duplices: novissime autem omnium Palamedem aiunt longas eis apposuisse. Prius igitur quam apud Graecos haec fierent, non erat veritas? Corpus enim ejus secundum te, Marce, posterius

est tempore quam Cadmos, et ii qui ante eum sunt; posterius autem his, qui reliqua elementa addiderunt: posterius autem tempore, quam et tu ipse. Tu autem solus in idolum deposuisti eam, quae a te praedicatur veritas.

5. Quis autem sustinebit tuam illam quae tantum verbosata est Sigen, quae innominabilem nominat Aeonem, inenarrabilem exponit, et eum qui investigabilis est enuntiat, et aperuisse os dicit eum, quem incorporalem et infiguratum dicis, et emisisse Verbum, quasi unum ex his quae composita sunt animalia: Verbum quoque ejus simile (esse) ei, qui eum emisit, et formam invisibilis factum, elementorum quidem esse triginta, syllabarum autem quatuor? Erit ergo secundum similitudinem Verbi Pater omnium, sicut tu ais, elementorum quidem triginta, syllabarum autem quatuor. Aut iterum quis sustinebit te in schemata et numeros, aliquando quidem triginta, aliquando autem viginti quatuor, aliquando sex tantum, concludentem universorum conditorem, et Demiurgum, et factorem, Verbum Dei, et minuentem eum in syllabas quidem quatuor, elementa autem triginta: et omnium Dominum, qui confirmavit coelos, in dccclxxxviii deducentem numeros, similiter atque alphabetum: et ipsum qui omnia capit Patrem, a nullo autem capitur, in quaternationem, et octonationem, et duodecadem subpartientem, et per hujusmodi multiplicationes illud, quod est inenarrabile et incognoscibile, quemadmodum tu dicis, Patris enarrantem? Et quem incorporalem et insubstantivum nominas, hujus materiam et substan-

tiam ex multis litteris, aliis ex aliis generatis, fabricas, ipse Daedalus fictor, et faber malus factus sublimissimae virtutis: et quam indivisibilem dicis substantiam in mutas, et vocales et semivocales sonos subdividens; id quod est mutum in his, omnium Patri et hujus intentioni mentiens, in summam blasphemiam et magnam impietatem immisisti omnes qui tibi credunt.

6. Quapropter et juste, et apte tali temeritati tuae divinae adspirationis senior, et praeco veritatis invectus est in te, dicens sic: Idolorum fabricator Marce, et portentorum inspector, Astrologiae cognitor et magicae artis, Per quae confirmas erroris doctrinas, Signa ostendens his, qui a te seducuntur, Apostaticae virtutis operationes, Quae tibi praestat tuus pater Satanas Per angelicam virtutem Azazel facere, Habens te praecursorem contrariae adversus Deum nequitiae.

Et haec quidem amator Dei senior. Nos autem reliqua mysteria eorum, quae sunt longa, conabimur breviter expedire, et ea quae multo tempore sunt occultata, in manifestum producere. Sic enim fit ut facile argui et convinci possint ab omnibus.

CAPUT XVI

Insulsa parabolarum de ove, drachmaque perdita, a Marcosiis conficta explicatio. Admonitio auctoris de stupenda illorum vesania.

1. Generationem itaque Aeonum, et errorem ovis, et adinventionem, adunantes in unum, mystice audent annuntiare hi qui in numeros omnia deduxerunt, de monade et dualitate dicentes

omnia constare: et a monade usque ad quatuor numerantes, sic generant decadem. Unum enim et duo, et tres, et quatuor, in unum compositae, decem Aeonum generaverunt numerum. Rursus autem dualitas ab ea progressa usque ad episemon, duo, et quatuor, et sex, duodecadem ostendit. Et rursus a dualitate similiter numerantibus nobis usque ad x, xxx numerus ostensus est, in quo est ogdoas, et decas, et duodecas. Duodecadem igitur, eo quod episemon habuerit consequentem sibi, propter episemon passionem vocant. Et propter hoc circa xii numerum cum labes quaedam facta fuisset, ovem luxuriatam aberrasse: quoniam apostasiam a duodecade factam dicunt. Similiter et a duodecade abscedentem unam Virtutem perisse divinant: et hanc esse mulierem, quae perdiderit drachmam, et accenderit lucernam, et invenerit eam. Sic igitur et numeros reliquos, in drachma qui sunt novem, in ove vero undecim, perplexos sibimetipsis, xcix numerum generare: quoniam novies undecim xcix fiant. Quapropter et Amen hunc habere dicunt numerum.

2. Non pigritabor autem tibi et aliter eos interpretantes annuntiare, ut undique conspicias fructum eorum. Litteram enim H, cum episemo, ogdoadem esse volunt, cum ab alpha beta octavo sit posita loco; rursus iterum sine episemo computantes numerum ipsarum litterarum, et componentes usque ad H, triacontadem ostendunt. Incipiens enim quis ab A, et perfiniens in H, per numeros litterarum, abstrahens autem episemum et insuper conjungens incrementum lit-

terarum, inveniet tricenarium numerum. Usque enim ad E litteram, xv fiunt: post deinde appositus eis vii numerus, ii et xx perficit: cum autem appositum est iis H, quod est viii, admirabilem triacontadem adimplevit. Et hinc ostendunt ogdoadem matrem triginta Aeonum. Quoniam igitur ex tribus virtutibus unitus est tricenarius numerus, ter idem factus, xc fecit. Et ipsa autem trias in se composita ix generavit. Sic ogdoas xcix generavit numerum. Et quoniam duodecimus Aeon absistens reliquit sursum xi, consequenter dicunt typum litterarum in figura Logi positum esse (undecimam enim in litteris esse Λ, qui est numerus xxx) et secundum imaginem positum esse superioris dispositionis: quoniam ab alpha sine episemo, ipsarum litterarum numerus usque ad Λ compositus, secundum augmentum litterarum cum ipso Λ, xc et ix facit numerum. Quoniam autem Λ, quae est undecimo loco in ordine, ad similis sui descendit inquisitionem, ut impleret xii numerum, et cum invenisset eum, adimpleta est; manifestum esse ex ipsa figuratione litterae. Λ enim quasi ad sui similis inquisitionem adveniens, et inveniens, et in semet rapiens ipsum, duodecimum adimplevit locum, M littera ex duobus lambdis ΛΛ consistente. Quapropter et fugere eos per agnitionem xcix locum, hoc est, deminorationem, typum sinistrae manus: sectari autem unum, quod additum super nonagintanovem in dexteram eos manum transtulit.

3. Tu quidem haec pertransiens, dilectissime, optime scio quoniam ridebis multum tantam

illorum in tumore sapientem stultitiam. Sunt autem digni planctu, qui tantam Dei religionem, et magnitudinem vere inenarrabilis virtutis, et tantas dispositiones Dei per A et B, et per numeros tam frigidos, et vi extortos enuntiant. Quotquot autem absistunt ab Ecclesia, et iis anilibus fabulis assentiunt, vere a semetipsis sunt damnati: quos Paulus jubet nobis post primam et secundam correptionem devitare. Joannes enim, Domini discipulus, superextendit damnationem in eos, neque Ave a nobis eis dici volens: Qui enim dicit, inquit, eis Ave, communicat operibus ipsorum nequissimis. Et merito: Non enim est gaudere impiis, dicit Dominus. Impii autem super omnem impietatem hi sunt, qui factorem coeli et terrae, unum Deum omnipotentem, super quem alius Deus non est, ex labe, et ipsa ex altera labe facta, emissum dicunt: et sic jam, secundum eos, esse eum emissionem tertiae labis. Quam sententiam digne exsufflantes, et catathematizantes, oportet porro alicubi et longe fugere ab eis: et quanto plus haec affirmant et gaudent in iis adinventionibus suis, tanto magis sciamus plus eos agitari ab ogdoadis nequissimis spiritibus. Quemadmodum hi, qui in phreneticam passionem inciderunt, aut plus rident, et valere se putant, et quasi sani omnia agunt, quaedam autem et quasi plus quam sani sunt, tanto magis male habent: similiter autem et hi, quo magis plus sapere putantur, enervantes semetipsos, super tonum sagittantes, tanto magis non sapiunt. Exiens enim immundus spiritus ignorantiae, dein vacantes eos, non Deo, sed mundialibus quaestionibus inveniens, assu-

mens alios spiritus septem nequiores semetipso; et infatuans illorum sententiam, quasi possint quae sunt super Deum adinvenire, et aptabiliter in exclusionem compositam, ogdoadem ignorantiae nequissimorum spirituum in eos deposuit.

CAPUT XVII

Qui res creatas secundum imaginem invisibilium conditas fingerent Marcosii.

1. Volo autem tibi referre quemadmodum et ipsam conditionem secundum imaginem invisibilium a Demiurgo, quasi ignorante eo, fabricatam per Matrem dicunt. Primo quidem quatuor elementa dicunt, ignem, aquam, terram, et aerem, imaginem emissam esse superioris quaternationis: et operationes eorum cum eis annumeratas, id est, calidum et frigidum, humectum et aridum, diligenter imaginare ogdoadem, ex qua decem Virtutes sic enumerant: septem quidem corpora circumlata, quae etiam coelos vocant: post deinde continentem eos circulum, quem octavum coelum vocant, post deinde solem et lunam. Haec cum sint decem numero, imagines dicunt esse invisibilis decadis ejus, quae a Logo et Zoe progressa sit. Duodecadem autem ostendi per eum, qui Zodiacus vocatur circulus. Duodecim enim signa manifestissime Hominis et Ecclesiae filiam duodecadem, quasi per quamdam umbram pinxisse dicunt. Et e contrario superjunctum, inquiunt, universorum oneri cum sit velocissimum quod superpositum est coelum, qui ad ipsam concavationem aggravat, et ex contrarietate moderatur illorum velocitatem sua

tarditate, ita ut in triginta annis circuitum a signo in signum faciat, imaginem dicunt eum Hori ejus, qui trigesimam nominis illorum matrem circumcontinet. Lunam quoque rursus suum coelum circumeuntem triginta diebus, per dies numerum triginta Aeonum significare. Et solem autem in duodecim mensibus circumeuntem, et perficientem circularem suam apocatastasin, per duodecim menses duodecadem manifestare. Et ipsos autem dies duodecim horarum mensuram habentes, typum non apparentis duodecadis esse. Sed et horam dicunt, quod est duodecimum diei, ex triginta partibus adornatam, propter imaginem triacontadis. Et ipsius autem zodiaci circuli circummensurationem esse partium trecentarum sexaginta; quodque enim signorum, partes habere triginta. Sic quoque per circulum, imaginem copulationis eorum, quae sunt duodecim, ad triginta custoditam dicunt. Adhuc etiam et terram in duodecim climata divisam dicentes, et in unoquoque climate unamquamque virtutem ex coelis secundum demissionem suscipientem, et similes generantem filios ei virtuti, quae demiserit distillationem, typum esse duodecadis et filiorum ejus manifestissimum asseverant.

2. Ad haec autem volentem aiunt Demiurgum superioris ogdoadis interminabile, et aeternum, et infinitum, et intemporale imitari: et cum non potuisset perseverabile ejus et perpetuum deformare, ideo quod fructus sit labis, in temporum spatia, et tempora, et numeros multorum annorum aeternitatem ejus deposuisse, existimantem in multitudine temporum imitari ejus intermi-

natum. Hic dicunt, cum effugisset eum veritas, subsecutum mendacium: et propter hoc destructionem, adimpletis temporibus, accipere ejus opus.

CAPUT XVIII

Quae Mosis loca in suam hypothesim detorquerent haeretici.

1. Et de conditione quidem talia dicentes, quotidie adinvenit unusquisque eorum, quemadmodum potest, aliquid novi. Perfectus enim nemo, nisi qui maxima mendacia apud eos fructificaverit. De propheticis autem quaecunque transformantes coaptant, necessarium est manifestantes arguitionem his inferre. Moyses enim, inquiunt, incipiens id quod est secundum conditionem opus, statim in principio matrem omnium ostendit, dicens: In principio fecit Deus coelum et terram. Quatuor haec nominans, Deum et principium, coelum et terram, quaternationem ipsorum, quemadmodum ipsi dicunt, figuravit. Et invisibile autem, et absconditum ejus manifestantem dicere: Terra autem erat invisibilis et incomposita. Secundam autem quaternationem, progeniem primae quaternationis, sic eum dixisse volunt, abyssum nominantem et tenebras, in quibus sunt et aquae, et qui ferebatur super aquas spiritus. Post quam decadis commemorantem, lumen dicere, et diem, et noctem, et firmamentum, et vesperam, et quod vocatur mane, et aridam, et mare, adhuc etiam et herbam, et decimo loco lignum: sic quoque per decem nomina, decem Aeonas manifestasse. Duodecadis autem

sic formatam apud eos virtutem: solem enim dicere, et lunam, et stellas, et tempora, et annos, et cetos, adhuc etiam pisces, et serpentia, et volatilia, et quadrupedia, feras quoque, et super haec omnia duodecimum hominem. Sic ab spiritu triacontadem per Moysen dictam docent. Nec non et formatum hominem secundum imaginem superioris virtutis, habere in se eam, quae sit ab uno fonte, virtutem. Constitutam autem eam esse in eo, qui sit in cerebro locus, ex qua defluant virtutes quatuor secundum imaginem supernae tetradis, quae vocantur, una quidem visio, altera autem auditus, tertia odoratus, et quarta gustatio. Octonationem autem dicunt significari per hominem sic: Aures quidem duas habentem, et totidem visus, adhuc etiam odorationes duas, et duplicem gustationem, amari et dulcis. Totum autem hominem omnem imaginem triacontadis sic habere docent: in manibus quidem per digitos decadem bajulare: in toto autem corpore, cum in duodecim membra dividatur, duodecadem. Dividunt autem illud, quemadmodum Veritatis apud eos divisum est corpus, de quo praediximus. Ogdoadem autem, inenarrabilem et invisibilem, in visceribus absconditam intelligi.

2. Solem quoque iterum, qui sit magnum luminare, in quarta dierum fieri propter quaternationis numerum dicunt. Tabernaculi quoque quod a Moyse compositum est, atria de bysso, et hyacintho, et purpura, et coccino facta, eamdem apud eos ostenderunt imaginem. Sacerdotis quoque poderem, quatuor ordinibus lapidum pretiosorum adornatum, quaternationem significare

praefiniunt. Et si qua omnino talia sunt posita in Scripturis, quae quatuor possunt numerum designare, propter quaternationem ipsorum dicunt facta. Octonationem rursus ostendi sic: In octavo dierum formatum dicunt hominem: aliquando enim volunt eum sexto die factum, aliquando autem octavo, nisi forte choïcum quidem in sexto dierum dicunt formatum, carnalem autem in octavo; distincta sunt enim haec apud eos. Quidam autem et alterum esse volunt, qui secundum imaginem et similitudinem Dei factus est homo masculofemineus, et hunc esse spiritalem: alterum autem, qui ex terra plasmatus sit.

3. Et arcae autem dispositionem in cataclysmo, in qua octo homines liberati sunt, manifestissime dicunt ogdoadem ostendere. Hoc autem idem et David, cum octavus esset genitus inter fratres suos, significare. Adhuc etiam et circumcisionem, quae octavo die fit, circumcisionem superioris ogdoadis manifestare. Et omnino quaecunque inveniuntur in Scripturis obduci posse ad numerum octavum, mysterium ogdoadis adimplere dicunt. Sed et decadem significari per decem gentes, quas promisit Deus Abrahae in possessionem dare, dicunt: et dispositionem autem quae est secundum Saram, quomodo post decem annos dat ei ancillam suam Agar, ut ex ea filium faciat, idem significare. Et servus autem Abraham missus ad Rebeccam, et super puteum dans ei armillas aureorum decem, et fratres ejus tenentes eam in dies decem: adhuc etiam Jeroboam, qui decem sceptra accepit, et tabernaculi decem atria, et columnae decem cubitorum, et

decem filii Jacob ad emptionem tritici prima vice in Aegyptum missi, et decem apostoli, quibus manifestatur post resurrectionem Dominus, cum Thomas non esset praesens, invisibilem defigurabant secundum eos decadem.

4. Duodecadem autem, erga quam et mysterium passionis labis fuisse, ex qua passione visibilia fabricata esse volunt, signanter et manifestissime positam ubique dicunt. Et duodecim filios Jacob, ex quibus duodecim quoque tribus, et logion varium, duodecim habens lapides et duodecim tintinnabula, et eos qui a Moyse positi sunt sub monte duodecim lapides, similiter autem et eos qui a Jesu in flumine positi sunt, et alteros qui trans positi sunt, et portantes arcam testamenti, et eos qui ab Helia positi sunt in holocausto vituli, et numerum quoque apostolorum; et omnia omnino, quaecunque duodecim numerum custodiunt, duodecadem ipsorum significare volunt. Horum autem unitatem omnium, quae vocatur triacontas, per eam arcam, cujus triginta cubitis altitudo fuit sub Noe: et per Samuelem declinantem Saul … qui triginta diebus abscondebatur in agro; et per eos qui cum eo intraverunt in speluncam; et propter id quod longitudo fuerit sancti tabernaculi triginta cubitorum; et quaecunque alia aequalia numeris his inveniuntur, triacontadem ipsorum per hujusmodi ostendunt asseverationes.

CAPUT XIX

Quibus Scripturae testimoniis probarent supremum Patrem incognitum fuisse ante Christi adventum.

1. Necessarium autem duxi addere iis et quanta de Propatore ipsorum, qui incognitus erat omnibus ante adventum Christi, eligentes de Scripturis suadere contendunt, ut ostendant Dominum nostrum alterum annuntiare Patrem, praeter fabricatorem hujus universitatis: quem, sicut praediximus, impie blasphemantes, labis fructum esse dicunt. Prophetam igitur Isaiam dicentem: Israel autem me non cognovit, et populus me non intellexit; invisibilis Bythi ignorantiam dixisse coaptant. Et in Osee quod dictum est: Non est in eis veritas, neque agnitio Dei; in hoc idem tendere conantur. Et: Non est intelligens, aut requirens Deum: omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; in Bythi ignorantia apponunt. Et per Moysem autem dictum: Nemo videbit Deum, et vivet; in illum habere suadent relationem.

2. Et fabricatorem quidem a prophetis visum dicunt: illud autem quod scriptum est: Nemo videbit Deum et vivet; de invisibili magnitudine, et incognita omnibus dictum volunt. Et quoniam quidem de invisibili Patre, factore omnium, dictum est: Nemo videbit Deum, omnibus nobis manifestum est: quoniam autem non de hoc, qui ab iis adinventus est Bythus, sed de Demiurgo (et ipse est invisibilis Deus) ostenditur procedente sermone. Et Danielem autem hoc idem significare, in eo quod interrogat angelum absolutiones parabolarum, quasi non scientem. Sed

et angelum abscondentem ab eo magnum mysterium Bythi, dicere ei: Recurre, Daniel: hi enim sermones obstructi sunt, quoadusque intellectores intelligant, et albi inalbentur: et seipsos esse albos et intellectores gloriantur.

CAPUT XX

De apocryphis et fictis Marcosiorum scripturis, ac Evangelii locis quibus abutebantur.

1. Super haec autem, inenarrabilem multitudinem apocryphorum et perperûm scripturarum, quas ipsi finxerunt, afferunt ad stuporem insensatorum, et quae sunt veritatis non scientium litteras. Assumunt autem in hoc et illam falsationem, quasi Dominus cum puer esset, et disceret litteras, cum dixisset magister ejus, quemadmodum in consuetudine est: Dic A; responderit A. Rursum cum magister jussisset dicere B, respondisse Dominum: Tu prior dic mihi quid est A, et tunc ego dicam tibi quid est B. Et hoc exponunt, quasi ipse solus incognitum scierit, quod manifestavit in typum alphae.

2. Quaedam autem eorum, quae in Evangelio posita sunt, in hunc characterem transfigurant: sicut illud quod ad matrem suam, duodecim annorum exsistens, respondit dicens: Non scitis quoniam in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse? Hunc, quem non sciebant, dicunt, Patrem annuntiabat eis: et propter hoc emisisse discipulos in duodecim tribus, annuntiantes ignotum eis Deum. Et ei qui dixisset illi: Magister bone; eum, qui vere bonus esset Deus, confessum esse

respondentem: Quid me dicis bonum? unus est bonus, Pater in coelis: coelos autem nunc Aeonas dictos dicunt. Et propter hoc non respondisse eis, qui ei dixerunt: In qua virtute hoc facis? sed econtrario interrogatione sua consternasse eos, inenarrabile Patris, in eo quod non dixerit, non ostendisse eum interpretantur. Sed et in eo, quod dixerit: Saepius concupivi audire unum ex sermonibus istis, et non habui qui diceret mihi; manifestantis dicunt esse per hoc unum, eum qui sit vere unus Deus, quem non cognoverint. Adhuc in eo, quod appropinquans ad Jerusalem ploraverit super eam, et dixerit: Si cognovisses et tu hodie quae sunt ad pacem; abscondita autem sunt a te; per eum sermonem qui est absconditus, apocryphon Bythi manifestasse. Et iterum dicentem: Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, et discite a me; Veritatis Patrem annuntiasse. Quod enim nesciebant, inquiunt, hoc eis promisit se docturum.

3. Ostensionem autem superiorum, et velut finem regulae suae afferunt haec: Confiteor tibi, Pater, Domine terrae et coelorum, quoniam abscondisti ea a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater meus, quoniam in conspectu tuo placitum factum est. Omnia mihi tradita sunt a Patre: et nemo cognovit Patrem, nisi Filius, et Filium, nisi Pater, et cuicunque Filius revelaverit. In his enim manifestissime aiunt ostendisse eum, quod ante adventum ejus nemo manifeste cognoverit Patrem Veritatis: et aptare volunt, quod quasi fabricator et conditor semper ab omnibus cognitus sit: et haec Dominum dixis-

se de incognito omnibus Patre, quem ipsi annuntiant.

CAPUT XXI

Quid et quotuplex redemptio haereticorum.

1. Redemptionis autem ipsorum traditionem evenit invisibilem esse, et incomprehensibilem: videlicet cum sit incomprehensibilium et invisibilium mater. Et propter hoc, cum sit instabilis, non simpliciter, neque uno sermone referendum est: quoniam unusquisque illorum, quemadmodum ipsi volunt, tradunt eam. Quanti enim sunt hujusmodi sententiae mystici antistites, tot sunt et redemptiones. Et quia ad negationem baptismatis, ejus quae est in Deum regenerationis, et universae fidei destructionem remissa est species haec a Satana, arguentes eos referemus aptiori loco.

2. Dicunt autem eam necessariam esse iis, qui perfectam agnitionem acceperunt, ut in eam, quae est super omnia virtus, sint regenerati. Aliter enim nobis impossibile esse intra Pleroma introire: quoniam haec est, quae in profundum Bythi deducit, secundum eos. Et baptisma quidem apparentis Jesu, in remissionem esse peccatorum; redemptionem autem esse ejus, qui in eo descenderit Spiritus, ad perfectionem: et illud quidem animale, illam autem spiritalem esse repromittunt. Et baptisma quidem a Joanne annuntiatum in poenitentiam; redemptionem autem ejus, qui in eo est Christi, positam esse ad perfectionem, et hoc esse, de quo dicit: Aliud baptisma habeo baptizari, et valde propero ad

illud. Sed et filiis Zebedaei, matre ipsorum postulante ut sedere faceret eos a dextris et a sinistris cum eo in regno, hanc apposuisse redemptionem Dominum dicunt, dicentem: Potestis baptisma baptizari, quod ego habeo baptizari? Et Paulum manifeste dicunt eam, quae sit in Christo Jesu, redemptionem saepissime ostendisse: et esse hanc eam, quae ab ipsis varie et inconsonanter traditur.

3. Quidam enim ex ipsis sponsale cubiculum quoddam adaptant, et quasi mysticum conficiunt, cum quibusdam profanis dictionibus, iis qui sacrantur; et spiritales nuptias dicunt esse id, quod ab ipsis fit, secundum similitudinem supernarum conjugationum. Alii autem adducunt ad aquam, et baptizantes ita dicunt: In nomen incogniti Patris omnium, in veritatem matrem omnium, in descendentem in Jesum, ad unitionem, et redemptionem, et communionem virtutum. Alii autem et Hebraica nomina superfantur, ut stupori sint, vel deterreant eos qui sacrantur, sic: Basyma cacabasa eanaa, irraumista diarbada, caeota bafobor camelanthi. Horum autem interpretatio est talis: Hoc quod est super omnem virtutem Patris invoco, quod vocatur lumen, et spiritus et vita: quoniam in corpore regnasti. Alii autem rursus redemptionem profantur sic: Nomen quod absconditum est ab universa deitate, et dominatione, et veritate, quod induit Jesus Nazarenus in zonis luminis, Christus Dominus viventis per Spiritum sanctum, in redemptionem angelicam. Nomen quod est restaurationis: Messia ufar magno in seenchaldia mosomeda, eaacha

faronepseha Jesu Nazarene. Et horum interpretatio est talis: Christi non divido spiritum, cor, et supercoelestem virtutem misericordem: fruar nomine tuo, Salvator veritatis. Et haec quidem profantur ipsi qui sacrant: qui autem sacratur, respondet: Confirmatus sum, et redemptus sum, et redimo animam meam ab aeone hoc et omnibus quae sunt ab eo in nomine Iao, qui redemit animam ejus, in redemptionem, in Christo vivente. Dehinc superfantur, qui astant: Pax omnibus, in quos hoc nomen requiescit. Post deinde ungunt sacratum opobalsamo. Unguentum enim hoc typum esse dicunt ejus suavitatis, quae sit super universa.

4. Quidam autem eorum adducere quidem ad aquam supervacuum esse dicunt; admiscentes autem oleum et aquam in unum, cum quibusdam profanis dictionibus, similibus quae praediximus, mittunt super eorum caput, qui sacrantur: et hoc esse redemptionem volunt; ungentes et ipsi opobalsamo. Alii autem haec omnia recusantes dicunt, non oportere inenarrabilis et invisibilis virtutis mysterium per visibiles et corruptibiles perfici creaturas: et ea quae mente concipi non possunt, et incorporalia, et insensibilia, per sensibilia et corporalia. Esse autem perfectam redemptionem, ipsam agnitionem inenarrabilis magnitudinis. Ea enim quae sunt de ignorantia labis, et passione facta, per agnitionem dissolvi universum ignorantiae statum: uti sit agnitio, redemptio interioris hominis. Et neque corporalem esse eam; corruptibile enim est corpus: neque animalem, quoniam et anima de labe est, spiritus

velut habitaculum: spiritalem ergo oportere et redemptionem esse. Redimi enim per agnitionem interiorem hominem spiritualem, et sufficere eis universorum agnitionem: et hanc esse redemptionem veram.

5. Alii sunt, qui mortuos redimunt ad finem defunctionis, mittentes eorum capitibus oleum et aquam, sive praedictum unguentum cum aqua, et supradictis invocationibus, ut incomprehensibiles et invisibiles principibus et potestatibus fiant, et ut superascendat super invisibilia interior ipsorum homo, quasi corpus quidem ipsorum in creatura mundi relinquatur, anima vero projiciatur Demiurgo. Et praecipiunt eis venientibus ad Potestates haec dicere, posteaquam mortui fuerint: Ego filius a Patre, Patris qui ante fuit, filius autem in eo qui ante fuit. Veni autem videre omnia, quae sunt mea et aliena; non autem aliena in totum, sed sunt Achamoth, quae est femina, et haec sibi fecit; deducit enim genus ex eo qui ante fuit; et eo rursus in mea, unde veni. Et haec dicentem evadere et effugere potestates dicunt. Venire quoque ad eos, qui sunt circa Demiurgum, et dicere eis: Vas ego sum pretiosum, magis quam femina quae fecit vos. Si mater vestra ignorat radicem suam, ego autem novi meipsum, et scio unde sim, et invoco incorruptibilem Sophiam, quae est in Patre, mater autem est matris vestrae, quae non habet patrem, neque conjugem: masculo-femina autem a femina nata effecit vos, ignorans et matrem suam, et putans seipsam esse solam: ego autem invoco ejus matrem. Haec autem eos, qui circa Demiurgum

sunt audientes, valde conturbari, et reprehendere suam radicem, et genus matris: ipsos autem abire in sua, projicientes nodos ipsorum, id est animam. Et de redemptione quidem ipsorum haec sunt quae quidem in nos venerunt. Cum autem discrepent ab invicem et doctrina, et traditione, et qui recentiores eorum agnoscuntur, affectant per singulos dies novum aliquid adinvenire, et fructificare, quod nunquam quisquam excogitavit; durum est omnium describere sententias.

CAPUT XXII

Quae regula veritatis, et in quo ab ea deflectant omnes haeretici.

1. Cum teneamus autem nos regulam veritatis, id est, quia sit unus Deus omnipotens; qui omnia condidit per Verbum suum, et aptavit, et fecit ex eo quod non erat, ad hoc ut sint omnia, quemadmodum Scriptura dicit: Verbo enim Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum; et iterum: Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil: (ex omnibus autem nihil subtractum est; sed omnia per ipsum fecit Pater, sive visibilia, sive invisibilia, sive sensibilia, sive intelligibilia, sive temporalia propter quamdam dispositionem, sive sempiterna, et aeonia) non per angelos, neque per virtutes aliquas abscissas ab ejus sententia; nihil enim indiget omnium Deus: sed et per Verbum et Spiritum suum omnia faciens, et disponens, et gubernans, et omnibus esse praestans: hic qui mundum fecit (etenim mundus ex omnibus), hic qui hominem plasmavit, hic Deus Abraham,

et Deus Isaac, et Deus Jacob, super quem alius Deus non est, neque Initium, neque Virtus, neque Pleroma: hic Pater Domini nostri Jesu Christi, quemadmodum ostendemus: hanc ergo tenentes regulam, licet valde varia et multa dicant, facile eos deviasse a veritate arguimus. Omnes enim fere quotquot sunt haereses, Deum quidem unum dicunt, sed per sententiam malam immutant, ingrati exsistentes ei, qui fecit eos, quemadmodum et gentes per idololatriam. Plasma autem Dei contemnunt, contradicentes suae saluti, ipsi sui accusatores amarissimi, et falsi testes exsistentes. Qui quidem resurgent in carne, licet nolint, uti agnoscant virtutem suscitantis eos a mortuis: cum justis autem non annumerabuntur, propter incredulitatem suam.

2. Cum sit igitur adversus omnes haereticos detectio atque convictio varia et multifaria, et nobis propositum est omnibus iis secundum ipsorum charactera contradicere, necessarium arbitrati sumus prius referre fontem et radicem eorum, uti sublimissimum ipsorum Bythum cognoscens, intelligas arborem, de qua defluxerunt tales fructus.

CAPUT XXIII

Simonis Magi et Menandri sententia et mores.

1. Simon enim Samarites, magus ille, de quo discipulus et sectator apostolorum Lucas ait: Vir quidam autem nomine Simon, qui ante erat in civitate magicam exercens artem, et seducens gentem Samaritanorum, dicens se esse aliquem magnum, quem auscultabant a pusillo usque

ad magnum, dicentes: Hic est virtus Dei, quae vocatur magna. Intuebantur autem eum, propter quod multo tempore magicis suis dementasset eos. Hic igitur Simon, qui fidem simulavit, putans apostolos et ipsos sanitates per magicam, et non virtute Dei perficere; et per impositionem manuum Spiritu sancto adimplere credentes Deo per eum, qui ab ipsis evangelizatur Christus Jesus, per majorem quamdam magicam scientiam et hoc suspicans fieri, et offerens pecuniam apostolis, ut acciperet et ipse hanc potestatem quibuscunque velit dandi Spiritum sanctum, audivit a Petro: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri: non est tibi pars, neque sors in sermone hoc: cor enim tuum non est rectum coram Deo. In felle enim amaritudinis, et obligatione injustitiae video te esse. Et cum adhuc magis non credidisset Deo, et cupidus intendit contendere adversus apostolos, uti et ipse gloriosus videretur esse, et universam magicam adhuc amplius scrutans, ita ut in stuporem cogeret multos hominum: quippe cum esset sub Claudio Caesare, a quo etiam statua honoratus esse dicitur propter magicam. Hic igitur a multis quasi Deus glorificatus est, et docuit semetipsum esse, qui inter Judaeos quidem quasi Filius apparuerit, in Samaria autem quasi Pater descenderit, in reliquis vero gentibus quasi Spiritus sanctus adventaverit. Esse autem se sublimissimam virtutem, hoc est, eum qui sit super omnia Pater, et sustinere vocari se quodcunque eum vocant homines.

2. Simon autem Samaritanus, ex quo universae haereses substiterunt, habet hujusmodi sectae materiam. Hic Helenam quamdam ipse a Tyro civitate Phoenices quaestuariam cum redemisset, secum circumducebat, dicens hanc esse primam mentis ejus conceptionem, matrem omnium, per quam initio mente concepit angelos facere et archangelos. Hanc enim Ennoiam exsilientem ex eo, cognoscentem quae vult pater ejus, degredi ad inferiora, et generare Angelos et Potestates, a quibus et mundum hunc factum dixit. Posteaquam autem generavit eos, haec detenta est ab ipsis propter invidiam, quoniam nollent progenies alterius cujusdam putari esse. Ipsum enim se in totum ignoratum ab ipsis: Ennoiam autem ejus detentam ab iis, quae ab ea emissae sunt Potestates et Angeli; et omnem contumeliam ab iis passam, uti non recurreret sursum ad suum patrem, usque adeo ut et in corpore humano includeretur, et per saecula veluti de vase in vas transmigraret in altera muliebria corpora. Fuisse autem eam et in illa Helena, propter quam Trojanum contractum est bellum: quapropter et Stesichorum per carmina maledicentem eam, orbatum oculis: post deinde poenitentem et scribentem eas, quae vocantur, palinodias, in quibus hymnizavit eam, rursus vidisse. Transmigrantem autem eam de corpore in corpus, ex eo et semper contumeliam sustinentem, in novissimis etiam in fornice prostitisse: et hanc esse perditam ovem.

3. Quapropter et ipsum venisse, uti eam assumeret primam, et liberaret eam a vinculis, homi-

nibus autem salutem praestaret per suam agnitionem. Cum enim male moderarentur Angeli mundum, quoniam unusquisque eorum concupisceret principatum, ad emendationem venisse rerum, et descendisse eum transfiguratum, et assimilatum Virtutibus, et Potestatibus, et Angelis: ut et in hominibus homo appareret ipse, cum non esset homo; et passum autem in Judaea putatum, cum non esset passus. Prophetas autem a mundi fabricatoribus Angelis inspiratos dixisse prophetias: quapropter nec ulterius curarent eos hi, qui in eum et in Helenam ejus spem habeant, et ut liberos agere quae velint: secundum enim ipsius gratiam salvari homines, sed non secundum operas justas. Nec enim esse naturaliter operationes justas, sed ex accidenti; quemadmodum posuerunt qui mundum fecerunt Angeli, per hujusmodi praecepta in servitutem deducentes homines. Quapropter et solvi mundum, et liberari eos, qui sunt ejus, ab imperio eorum qui mundum fecerunt, repromisit.

4. Igitur horum mystici sacerdotes libidinose quidem vivunt, magias autem perficiunt, quemadmodum potest unusquisque ipsorum. Exorcismis et incantationibus utuntur. Amatoria quoque et agogima, et qui dicuntur paredri et oniropompi, et quaecunque sunt alia perierga apud eos studiose exercentur. Imaginem quoque Simonis habent factam ad figuram Jovis, et Helenae in figuram Minervae, et has adorant: habent quoque et vocabulum a principe impiissimae sententiae Simone vocati Simoniani, a quibus

falsi nominis scientia accepit initia, sicut ex ipsis assertionibus eorum adest discere.

5. Hujus successor fuit Menander, Samarites genere, qui et ipse ad summum magiae pervenit. Qui primam quidem Virtutem incognitam ait omnibus; se autem eum esse, qui missus sit ab invisibilibus Salvatorem pro salute hominum. Mundum autem factum ab Angelis; quos et ipse, similiter ut Simon, ab Ennoia emissos dicit. Dare quoque per eam, quae a se doceatur, magiam, scientiam ad id, ut et ipsos, qui mundum fecerunt, vincat Angelos. Resurrectionem enim per id, quod est in eum baptisma, accipere ejus discipulos, et ultra non posse mori, sed perseverare non senescentes et immortales.

CAPUT XXIV

De Saturnino et Basilide.

1. Ex iis Saturninus, qui fuit ab Antiochia ea, quae est apud Daphnen, et Basilides, occasiones accipientes, distantes doctrinas ostenderunt: alter quidem in Syria, alter vero in Alexandria. Saturninus quidem, similiter ut Menander, unum Patrem incognitum omnibus ostendit, qui fecit Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates. A septem autem quibusdam Angelis mundum factum, et omnia quae in eo. Hominem autem Angelorum esse facturam, desursum a summa Potestate lucida imagine apparente, quam cum tenere non potuissent, inquit, eo quod statim recurrerit sursum, adhortati sunt semetipsos, dicentes: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem: qui cum factus esset, et non potuisset erigi

plasma, propter imbecillitatem Angelorum, sed quasi vermiculus scarizaret, miserantem ejus desuper Virtutem, quoniam in similitudinem ejus esset factus, emisisse scintillam vitae, quae erexit hominem, et articulavit, et vivere fecit.

Hanc igitur scintillam vitae post defunctionem recurrere ad ea, quae sunt ejusdem generis, dicit: et reliqua ex quibus facta sunt illa resolvi.

2. Salvatorem autem innatum demonstravit, et incorporalem, et sine figura, putative autem visum hominem: et Judaeorum Deum unum ex angelis esse dixit. Et propter hoc quod dissolvere voluerint Patrem ejus omnes principes, advenisse Christum ad destructionem Judaeorum Dei, et ad salutem credentium ei; esse autem hos, qui habent scintillam vitae ejus. Duo enim genera hic primus hominum plasmata esse ab Angelis dixit, alterum quidem nequam, alterum autem bonum. Et quoniam daemones pessimos adjuvant, venisse Salvatorem ad dissolutionem malorum hominum, et daemoniorum, ad salutem autem bonorum. Nubere autem et generare, a Satana dicunt esse. Multi autem ex iis, qui sunt ab eo, et ab animalibus abstinent, per fictam hujusmodi continentiam seducentes multos. Prophetias autem quasdam quidem ab iis Angelis, qui mundum fabricaverint, dictas; quasdam autem a Satana: quem et ipsum angelum adversarium mundi fabricatoribus ostendit, maxime autem Judaeorum Deo.

3. Basilides autem, ut altius aliquid et verisimilius invenisse videatur, in immensum extendit sententiam doctrinae suae, ostendens Nun pri-

mo ab innato natum Patre, ab hoc autem natum Logon, deinde a Logo Phronesin, a Phronesi autem Sophiam et Dynamin, a Dynami autem et Sophia Virtutes, et Principes, et Angelos, quos et primos vocat, et ab iis primum coelum factum. Dehinc ab horum derivatione alios autem factos, aliud coelum simile priori fecisse, et simili modo ex eorum derivatione cum alii facti essent, antitypi eis qui super eos essent, aliud tertium deformasse coelum: et a tertio deorsum descendentium quartum, et deinceps secundum eum modum alteros et alteros Principes et Angelos factos esse dicunt, et coelos trecentos sexaginta quinque. Quapropter et tot dies habere annum, secundum numerum coelorum.

4. Eos autem, qui posterius continent coelum, Angelos, quod etiam a nobis videtur, constituisse ea quae sunt in mundo omnia, et partes sibi fecisse terrae, et earum, quae super eam sunt, gentium. Esse autem principem ipsorum eum, qui Judaeorum putatur esse Deus. Et quoniam hic suis hominibus, id est Judaeis, voluit subjicere reliquas gentes, reliquos omnes principes contra stetisse ei et contra egisse. Quapropter et reliquae resiluerunt gentes ejus genti. Innatum autem et innominatum Patrem, videntem perditionem ipsorum, misisse primogenitum Nun suum (et hunc esse qui dicitur Christus), in libertatem credentium ei, a potestate eorum qui mundum fabricaverunt. Et gentibus ipsorum autem apparuisse eum in terra hominem, et virtutes perfecisse. Quapropter neque passum eum, sed Simonem quemdam Cyrenaeum angariatum portasse cru-

cem ejus pro eo: et hunc secundum ignorantiam et errorem crucifixum, transfiguratum ab eo, uti putaretur ipse esse Jesus: et ipsum autem Jesum Simonis accepisse formam, et stantem irrisisse eos. Quoniam enim virtus incorporalis erat, et Nus innati Patris, transfiguratum quemadmodum vellet, et sic ascendisse ad eum qui miserat eum, deridentem eos, cum teneri non posset, et invisibilis esset omnibus. Et liberatos igitur eos, qui haec sciant, a mundi fabricatoribus principibus: et non oportere confiteri eum qui sit crucifixus, sed eum qui in hominis forma venerit, et putatus sit crucifixus, et vocatus sit Jesus, et missus a Patre, uti per dispositionem hanc opera mundi fabricatorum dissolveret. Si quis igitur, ait, confitetur crucifixum, adhuc hic servus est, et sub potestate eorum qui corpora fecerunt: qui autem negaverit, liberatus est quidem ab iis, cognoscit autem dispositionem innati Patris.

5. Animae autem solae esse salutem: corpus enim natura corruptibile exsistit. Prophetias autem et ipsas a mundi fabricatoribus fuisse ait Principibus, proprie autem legem a Principe ipsorum, qui eduxerit populum de terra Aegypti. Contemnere autem et idolothyta, et nihil arbitrari, sed sine aliqua trepidatione uti eis: habere autem et reliquarum operationum usum indifferentem, et universae libidinis. Utuntur autem et hi magia, et imaginibus, et incantationibus, et invocationibus, et reliqua universa periergia: nomina quoque quaedam affingentes quasi Angelorum, annuntiant hos quidem esse in primo coelo, hos autem in secundo: et deinceps nitun-

tur trecentorum sexaginta quinque ementitorum coelorum et nomina, et principia, et Angelos, et Virtutes exponere. Quemadmodum et mundus nomen esse, in quo dicunt descendisse et ascendisse Salvatorem, esse Caulacau.

6. Igitur qui haec didicerit, et Angelos omnes cognoverit, et causas eorum, invisibilem et incomprehensibilem eum Angelis et Potestatibus universis fieri, quemadmodum et Caulacau fuisse. Et sicut Filium incognitum omnibus esse, sic et ipsos a nemine oportere cognosci; sed cum sciant ipsi omnes, et per omnes transeant, ipsos omnibus invisibiles et incognitos esse. Tu enim, aiunt, omnes cognosce, te autem nemo cognoscat. Quapropter et parati sunt ad negationem, qui sunt tales, imo magis ne pati quidem propter nomen possunt, cum sint omnibus similes. Non autem multos scire posse haec, sed unum a mille, et duo a myriadibus. Et Judaeos quidem jam non esse dicunt, Christianos autem nondum: et non oportere omnino ipsorum mysteria effari, sed in abscondito continere per silentium.

7. Trecentorum autem sexaginta quinque coelorum locales positiones distribuunt similiter ut mathematici. Illorum enim theoremata accipientes, in suum characterem doctrinae transtulerunt: esse autem principem illorum Ἀβράξας, et propter hoc trecentos sexaginta quinque numeros habere in se.

CAPUT XXV

De Carpocrate.

1. Carpocrates autem, et qui ab eo, mundum quidem et ea quae in eo sunt, ab Angelis multo inferioribus ingenito Patre factum esse dicunt. Jesum autem e Joseph natum, et cum similis reliquis hominibus fuerit, distasse a reliquis secundum id, quod anima ejus firma et munda cum esset, commemorata fuerit, quae visa essent sibi in ea circumlatione, quae fuisset ingenito Deo: et propter hoc ab eo missam esse ei virtutem, uti mundi fabricatores effugere posset, et per omnes transgressa, et in omnibus liberata, ascenderet ad eum: et eas, quae similia ei amplecterentur, similiter. Jesu autem dicunt animam in Judaeorum consuetudine nutritam contempsisse eos, et propter hoc virtutes accepisse, per quas evacuavit quae fuerunt in poenis passiones, quae inerant hominibus.

2. Eam igitur, quae similiter atque illa Jesu anima, potest contemnere mundi fabricatores archontas, similiter accipere virtutes ad operandum similia. Quapropter et ad tantum elationis provecti sunt, ut quidam quidem similes sese dicant Jesu: quidam autem adhuc et secundum aliquid illo fortiores, qui sunt distantes amplius quam illius discipuli, ut puta quam Petrus et Paulus, et reliqui apostoli: hos autem in nullo deminorari a Jesu. Animas enim ipsorum ex eadem circumlatione devenientes, et ideo similiter contemnentes mundi fabricatores, eadem dignas habitas esse virtute, et rursus in idem abire. Si quis autem plus quam ille contempserit ea quae sunt hic, posse meliorem quam illum esse.

3. Artes enim magicas operantur et ipsi, et incantationes, philtra quoque et charitesia, et paredros, et oniropompos, et reliquas malignationes, dicentes se potestatem habere ad dominandum jam principibus et fabricatoribus hujus mundi: non solum autem, sed et his omnibus, quae in eo sunt facta. Qui et ipsi ad detractionem divini Ecclesiae nominis, quemadmodum et gentes, a Satana praemissi sunt, uti secundum alium et alium modum, quae sunt illorum audientes homines, et putantes omnes nos tales esse, avertant aures suas a praeconio veritatis: aut et videntes quae sunt illorum, omnes nos blasphement, in nullo eis communicantes, neque in doctrina, neque in moribus, neque in quotidiana conversatione. Sed vitam quidem luxuriosam, sententiam autem impiam ad velamen malitiae ipsorum nomine abutuntur, quorum judicium justum est, recipientium dignam suis operibus a Deo retributionem.

4. Et in tantam insaniam effrenati sunt, uti et omnia quaecunque sunt irreligiosa et impia, in potestate habere, et operari se dicant. Sola enim humana opinione negotia mala et bona dicunt. Et utique secundum transmigrationes in corpora oportere in omni vita, et in omni actu fieri animas (si non praeoccupans quis in uno adventu omnia agat semel ac pariter, quae non tantum dicere et audire non est fas nobis, sed ne quidem in mentis conceptionem venire, nec credere si apud homines conversantes in his, quae sunt secundum nos civitates, tale aliquid agitatur) uti, secundum quod scripta eorum dicunt, in omni usu vitae

factae animae ipsorum, exeuntes in nihilo adhuc minus habeant ad operandum (autem) in eo: ne forte, propterea quod deest libertati aliqua res, cogantur iterum mitti in corpus. Propter hoc dicunt Jesum hanc dixisse parabolam: Cum es cum adversario tuo in via, da operam, ut libereris ab eo, ne forte te det judici, et judex ministro, et mittat te in carcerem. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. Et adversarium dicunt unum ex angelis, qui sunt in mundo, quem diabolum vocant, dicentes factum eum ad id, ut ducat eas, quae perierunt, animas a mundo ad principem (et hunc dicunt esse primum ex mundi fabricatoribus); et illum alterum angelo, qui ministrat ei, tradere tales animas, uti in alia corpora includat: corpus enim dicunt esse carcerem. Et id quod ait: Non exies inde, quoadusque novissimum quadrantem reddas, interpretantur, quasi non exeat quis a potestate angelorum eorum, qui mundum fabricaverunt; sic transcorporatum semper, quoadusque in omni omnino operatione, quae in mundo est, fiat: et cum nihil defuerit ei, tum liberatam ejus animam elevari ad illum Deum, qui est supra angelos mundi fabricatores. Sic quoque salvari et omnes animas, sive ipsae praeoccupantes in uno adventu in omnibus misceantur operationibus, sive de corpore in corpus transmigrantes, vel immissae in unaquaque specie vitae, adimplentes et reddentes debita liberari, uti jam non faciant in corpore.

5. Et si quidem fiant haec apud eos, quae sunt irreligiosa, et injusta, et vetita, ego nequa-

quam credam. In conscriptionibus autem illorum sic conscriptum est, et ipsi ita exponunt; Jesum dicentes in mysterio discipulis suis et apostolis seorsum locutum, et illos expostulasse, ut dignis et assentientibus seorsum haec traderent. Per fidem enim et charitatem salvari: reliqua vero, indifferentia cum sint, secundum opinionem hominum quaedam quidem bona, quaedam autem mala vocari, cum nihil natura malum sit.

6. Alii vero ex ipsis signant, cauteriantes suos discipulos in posterioribus partibus exstantiae dextrae auris. Unde et Marcellina, quae Romam sub Aniceto venit, cum esset hujus doctrinae, multos exterminavit. Gnosticos se autem vocant: et imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem et de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Christi factam a Pilato, illo in tempore quo fuit Jesus cum hominibus. Et has coronant, et proponunt eas cum imaginibus mundi philosophorum, videlicet cum imagine Pythagorae, et Platonis, et Aristotelis et reliquorum; et reliquam observationem circa eas, similiter ut gentes, faciunt.

CAPUT XXVI

De Cerintho, Ebionitis et Nicolaitis.

1. Et Cerinthus autem quidam in Asia, non a primo Deo factum esse mundum docuit, sed a Virtute quadam valde separata, et distante ab ea principalitate, quae est super universa, et ignorante eum, qui est super omnia, Deum. Jesum autem subjecit, non ex Virgine natum (impossibile enim hoc ei visum est); fuisse autem eum

Joseph et Mariae filium similiter ut reliqui omnes homines, et plus potuisse justitia et prudentia, et sapientia ab hominibus. Et post baptismum descendisse in eum, ab ea principalitate quae est super omnia, Christum figura columbae; et tunc annuntiasse incognitum Patrem, et virtutes perfecisse: in fine autem revolasse iterum Christum de Jesu, et Jesum passum esse, et resurrexisse; Christum autem impassibilem perseverasse, existentem spiritalem.

2. Qui autem dicuntur Ebionaei, consentiunt quidem mundum a Deo factum: ea autem, quae sunt erga Dominum, non similiter ut Cerinthus et Carpocrates opinantur. Solo autem eo quod est secundum Matthaeum, Evangelio utuntur, et apostolum Paulum recusant, apostatam eum legis dicentes. Quae autem sunt prophetica, curiosius exponere nituntur; et circumciduntur, ac perseverant in his consuetudinibus, quae sunt secundum legem, et Judaico charactere vitae, uti et Hierosolymam adorent, quasi domus sit Dei.

3. Nicolaitae autem magistrum quidem habent Nicolaum, unum ex vii qui primi ad diaconium ab apostolis ordinati sunt: qui indiscrete vivunt. Plenissime autem per Joannis Apocalypsin manifestantur qui sint, nullam differentiam esse docentes in moechando, et idolothyton edere. Quapropter dixit et de iis sermo: Sed hoc habes quod odisti opera Nicolaitarum, quae et ego odi.

CAPUT XXVII

De Cerdone et Marcione.

1. Et Cerdon autem quidam ab iis qui sunt erga Simonem occasionem accipiens, cum venisset Romam sub Hygino, qui octavum locum episcopatus per successionem ab apostolis habuit, docuit eum qui a lege et prophetis annuntiatus sit Deus, non esse Patrem Domini nostri Jesu Christi. Hunc enim cognosci, illum autem ignorari: et alterum quidem justum, alterum autem bonum esse.

2. Succedens autem ei Marcion Ponticus adampliavit doctrinam, impudorate blasphemans eum, qui a lege et prophetis annuntiatus est Deus; malorum factorem, et bellorum concupiscentem, et inconstantem quoque sententia, et contrarium sibi ipsum dicens. Jesum autem ab eo Patre, qui est super mundi fabricatorem Deum, venientem in Judaeam temporibus Pontii Pilati praesidis, qui fuit procurator Tiberii Caesaris, in hominis forma manifestatum his qui in Judaea erant, dissolventem prophetas et legem, et omnia opera ejus Dei, qui mundum fecit, quem et Cosmocratorem dicit. Et super haec, id quod est secundum Lucam Evangelium circumcidens, et omnia quae sunt de generatione Domini conscripta auferens, et de doctrina sermonum Domini multa auferens, in quibus manifestissime conditorem hujus universitatis suum Patrem confitens Dominus conscriptus est; semetipsum esse veraciorem, quam sunt hi, qui Evangelium tradiderunt, apostoli, suasit discipulis suis; non Evangelium, sed particulam Evangelii tradens eis. Similiter autem et apostoli Pauli Epistolas abscidit, auferens quaecunque manifeste dicta

sunt ab Apostolo de eo Deo, qui mundum fecit, quoniam hic Pater Domini nostri Jesu Christi, et quaecunque ex propheticis memorans Apostolus docuit, praenuntiantibus adventum Domini.

3. Salutem autem solum animarum esse futuram, earum quae ejus doctrinam didicissent, corpus autem, videlicet quoniam a terra sit sumptum, impossibile esse participare salutem. Super blasphemiam autem quae est in Deum, adjecit et hoc, vere diaboli os accipiens, et omnia contraria dicens veritati: Cain, et eos qui similes sunt ei, et Sodomitas, et Aegyptios, et similes eis, et omnes omnino gentes, quae in omni permistione malignitatis ambulaverunt, salvatas esse a Domino, cum descendisset ad inferos, et accucurrissent ei, et in suum assumpsisse regnum: Abel autem, et Enoch, et Noe, et reliquos justos, et eos qui sunt erga Abraham patriarcham, cum omnibus prophetis, et his qui placuerunt Deo, non participasse salutem, qui in Marcione fuit serpens praeconavit. Quoniam enim sciebant, inquit, Deum suum semper tentantem eos; et tunc tentare eum suspicati, non accucurrerunt Jesu, neque crediderunt annuntiationi ejus: et propterea remansisse animas eorum apud inferos dixit.

4. Sed huic quidem, quoniam et solus manifeste ausus est circumcidere Scripturas, et impudorate super omnes obtrectare Deum, seorsum contradicemus, ex ejus scriptis arguentes eum; et ex iis sermonibus, qui apud eum observati sunt, Domini et Apostoli, quibus ipse utitur, eversionem ejus faciemus, praestante Deo. Nunc autem necessario meminimus ejus, ut scires

quoniam omnes qui quoquo modo adulterant veritatem, et praeconium Ecclesiae laedunt, Simonis Samaritani Magi discipuli et successores sunt. Quamvis non confiteantur nomen magistri sui, ad seductionem reliquorum; attamen illius sententiam docent: Christi quidem Jesu nomen tanquam irritamentum proferentes, Simonis autem impietatem varie introducentes, mortificant multos, per nomen bonum sententiam suam male disperdentes, et per dulcedinem et decorem nominis, amarum et malignum principis apostasiae serpentis venenum porrigentes eis.

CAPUT XXVIII

De Tatiano, et Continentibus, ac aliis quibusdam.

1. Ab his autem, qui praedicti sunt, jam multae propagines multarum haeresum factae sunt, eo quod multi ex ipsis, imo omnes velint doctores esse, et abscedere quidem ab haeresi in qua fuerunt, aliud autem dogma ab alia sententia, et deinceps alteram ab altera componentes, nove docere insistunt, semetipsos adinventores sententiae, quamcunque compegerint, enarrantes. Ut exempli gratia dicamus: a Saturnino et Marcione, qui vocantur Continentes, abstinentiam a nuptiis annuntiaverunt, frustrantes antiquam plasmationem Dei, et oblique accusantes eum, qui et masculum et feminam ad generationem hominum fecit: et eorum quae dicuntur apud eos animalia abstinentiam induxerunt, ingrati existentes ei, qui omnia fecit, Deo. Contradicunt quoque ejus saluti, qui primus plasmatus est: et

hoc nunc adinventum est apud eos, Tatiano quodam primo hanc introducente blasphemiam. Qui cum esset Justini auditor, in quantum quidem apud eum erat nihil enarravit tale: post vero illius martyrium absistens ab Ecclesia et praesumptione magistri elatus et inflatus, quasi prae caeteris esset, proprium characterem doctrinae constituit: Aeonas quosdam invisibiles, similiter atque hi qui a Valentino sunt, velut fabulam enarrans: nuptiarum autem corruptelas et fornicationes, similiter ut Marcion et Saturninus, dicens; Adae autem saluti ex se contradictionem faciens.

2. Alii autem rursus a Basilide et Carpocrate occasiones accipientes, indifferentes coitus, et multas nuptias induxerunt, et negligentiam ipsorum, quae sunt idolothyta, ad manducandum; non valde haec curare dicentes Deum. Et quid enim? non est numerum dicere eorum, qui secundum alterum et alterum modum exciderunt a veritate.

CAPUT XXIX

De variis Gnosticorum sectis, ac primo de Barbeliotis, seu Borborianis.

1. Super hos autem ex his, qui praedicti sunt Simoniani, multitudo Gnosticorum, Barbelo exsurrexit, et velut a terra fungi manifestati sunt, quorum principales apud eos sententias enarramus. Quidam enim eorum Aeonem quemdam nunquam senescentem in virginali spiritu subjiciunt, quem Barbelon nominant. Ubi esse patrem quemdam innominabilem dicunt; voluisse autem hunc manifestare se ipsi Barbeloni.

Ennoeam autem hanc progressam stetisse in conspectu ejus, et postulasse Prognosin. Cum prodiisset autem et Prognosis, his rursum petentibus prodiit Incorruptela, post deinde Vita aeterna; in quibus gloriantem Barbelon, et prospicientem in magnitudine et conceptu, delectatam in hanc generasse simile ei lumen. Hanc initium et luminationis, et generationis omnium dicunt; et videntem Patrem lumen hoc, unxisse illud sua benignitate, ut perfectum fieret. Hunc autem dicunt esse Christum: qui rursus postulat, quemadmodum dicunt, adjutorium sibi dari Nun; et progressus est Nus. Super haec autem emittit Pater Logon. Conjugationes autem fient Ennoiae et Logi, et Aphtharsias et Christi: et aeonia autem Zoe Thelemati conjuncta est, et Nus Prognosi. Et magnificabant hi magnum lumen et Barbelon.

2. Post deinde de Ennoia et de Logo Autogenem emissum dicunt, ad repraesentationem magni luminis; et valde honorificatum dicunt, et omnia huic subjecta. Coemissam autem ei Alethiam, et esse conjugationem Autogenus et Alethiae. De lumine autem, quod est Christus, et de incorruptela, quatuor emissa luminaria ad circumstantiam Autogeni dicunt; et de Thelemate rursus et aeonia Zoe quatuor emissiones factas, ad subministrationem quatuor luminaribus, quas nominant, Charin, Thelesin, Synesin, Phronesin. Et Charin quidem magno et primo luminario adjunctam; hunc autem esse Sotera volunt, et vocant eum Harmogenes: Thelesin autem secundo, quem et nominant Raguel: Synesin

autem tertio luminario, quem vocant David: Phronesin autem quarto, quem nominant Eleleth.

3. Confirmatis igitur sic omnibus, super haec emittit Autogenes hominem perfectum et verum, quem et Adamantem vocant: quoniam neque ipse domatus est, neque ii ex quibus erat, qui et remotus est cum primo lumine ab Harmoge. Emissam autem cum homine ab Autogene agnitionem perfectam, et conjunctam ei (unde et hunc agnovisse eum qui est super omnia): virtutem quoque ei invictam datam a virginali spiritu: et refrigerant in hoc omnia hymnizare magnum Aeona. Hinc autem dicunt manifestatam Matrem, Patrem, Filium: ex Anthropo autem et Gnosi natum lignum, quod et ipsum Gnosim vocant.

4. Deinde ex primo angelo, qui adstat Monogeni, emissum dicunt Spiritum sanctum, quem et Sophiam et Prunicum vocant. Hunc igitur videntem reliqua omnia conjugationem habentia, se autem sine conjugatione, quaesisse cui adunaretur: et cum non inveniret, asseverabat, et extendebatur, et prospiciebat ad inferiores partes, putans hic invenire conjugem: et non inveniens exsiliit, taediata quoque, quoniam sine bona voluntate Patris impetum fecerat. Post deinde simplicitate et benignitate acta generavit opus, in quo erat ignorantia et audacia. Hoc autem opus ejus esse Proarchontem dicunt, fabricatorem conditionis hujus: virtutem autem magnam abstulisse eum a matre narrant, et abstitisse ab ea in inferiora, et fecisse firmamentum coeli, in quo et habitare dicunt eum. Et cum sit ignorantia, fe-

cisse eas, quae sunt sub eo, potestates, et angelos, et firmamenta, et terrena omnia. Deinde dicunt adunitum eum authadiae, generasse kakian, zelon, et phthonum, et erinnyn, et epithymiam. Generatis autem his, mater Sophia contristata refugit, et in altiora secessit, et fit deorsum numerantibus octonatio. Illa igitur secedente, se solum opinatum esse, et propter hoc dixisse: Ego sum Deus zelator, et praeter me nemo est. Et hi quidem talia mentiuntur.

CAPUT XXX

De Ophitis et Sethianis.

1. Alii autem rursus portentuosa loquuntur, esse quoddam primum lumen in virtute Bythi, beatum, et incorruptibile, et interminatum: esse autem hoc Patrem omnium, et invocari primum hominem. Ennoeam autem ejus progredientem, filium dicunt emittentis, et esse hanc filium hominis, secundum hominem. Sub his autem Spiritum sanctum esse, et sub superiori spiritu segregata elementa, aquam, tenebras, abyssum, chaos, super quae ferri Spiritum dicunt, primam feminam eum vocantes. Postea, dicunt, exsultante primo homine cum filio suo super formositatem Spiritus, hoc est, feminae, et illuminante eam, generavit ex ea lumen incorruptibile, tertium masculum, quem Christum vocant, filium primi et secundi hominis, et Spiritus sancti, primae feminae.

2. Concumbentibus autem patre et filio feminae, quam et matrem viventium dicunt, cum [autem] non potuisset portare, nec capere magni-

tudinem luminum, superrepletam et superebullientem secundum sinisteriores partes dicunt: et sic quidem filium eorum solum Christum, quasi dextrum, et in superiora allevatitium, arreptum statim cum matre in incorruptibilem Aeonem. Esse autem hanc et veram, et sanctam Ecclesiam, quae fuerit appellatio, et conventio, et adunatio Patris omnium primi hominis, et Filii secundi hominis, et Christi filii eorum, et praedictae feminae.

3. Virtutem autem, quae superebulliit ex femina, habentem humectationem luminis, a patribus decidisse deorsum docent, sua autem voluntate habentem humectationem luminis: quam et sinistram, et Prunicon, et Sophiam, et masculofeminam vocant. Et descendentem simpliciter in aquas, cum essent immobiles, et movisse quoque eas, petulanter agentem usque ad abyssos: et assumpsisse ex eis corpus. Humectationi enim luminis ejus omnia accurrisse, et adhaesisse dicunt, et circumtenuisse eam: quam nisi habuisset, tota absorpta fortasse fuisset et demersa a materia. Deligatam igitur hanc a corpore, quod erat a materia, et valde gravatam resipisse aliquando, et conatam esse fugere aquas, et ascendere ad matrem: non potuisse eam autem propter gravedinem circumpositi corporis. Valde autem male se habentem, machinatam esse abscondere illud, quod erat desuper, lumen; timentem ne et ipsum laederetur ab inferioribus elementis, quemadmodum et ipsa. Et cum virtutem accepisset ab humectatione ejus, quod erat secundum eam lumen, resiliit, et in sublimitatem elata est: et

facta in alto dilatavit, et cooperuit, et fecit coelum hoc, quod apparet, a corpore ejus; et remansit sub coelo quod fecit, adhuc habens aquatilis corporis typum. Cum accepisset concupiscentiam superioris luminis, et virtutem sumpsisset per omnia, deposuisse corpus et liberatam ab eo. Corpus autem hoc exuisse dicunt eam, feminam a femina nominant.

4. Et filium autem ejus dicunt habuisse et ipsum adspirationem quamdam in se incorruptelae a matre relictam ei, per quam operatur, et potens factus emisit et ipse, sicut dicunt, ab aquis filium sine matre: neque enim cognovisse matrem eum volunt. Et filium ejus, secundum patris imitationem, alterum emisisse filium. Hic quoque tertius quartum generavit, et quartus et ipse generavit filium; de quinto sextum filium generatum dicunt; et sextus septimum generavit. Sic quoque hebdomada perfecta est apud eos, octavum matre habente locum: et quemadmodum generationibus, sic et dignitatibus, et virtutibus praecedere eos ab invicem.

5. Et nomina autem mendacio suo talia posuerunt: eum enim qui a matre primus sit, Ialdabaoth vocari: eum autem qui sit ab eo, Iao; et qui ab eo, Sabaoth magnum; quartum autem Adoneum, et quintum Eloeum, et sextum Horeum, septimum autem et novissimum omnium Astaphaeum. Hos autem coelos, et areothas, et Virtutes, et Angelos, et conditores subjiciunt per ordinem sedentes in coelo, secundum generationem ipsorum, non apparentes, regere quoque coelestia et terrestria: primo ipsorum Ialdabaoth

contemnente matrem, in eo quod filios et nepotes sine ullius permissu fecerit, adhuc etiam Angelos, et Archangelos, et Virtutes, et Potestates, et Dominationes. Quibus factis ad litem et jurgium adversus eum conversos esse filios ejus de principatu; propter quae contristatum Ialdabaoth, et desperantem, conspexisse in subjacentem faecem materiae, et consolidasse concupiscentiam suam in eam, unde natum filium dicunt (hunc autem ipsum esse Nun in figura serpentis contortum): dehinc et Spiritum, et animam, et omnia mundialia: inde generatam omnem oblivionem, et malitiam, et zelum, et invidiam, et mortem. Hunc autem serpentiformem et contortum Nun eorum adhuc magis evertisse Patrem dicunt tortuositate, cum esset cum Patre ipsorum in coelo et in paradiso.

6. Unde exsultantem Ialdabaoth, in omnibus his quae sub eo essent gloriatum, et dixisse: Ego Pater, et Deus, et super me nemo. Audientem autem matrem clamasse adversus eum: Noli mentiri, Ialdabaoth: est enim super te Pater omnium primus Anthropus, et Anthropus filius Anthropi. Conturbatis autem omnibus ad novam vocem, et inopinabili nuncupatione, et quaerentibus unde clamor; ad advocandos eos, et ad se seducendum, dixisse Ialdabaoth dicunt: Venite, faciamus hominem ad imaginem nostram. Sex autem Virtutes audientes haec, matre dante illis excogitationem hominis, uti per eum evacuet eos a principali Virtute, convenientes formaverunt hominem immensum latitudine et longitudine: scarizante autem eo tantum, advexerunt eum patri suo, et

hoc Sophia operante, uti et illum evacuet ab humectatione luminis, uti non posset erigi adversus eos, qui sursum sunt, habens virtutem. Illo autem insufflante in hominem spiritum vitae, latenter evacuatum eum a virtute dicunt: hominem autem inde habuisse Nun, et Enthymesin [et haec esse quae salvantur, dicunt], et statim gratias agere eum primo homini, relictis fabricatoribus.

7. Zelantem autem Ialdabaoth voluisse excogitare evacuare hominem per feminam, et de sua Enthymesi eduxisse feminam, quam illa Prunicos suscipiens invisibiliter evacuavit a virtute. Reliquos autem venientes et mirantes formositatem ejus, vocasse eam Evam, et concupiscentes hanc, generasse ex ea filios, quos et angelos esse dicunt. Mater autem ipsorum argumentata est per serpentem seducere Evam et Adam, supergredi praeceptum Ialdabaoth: Eva autem quasi a filio Dei hoc audiens, facile credidit, et Adam suasit manducare de arbore, de qua dixerat Deus, non manducare. Manducantes autem eos cognovisse eam, quae est super omnia, virtutem dicunt, et abscessisse ab his, qui fecerant eos. Prunicum autem videntem, quoniam et per suum plasma victi sunt, valde gratulatum, et rursum exclamasse, quoniam, cum esset Pater incorruptibilis, olim hic semetipsum vocans Patrem, mentitus est: et cum homo olim esset et prima femina, et haec adulterans peccavit.

8. Ialdabaoth autem propter eam, quae circa eum erat oblivionem, ne quidem intendentem ad haec, projecisse Adam et Evam de paradiso, quoniam transgressi erant praeceptum ejus. Voluisse

enim filios ei ex Eva generari, et non adeptum esse, quoniam mater sua in omnibus contrairet ei, et latenter evacuans Adam et Evam ab humectatione luminis, uti neque maledictionem participaret, neque opprobrium, is qui esset a principalitate Spiritus. Sic quoque vacuos a divina substantia factos, maledictos esse ab eo, et dejectos a coelo in hunc mundum docent. Sed et serpentem adversus patrem operantem dejectum ab eo in deorsum mundum; in potestatem autem suam redigentem angelos, qui hic sunt, et ipsum sex filios generasse, septimo ipso exsistente ad imitationem ejus, quae circa Patrem est, hebdomadis. Et hos septem daemonas mundiales esse dicunt, adversantes et resistentes semper generi humano, quoniam propter eos pater illorum projectus est deorsum.

9. Adam autem et Evam prius quidem habuisse levia et clara, et velut spiritalia corpora, quemadmodum et plasmati sunt; venientes autem huc, demutasse in obscurius, et pinguius, et pigrius; sed et animam dissolutam et languidam, quippe a factore tantummodo insufflationem mundialem habentes: quoadusque Prunicos miserata eorum, reddidit eis odorem suavitatis humectationis luminis, per quam in commemorationem venerunt suam ipsorum, et cognoverunt semetipsos nudos, et corporis materiam; et cognoverunt, quoniam mortem bajulant; et magnanimes exstiterunt, cognoscentes quoniam ad tempus corpus circumdatum est eis: et escas quoque invenisse eos, praeeunte eis Sophia, et satiatos coisse invicem carnaliter, et generasse

Caïn, quem dejectibilis serpens cum filiis suis statim suscipiens evertit, et adimplevit mundialia oblivione, in stultitiam et audaciam immittens, ita ut et dum fratrem suum Abel occideret, primus zelum et mortem ostenderit. Post quos secundum providentiam Prunici dicunt generatum Seth; post Noream: ex quibus reliquam multitudinem hominum generatam dicunt, et ab inferiori hebdomade in omnem malitiam immissam, et apostasiam superiorem sanctae hebdomadae, et idololatriam, et reliquam universam contemptionem, cum contraria eis esset semper mater invisibiliter, et proprium salvaret, hoc est humectationem luminis. Sanctam autem hebdomadam septem stellas, quas dicunt planetas, esse volunt; et projectibilem serpentem duo habere nomina, Michael, et Samael, dicunt.

10. Iratum autem Ialdabaoth hominibus, quoniam eum non colebant, neque honorificabant quasi Patrem et Deum, diluvium eis induxisse, ut omnes simul perderet. Contra stante autem et hic Sophia, salvatos eos esse qui circa Noe erant in arca, propter humectationem illius luminis quod ab ea erat, per quam iterum adimpletum esse mundum hominibus: ex quibus quemdam Abraham elegisse ipsum Ialdabaoth, et testamentum posuisse ad eum, si perseveraverit semen ejus serviens ei, dare ei haereditatem terrae. Post per Moysen eduxisse eos ex Aegypto, qui ab Abraham essent, et dedisse eis Legem, et fecisse eos Judaeos: ex quibus elegisse septem dies, quos et sanctam hebdomadam vocant, et unusquisque eorum suum praeconem ad semet gloriandum, et Deum

annuntiandum: uti et reliqui audientes glorias, servirent et ipsi his, qui a prophetis annuntiarentur dii.

11. Sic autem prophetas distribuunt: hujus quidem Ialdabaoth Moysen fuisse, et Jesum Nave, et Amos, et Abacuc; illius autem Iao, Samuel, et Nathan, et Jonam, et Michaeam; illius autem Sabaoth, Heliam, et Joel, et Zachariam; illius autem Adonei, Esaiam, et Ezechiel, et Jeremiam, et Daniel; illius autem Eloei, Tobiam, et Aggaeum; illius autem Horei, Michaeam, et Nahum; illius autem Astaphaei, Hesdram et Sophoniam. Horum igitur unusquisque glorificans suum patrem et Deum. Sophiam et ipsam per eos multa locutam esse de primo homine, et incorruptibili Aeone, et de illo Christo, qui sit sursum, dicunt, praemonentem et rememorantem homines in incorruptibile lumen, et in primum hominem, et de descensione Christi: in quibus conterritis principibus, et admirantibus novitatem in his, quae a prophetis annuntiabantur, operatam esse Prunicum per Ialdabaoth nescientem quid faciat, duorum hominum factas esse emissiones; alterum quidem de sterili Elizabeth, alterum autem ex Maria virgine.

12. Et quoniam non haberet eadem ipsa requiem, neque in coelo, neque in terra, contristatam invocasse in adjutorium matrem. Mater autem ejus, prior femina, miserata est super poenitentia filiae, et postulavit a primo homine adjutorium ei mitti Christum; qui et descendit emissus ad sororem suam, et ad humectationem luminis. Cognoscentem autem eam, quae deor-

sum est, Sophiam, descendere ad fratrem ejus, et annuntiasse ejus adventum per Joannem, et praeparasse baptismum poenitentiae, et ante adaptasse Jesum: uti descendens Christus inveniat vas mundum, et uti per filium ejus Ialdabaoth femina a Christo annuntiaretur. Descendisse autem eum per septem coelos, assimilatum filiis eorum dicunt, et sensim eorum evacuasse virtutem. Ad ipsum enim universam humectationem luminis concurrisse dicunt, et descendentem Christum in hunc mundum, induisse primum sororem suam Sophiam, et exsultasse utrosque refrigerantes super invicem: et hoc esse sponsum et sponsam definiunt. Jesum autem, quippe ex Virgine per operationem Dei generatum, sapientiorem, et mundiorem, et justiorem hominibus omnibus fuisse: Christum perplexum Sophiae descendisse, et sic factum esse Jesum Christum.

13. Multos igitur ex discipulis ejus non cognovisse Christi descensionem in eum dicunt: descendente autem Christo in Jesum, tunc coincepisse virtutes perficere, et curare, et annuntiare incognitum Patrem, et se manifeste filium primi hominis confiteri. In quibus irascentes principes, et patrem Jesu, operatos ad occidendum eum: et in eo cum adduceretur, ipsum quidem Christum cum Sophia abstitisse in incorruptibilem Aeonem dicunt; Jesum autem crucifixum: non autem oblitum suum Christum, sed misisse desuper virtutem quamdam in eum, quae excitavit eum in corpore: quod et corpus animale et spirituale vocant; mundialia enim remisisse eum in mundo. Videntes autem discipuli resurrexisse eum, non

eum cognoverunt, sed ne ipsum quidem Jesum, cujus gratia a mortuis resurrexit. Et hunc maximum errorem inter discipulos ejus fuisse dicunt, quoniam putarent eum in corpore mundiali resurrexisse, ignorantes quoniam caro et sanguis regnum Dei non apprehendunt.

14. Confirmare autem volunt descensionem Christi et ascensionem ex eo, quod neque ante baptismum, neque post resurrectionem a mortuis, aliquid magni fecisse Jesum dicunt discipuli, ignorantes adunitum esse Jesum Christo, et incorruptibilem Aeonem hebdomadali, et mundiale corpus animale dicunt. Remoratum autem eum post resurrectionem xviii mensibus, et sensibilitate in eum descendente didicisse quod liquidum est: et paucos ex discipulis suis, quos sciebat capaces tantorum mysteriorum, docuit haec; et sic receptus est in coelum, Christo sedente ad dexteram patris Ialdabaoth: uti animas eorum qui cognoverunt eos, post depositionem mundialis carnis recipiat in se, ditans semetipsum, Patre ejus ignorante, sed ne vidente quidem eum: uti in quantum Jesus semetipsum ditat in sanctis animabus, in tantum Pater ejus in detrimentis factus deminoretur, evacuatus a virtute sua per animas. Jam enim non habiturum eum animas sanctas, ut rursus demittat eas in saeculum, sed tantum eas quae sunt ex substantia ejus, id est quae sunt ex insufflatione. Consummationem autem futuram, quando tota humectatio spiritus luminis colligatur, et abripiatur in Aeonem incorruptibilitatis.

15. Tales quidem secundum eos sententiae sunt: a quibus, velut Lernaea hydra, multiplex capitibus fera de Valentini schola generata est.

Quidam enim ipsam Sophiam serpentem factam dicunt: quapropter et contrariam exstitisse factori Adae, et agnitionem hominibus immisisse, et propter hoc dictum serpentem omnium sapientiorem. Sed et propter positionem intestinorum nostrorum, per quae esca infertur, eo quod talem figuram habeant, ostendentem absconsam generatricem serpentis figurae substantiam in nobis.

CAPUT XXXI

De Caianis.

1. Alii autem rursus Cain a superiore principalitate dicunt; et Esau, et Core, et Sodomitas, et omnes tales cognatos suos confitentur; et propter hoc a factore impugnatos, neminem ex eis male acceptos. Sophia enim illud, quod proprium ex ea erat, abripiebat ex eis ad semetipsam. Et haec Judam proditorem diligenter cognovisse dicunt, et solum prae caeteris cognoscentem veritatem, perfecisse proditionis mysterium: per quem et terrena et coelestia omnia dissoluta dicunt. Et confictionem afferunt hujusmodi, Judae Evangelium illud vocantes.

2. Jam autem et collegi eorum conscriptiones, in quibus dissolvere opera Hysterae adhortantur; Hysteram autem fabricatorem coeli et terrae vocant: nec enim aliter salvari eos nisi per omnia eant, quemadmodum et Carpocrates dixit. Et in unoquoque peccatorum et turpium operationum

angelum assistere, et operantem audire audaciam et immunditiam inferre, id quod inest ei operationi, Angeli nomine dicere: O tu, Angele, abutor opere tuo: O tu, illa Potestas, perficio tuam operationem. Et hoc esse scientiam perfectam, sine timore in tales abire operationes, quas ne nominare quidem fas est.

3. A talibus matribus, et patribus, et proavis eos, qui a Valentino sint, sicut ipsae sententiae et regulae ostendunt eos, necessarium fuit manifeste arguere, et in medium afferre dogmata ipsorum, si qui forte ex iis poenitentiam agentes, et convertentes ad unum solum conditorem, et Deum factorem universitatis, salvari possint: reliqui autem non jam abstrahantur a prava, quasi verisimili, suasione eorum, putantes majus et aliquid altius ab iis scituros se mysterium: sed a nobis bene discentes quae ab illis male docentur, derideant quidem doctrinam eorum; illorum autem misereantur, qui adhuc in his tam miserrimis et instabilibus fabulis tantam elationem assumpserunt, ut meliores semetipsos reliquis propter talem agnitionem, imo ignorantiam, arbitrentur. Delectatio autem eorum haec est, sive adversus eos victoria est, sententiae eorum manifestatio.

4. Quapropter conati sumus nos universum male compositae vulpeculae hujus corpusculum in medium producere, et per te facere manifestum. Jam enim non multis opus erit sermonibus ad evertendum doctrinam eorum, manifestam omnibus factam. Quemadmodum bestiae alicujus in silva absconditae et inde impetum facientis, et multos vastantis; qui segregat et denudat

silvam, et ad visionem adduxit ipsam feram, jam non elaboravit ad capiendam, videntes quoniam ea fera fera est: ipsis enim adest videre et cavere impetus ejus, et jaculari undique, et vulnerare, et interficere vastatricem illam bestiam. Sic et nobis, cum in manifestum redegerimus eorum abscondita, et apud se tacita mysteria, jam non erit necessarium multis eorum destruere sententiam. Adest enim et tibi, et omnibus qui tecum sunt, ad haec quae praedicta sunt exerceri, et evertere nequam ipsorum doctrinas, et inconditas, et apta veritati ostendere dogmata. Cum igitur haec sic se habeant, quatenus promisi, secundum nostram virtutem inferemus eversionem ipsorum, omnibus eis contradicentes in sequenti libro (enarratio enim in longum pergit, ut vides); et viatica quoque dabimus ad eversionem ipsorum, occurrentes omnibus sententiis secundum narrationis ordinem: ut simus non tantum ostendentes, sed et vulnerantes undique bestiam.

Liber secundus

Praefatio

1. In primo quidem libro, qui ante hunc est, arguentes falsi nominis agnitionem, ostendimus tibi, dilectissime, omne ab his, qui sunt a Valentino, per multos et contrarios modos adinventum esse falsiloquium; etiam sententias exposuimus eorum, qui priores exstiterunt, discrepantes eos sibimetipsis ostendentes, multo autem prius ipsi veritati. Et Marci quoque magi sententiam, cum sit ex his, cum operibus ejus omni diligentia exposuimus: et quanta ex Scripturis eligentes, adaptare conantur fictioni suae, diligenter retulimus: et quonam modo per numeros, et per viginti quatuor elementa alphabeti, veritatem affirmare, conantur et audent, minutatim perexivimus. Et quemadmodum conditionem secundum imaginem invisibilis apud eos Pleromatis factam dicunt, et quanta de Demiurgo sentiunt ac docent, renuntiavimus; et progenitoris ipsorum doctrinam, Simonis Magi Samaritani, et omnium eorum, qui successerunt ei, manifestavimus. Diximus quoque multitudinem eorum, qui sunt ab eo Gnostici; et differentias ipsorum, et doctrinas, et successiones adnotavimus; quaeque ab eis haereses institutae sunt, omnes exposuimus. Et quoniam omnes a Simone haeretici initia sumen-

tes, impia et irreligiosa dogmata induxerunt in hanc vitam, ostendimus; et redemptionem ipsorum, et quomodo initiant eos qui perficiuntur, et affationes eorum, et mysteria manifestavimus; et quia unus Deus conditor, et quia non postremitatis fructus, et quia neque super illum, neque post eum est aliquid.

2. In hoc autem libro instruemus quae nobis apta sunt, et quae permittit tempus, et evertemus per magna capitula omnem ipsorum regulam: quapropter quod sit detectio et eversio sententiae ipsorum, operis hujus conscriptionem ita titulavimus. Oportet enim absconditas ipsorum conjugationes, per manifestarum conjugationum indicium et eversionem, Bythum dissolvere; et quoniam neque fuerit aliquando, neque sit, accipere ostensionem.

CAPUT PRIMUM

Deum unum esse, nec supra aut infra eum, alium Deum, vel Principium, aut Pleroma, aut Potestatem esse posse.

1. Bene igitur habet a primo, et maximo capitulo inchoare nos, a Demiurgo Deo, qui fecit coelum et terram, et omnia quae in eis sunt, quem ii blasphemantes extremitatis fructum dicunt, et ostendere, quoniam neque super eum, neque post eum est aliquid: neque ab aliquo motus, sed sua sententia et libere fecit omnia, cum sit solus Deus, et solus Dominus, et solus conditor, et solus Pater, et solus continens omnia, et omnibus, ut sint, ipse praestans.

2. Quemadmodum enim poterit super hunc alia Plenitudo, aut Initium, aut Potestas, aut alius Deus esse: cum oporteat Deum horum omnium Pleroma in immenso omnia circumcontinere, et circumcontineri a nemine? Si autem extra illum est aliquid, jam non omnium est Pleroma, neque continet omnia. Deerit enim Pleromati, aut ei qui sit super omnia Deo, hoc quod extra eum dicunt. Quod autem deest, et delibatum est ab aliquo, hoc non est omnium Pleroma. Et terminum autem, et medietatem, et finem habebit ad eos qui sunt extra eum. Si autem finis est in ea quae sunt deorsum, initium est et in ea quae sunt sursum. Similiter autem et ex reliquis partibus necessitas est omnis id ipsum experiri, et ab eis qui foris sunt contineri, et determinari, et includi. Is enim qui est deorsum finis, necessario omni modo circumscribit, et circumdat eum qui finiatur in eum. Erit enim, secundum eos, Pater omnium (quem videlicet et Proonta, et Proarchen vocant), cum Pleromate ipsorum, et Marcionis bonus Deus, in aliquo conditus, et inclusus, et a foris circumdatus ab altera principalitate, quam necesse est majorem esse; quoniam id quod continet, eo quod continetur majus est: quod autem majus est, id et firmius est, et magis Dominus: et quod majus est, et firmius, et magis Dominus, hoc erit Deus.

3. Cum enim sit, secundum eos, et aliud quid, quod quidem extra Pleroma esse dicunt, in quod et superiorem erraticam virtutem descendisse opinantur, necesse est omni modo, aut continere id quod extra est, contineri autem Pleroma

(alioquin non erit extra Pleroma: si enim extra Pleroma est aliquid, intra hoc ipsum, quod extra Pleroma dicunt, erit Pleroma, et continebitur Pleroma ab eo quod est extra; cum Pleromate autem subaudiatur et primus Deus); aut rursus in immensum distare et separata esse ab invicem, id est, et Pleroma, et quod est extra illud. Si autem hoc dixerint, tertium quid erit, quod in immensum separat Pleroma, et hoc quod est extra illud; et hoc tertium circumfinit et continebit utraque, et erit majus tertium hoc, et Pleromate, et eo quod est extra illud, sicut in suo sinu continens utraque: et in infinitum de his quae continentur, et de his quae continent, incidet sermo. Si enim tertium hoc initium habebit in superiora, et finem in inferiora, omnino necessitas est et a lateribus definiri illud, vel inchoans, vel deficiens ad alia quaedam: et illa rursus, et alia quae sunt sursum, et quae deorsum, ad alia quaedam habebunt initia, et hoc usque in infinitum; ut nunquam stet eorum excogitatio in uno Deo, sed per occasionem plus quam est quaerendi, in id quod non sit, excidat, et absistat a vero Deo.

4. Similiter autem haec et adversus eos qui sunt a Marcione, aptata sunt. Continebuntur enim et circumfinientur et duo Dei ejus ab immenso intervallo, quod separat eos ab invicem. Sic autem ad excogitandum est necessitas secundum omnem partem multos deos immensa separatione distantes, ab invicem quidem inchoantes, ad invicem autem finientes: et illa ratione, qua nituntur docere super fabricatorem coeli et terrae esse aliquod Pleroma, aut Deum, eadem ratione

utens quisque astruet, super Pleroma alterum esse Pleroma, et super illud rursus aliud, et super Bythum aliud pelagus Dei, et a lateribus autem similiter eadem esse: et sic in immensum excidente sententia, et semper necessitas erit excogitare altera Pleromata, et alteros Bythos, et nunquam aliquando consistere, semper quaerentes alios, praeter dictos. Erit autem incertum, utrumnam haec sint deorsum, quae sunt secundum nos an haec ipsa superiora sint; et quae dicuntur ab eis sursum, utrumnam sursum, aut deorsum sint: et nullus status, neque firmitas continebit sensum nostrum, sed in immensos mundos, et indeterminatos deos excedere necessitas erit.

5. Et cum haec sic se habeant, unusquisque Deus suis contentus erit, et non curiose aget de alienis: si quo minus, injustus erit, et avarus, et cessans esse quod Deus est. Et unaquaeque conditio suum fabricatorem glorificabit, et ipso sufficiens erit, et alterum non cognoscet: si quo minus, apostata justissime ab omnibus judicata, dignissimam concipiet poenam. Oportet enim aut unum esse, qui omnia continet, et in suis fecit unumquodque eorum quae facta sunt, quemadmodum ipse voluit: aut multos rursus et indeterminatos factores et deos, ab invicem quidem incipientes, ad invicem autem desinentes per omnem partem: et alios omnes a foris ab altero quodam majore contineri, et velut inclusos et manentes in suis, unumquemque eorum confiteri necessitas erit; neminem autem horum omnium esse Deum. Deerit enim unicuique eorum,

partem minutissimam habenti, ad comparationem omnium reliquorum, et solvetur omnipotentis appellatio, et necessitas erit in impietatem cadere talem sensum.

CAPUT II

Ab Angelis, vel ab alio quovis, praeter sententiam supremi omnium Patris, fabricatum non esse mundum, sed ab eodem Patre per Verbum conditum fuisse.

1. Qui autem ab Angelis mundum dicunt fabricatum, vel ab alio quodam mundi fabricatore, praeter sententiam ejus, qui super omnia Pater est, primo quidem ex hoc ipso peccant, praeter voluntatem primi Dei talem et tantam conditionem Angelos fecisse dicentes: quasi efficaciores sint Angeli quam Deus, aut rursus quasi ille negligens sit, aut minor exsistens, aut nullam curam habens eorum, quae in propriis ipsius fiant, utrumnam male, an bene fiant, ut illud quidem dissipet et prohibeat, alterum autem laudet et gaudeat: hoc autem ne homini quidem solerti applicet quis, quanto magis Deo?

2. Post deinde dicant nobis: Utrumnam in his, quae ab illo continentur, et in propriis ejus, fabricata sunt haec; an in alienis et extra eum positis? Sed si quidem dicant extra eum, similiter omnia praedicta inconvenientia occurrent eis, et includetur primus Deus ab eo qui extra eum est, in quo et desinere eum necesse erit. Si autem in illius propriis, valde vanum erit praeter sententiam ejus, in ejus propriis, ab Angelis et ipsis qui sunt in potestate ejus, aut ab alio quodam dicere

fabricatum esse mundum, aut quasi non omnia prospiciat ipse quae sint in suis, ut non sciat quae ab Angelis futura sint.

3. Si autem non praeter voluntatem ejus, sed volente et sciente, quemadmodum quidam opinantur; jam non Angeli, vel mundi fabricator causae erunt fabricationis istius, sed voluntas Dei. Si enim mundi fabricator est, Angelos ipse fecit, aut etiam causa creationis eorum ipse fuit; et mundum ipse videbitur fecisse, qui causas fabricationis ejus praeparavit. Licet per longam successionem deorsum Angelos dicant factos, vel mundi fabricatorem a primo Patre, quemadmodum Basilides ait; nihilominus id quod est causa eorum quae facta sunt, in illum, qui prolator fuit talis successionis, recurret: quemadmodum in regem correctio belli refertur, qui praeparavit ea quae sunt causa victoriae; et conditio hujus civitatis, aut hujus operis, in eum, qui praeparavit causas ad perfectionem eorum, quae deorsum facta sunt. Quapropter non jam securim dicimus concidere ligna, vel serram secare, sed hominem concidere et secare rectissime quis dicat eum, qui ipsam securim et serram ad hoc fecit, et multo prius armamenta omnia, per quae fabricata sunt securis et serra. Sic igitur juste, secundum illorum rationem, Pater omnium dicetur fabricator hujus mundi, et non Angeli, neque alius quis mundi fabricator, praeter illum qui fuit prolator, et primus causa factionis hujusmodi praeparationis exsistens.

4. Sit fortasse hic sermo suasorius, sive seductorius apud eos, qui ignorant Deum, et qui homi-

nibus assimilant eum inopibus, et his qui non possunt statim aliquid ex parato fabricare, sed indigentibus multis organis ad eorum fabricationem: non autem verisimilis in totum apud eos, qui sciunt, quoniam nullius indigens omnium Deus, Verbo condidit omnia et fecit, neque Angelis indigens adjutoribus ad ea, quae fiunt; neque Virtute aliqua valde inferiori ab illo, et ignorante Patrem; neque aliqua labe, neque ignorantia, ut is, qui inciperet eum cognoscere, homo fieret: sed ipse in semetipso, secundum id quod est enarrabile, et inexcogitabile nobis, omnia praedestinans fecit quemadmodum voluit; omnibus consonantiam, et ordinem suum, et initium creationis donans; spiritalibus quidem spiritalem et invisibilem, et supercoelestibus coelestem, et Angelis angelicam, et animalibus animalem, et natantibus aquatilem, et terrigenis terrigenam, omnibus aptam qualitatis substantiam: omnia autem quae facta sunt, infatigabili Verbo fecit.

5. Proprium est enim hoc Dei supereminentiae, non indigere aliis organis ad conditionem eorum, quae fiunt: et idoneus est et sufficiens ad formationem omnium proprium ejus Verbum, quemadmodum et Joannes Domini discipulus ait de eo: Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. In omnibus autem, est et hic, qui est secundum nos mundus. Et hic ergo a Verbo ejus factus est, sicut Scriptura Geneseos dicit, omnia, quae sunt secundum nos, fecisse Deum per Verbum suum. Similiter autem et David exsequitur: Quoniam ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt. Cui igitur magis crede-

mus de mundi fabricatione, his ne, qui praedicti sunt, haereticis, sic fatua et inconstantia garrientibus; an discipulis Domini, et fideli famulo Dei Moysi, et prophetae? Qui et primo genesim mundi enarravit, dicens: In principio Deus fecit coelum et terram, et deinceps reliqua omnia: sed non dii, neque angeli.

6. Quoniam autem hic Deus est Pater Domini nostri Jesu Christi; et ideo Paulus apostolus dixit: Unus Deus Pater, qui super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. Jam quidem ostendimus unum esse Deum: ex ipsis autem apostolis, et ex Domini sermonibus adhuc ostendemus. Quale enim est, prophetarum, et Domini, et apostolorum relinquentes nos voces, attendere his, nihil sani dicentibus?

CAPUT III

Valentinianorum Bythum et Pleroma, et Marcionis Deum repugnare. Ab eodem factum esse mundum, a quo mente conceptus; nec fructum esse labis et ignorantiae.

1. Instabilis igitur qui est secundum eos Bythus, id quod est hujus Pleroma, et Marcionis Deus. Si quidem, quemadmodum dicunt, extra se habet subjacens aliquid, quod vacuum et umbram vocant; et vacuum hoc majus Pleromate ipsorum ostenditur. Instabile est autem et hoc dicere, infra se omnia continente eo, ab altero quodam fabricatam esse conditionem. Oportet enim illos necessario vacuum aliquid et informe confiteri, in quo fabricatum est hoc quod est universum, infra spiritale Pleroma; et informe hoc,

utrum sciente Propatore, quae in eo futura erant, ex studio sic reliquisse, an ignorante? Et si quidem ignorante, jam non omnium erit praescius Deus. Sed ne quidem causam reddere habebunt, propter quam rem locum hunc temporibus tantis otiosum sic reliquit. Si autem praescius est, et mente contemplatus est eam conditionem, quae in eo loco futura esset; ipse fecit eam, qui etiam praeformavit eam in semetipso.

2. Quiescant igitur dicere, ab alio factum esse mundum: simul enim ac mente cepit Deus, et factum est hoc, quod mente conceperat. Nec enim possibile erat alium quidem mente concipere, alium vero facere, quae ab illo mente concepta fuerant. Sed aut aeternum mundum mente concepit, secundum eos haereticos, Deus, aut temporalem: quae utraque incredibilia. Sed, si quidem aeternum eum mente concepit, et spiritalem, et visibilem; talis et factus fuisset. Si autem talis qualis est, et ipse fecit eum talem, qui talem quidem mente conceperat. Aut in praesentia Patris voluit esse eum secundum mentis conceptionem talem, et compositum, et mutabilem, et transeuntem. Cum autem sit talis, qualem Pater deformaverat apud semetipsum, dignam esse Patris fabricationem. Quod autem a Patre universorum mente conceptum est, et praeformatum sic, quemadmodum et factum est, labis esse dicere fructum, et ignorantiae prolationem, magnae blasphemiae est. Erit enim, secundum illos, Pater omnium secundum suam mentis conceptionem in pectore suo labis emissiones et ignorantiae

fructus generans: quae enim mente conceperat, haec et facta sunt.

CAPUT IV

Vacui et labis haereticorum absurditas demonstratur.

1. Causa igitur quaerenda est hujusmodi dispositionis Dei, sed non fabricatio mundi alteri ascribenda: et ante praeparata omnia dicenda sunt a Deo, ut fierent, quemadmodum et facta sunt, sed non umbra et vacuitas confingenda est. Caeterum, unde vacuitas? quaeretur. Utrum ab omnium Patre et prolatore, secundum eos, et ipsum prolatum, et est aequalis honore, et cognatum reliquis Aeonibus, forte autem et antiquius ipsis? Si autem ab eodem emissum est, simile est ei qui emisit, et his cum quibus emissum est. Necessitas ergo erit omni modo, et Bythum ipsorum cum Sige vacuo similem esse, hoc est, vacuum esse: et reliquos Aeonas, cum sint vacui fratres, vacuam et substantiam habere. Si autem non est emissum, a se natum est, et a se generatum est, et aequiparans in tempore ei, qui est secundum eos, Bytho omnium Patri; et sic ejusdem naturae, et ejusdem honoris erit vacuum ei, qui est secundum eos, omnium Patri. Oportet enim illum aut emissum esse ab aliquo; aut a se generatum, et a se natum esse. Sed si quidem emissum est vacuum, vacuus et prolator est Valentinus, vacui et sectatores ejus. Si autem non prolatum est, sed a se generatum est; et simile est, et fraternum, et ejusdem honoris id quod est vacuum, ei Patri qui praedictus est a Valentino: antiquius autem et

multo ante exsistens, et honorificentius reliquis Aeonibus ipsius Ptolemaei, et Heracleonis, et reliquis omnibus qui eadem opinantur.

2. Si autem aporiati in his confiteantur continere omnia Patrem omnium, et extra Pleroma esse nihil (nam necessitas est omni modo definiri eum, et circumscribi ab aliquo majore): et id quod extra, et quod intus, dicere eos secundum agnitionem et ignorantiam, sed non secundum localem distantiam: in Pleromate autem, vel in his quae continentur a Patre, facta a Demiurgo, aut ab Angelis, quaecunque et facta scimus, contineri ab inenarrabili magnitudine, velut in circulo centrum, aut velut in tunica maculam: primo quidem qualis Bythus erit sustinens in sinu suo maculam fieri; et permittens in suis alterum quemdam condere, vel proferre, praeter suam mentem? Quod quidem indecibilitatem universo Pleromati afferre inciperet, cum posset ab initio abscindere labem, et eas, quae ab eo initium acceperunt, emissiones; neque in ignorantia, neque in passione, neque in labe constitutionem creationis permittere accipere. Qui enim postea emendat labem, et velut maculam emundat labem, multo prius poterat observare, ne quidem initio in suis fieri talem maculam. Vel si initio quidem concessit, quoniam aliter fieri non poterant, quae facta sunt; oportet et semper sic fieri illa. Quae enim initio non possunt emendationem percipere, quemadmodum hanc postea percipient? Aut quemadmodum homines advocari ad perfectum dicunt, cum illa ipsa quae sunt causae, ex quibus facti sunt homines, vel ipse Demiurgus, vel Ange-

li, in labe dicantur esse? Et si ideo quod benignus sit, in novissimis temporibus misertus est hominum, et perfectum eis dat; illorum primo misereri debuit, qui fuerunt hominis factores, et dare eis perfectum. Sic utique et homines miserationem percepissent, de perfectis perfecti facti. Si enim operis ipsorum misertus est, multo prius illorum misereri debuit, et non sinere in tantum caecitatis venire eos.

3. Solvetur autem eorum et ille, qui est de umbra et vacuo, sermo, in quibus eam, quae est secundum nos, factam dicunt conditionem, si in his quae continentur a Patre facta sunt haec. Si enim paternum illorum lumen tale opinantur, ut omnia adimplere possit, quae intra eum sunt, et omnia illuminare: quemadmodum vacuum, vel umbra in his, quae a Pleromate et a paterno lumine continentur, poterat esse? Oportet enim eos locum ostendere intra Propatorem, aut intra Pleroma, non illuminatum, nec retentum ab aliquo, in quo aut Angeli, aut Demiurgus fecit quaecunque voluit. Nec enim modicus locus est, in quo tanta et talis conditio facta est. Necessitas erit itaque universa, intra Pleroma, aut intra Patrem ipsorum localiter vacuum aliquid, et informe, et tenebrosum fieri eos, in quo fabricata sunt, quae fabricata sunt. Incusationem quoque recipiet paternum ipsorum lumen, quasi non possit ea, quae intra ipsum sunt, illuminare et implere. Adhuc autem et labis fructus dicentes ea, et erroris operam, labem et errorem inducent intra Pleroma, et in sinum Patris.

CAPUT V

In iis quae continentur a Patre mundum hunc ab aliis factum non esse.

1. Adversus eos igitur qui dicunt, extra Pleroma, vel sub bono Deo hunc mundum factum, ea quae paulo ante dicta sunt a nobis, apta sunt; et concludentur tales cum Patre suo, ab eo qui est extra Pleroma, in quo etiam et desinere eos necesse est. Adversus eos autem qui dicunt, in his quae continentur a Patre, ab aliis quibusdam factum hunc mundum, omnia, quae nunc dicta sunt, absurda et inconvenientia occurrent; et cogentur aut omnia lucida, et plena, et operosa, ea quae sunt intra Patrem confiteri: aut paternum lumen accusare, quasi qui non possit omnia luminare: aut sicut pars, sic et universum Pleroma ipsorum vacuum, et indispositum, et tenebrosum confitendum. Et reliqua omnia, quaecunque sunt conditionis, accusant, quasi temporalia sint: aut aeterno-choica, aut inaccusabilia esse oportet, cum sint intra Pleroma et in sinu Patris: aut etiam in universum Pleroma similiter venient incusationes; et causa ignorantiae invenitur Christus eorum. Sicut enim dicunt, cum formasset secundum substantiam Matrem ipsorum, foras projecit extra Pleroma, id est, separavit ab agnitione. Ipse igitur in ea ignorantiam fecit, qui separavit eam ab agnitione. Quomodo igitur idem ipse reliquis quidem Aeonibus, iis qui eo anteriores erant, praestare agnitionem poterat; Matri autem ejus causa esse ignorantiae? Extra agnitionem enim fecit eam, extra Pleroma eam projiciens.

2. Adhuc quoque si secundum agnitionem et ignorantiam, intra Pleroma et extra Pleroma dicunt, sicut quidam ex ipsis dicunt, quoniam qui in agnitione est, intra id est, quod agnoscit; ipsum Salvatorem (quem omnia esse dicunt) in ignorantia fuisse consentire eos necesse est. Dicunt enim eum, cum foras extra Pleroma venisset, formasse Matrem ipsorum. Si igitur id quod est extra, ignorantiam dicunt universorum; exiit autem Salvator ad formationem Matris ipsorum: extra agnitionem universorum factus est, hoc est, in ignorantia. Quomodo igitur illi agnitionem praestare poterat, cum et ipse extra agnitionem esset? Et nos enim, extra agnitionem cum simus ipsorum, extra Pleroma esse dicunt. Et iterum: Si igitur Salvator exivit extra Pleroma ad investigationem perditae ovis, Pleroma autem est agnitio, extra agnitionem factus est, quod est in ignorantia. Aut enim localiter quod est extra Pleroma consentire eos necesse est; et omnia quae praedicta sunt contraria occurrent eis: vel si secundum agnitionem dicunt quod est intus, et ignorantiam quod est extra; Salvator illorum, et multo ante Christus, in ignorantia facti erunt, extra Pleroma egressi ad formationem Matris ipsorum, quod est extra agnitionem.

3. Haec autem adversus omnes, qui quolibet modo vel ab Angelis, vel ab alio quodam, praeter verum Deum, mundum factum esse dicunt, similiter adaptabuntur. Quam enim incusationem faciunt de Demiurgo, et de his, quae facta sunt materialia, et temporalia, recurret in Patrem: siquidem quemadmodum in ventre Pleromatis

facta sunt, quae inciperent mox demum dissolvi, secundum concessionem et ad placitum Patris? Jam igitur non est fabricator causa hujus operationis, valde bene putans semetipsum fabricare; sed qui in suis concedit et probat labis prolationes et erroris opera fieri, et in aeternis temporalia, et in incorruptibilibus corruptibilia, et in his quae veritatis sunt, ea quae sunt erroris. Si autem non concedente, neque approbante Patre universorum, facta sunt haec; potentior, et fortior, et dominatior is, qui fecit in iis, quae propria illius sunt, quaecunque ille non concessit. Si autem non approbans concessit Pater ipsorum, quemadmodum quidam dicunt; aut potens prohibere concessit propter necessitatem quamdam, aut non potens. Sed si quidem non poterat, invalidus et infirmus est: si autem potens, seductor, et hypocrita, et necessitatis servus; non consentiens quidem, concedens autem quasi consentiat. Et initio concedens sistere errorem, et crescere illum, in posterioribus temporibus solvere illum conatur, quando jam multi male perierunt propter labem.

4. Non decet autem eum qui super omnia sit Deus, cum sit liber et suae potestatis, necessitati servisse dicere, ut sit aliquid secundum concessionem praeter sententiam ejus: alioquin necessitatem majorem et dominatiorem facient quam Deum, quando id quod magis potest, antiquius sit omnibus. Et statim in principio causas abscidere necessitatis debuit, et non concludere semetipsum ad habendam necessitatem, concedendo aliquid praeterquam deceat eum. Multo

enim melius, et consequentius, et magis deificum erat, ut in principio initium excideret hujusmodi necessitatis, quam postea, quasi de poenitentia, conaretur tantam fructificationem necessitatis eradicare. Et si necessitati serviens erit Pater universorum, et sub fatum cadet moleste ferens in his quae fiunt, praeter necessitatem autem et fatum nihil agere possit (similiter atque Homericus Jupiter, qui per necessitatem dicit: Et ego enim tibi dedi velut volens, nolente animo): secundum igitur hanc rationem necessitatis et fati invenietur servus Bythus ipsorum.

CAPUT VI

Ab Angelis, aut a mundi fabricatore supremum Deum ignorari non potuisse.

1. Quomodo autem et ignorabant vel Angeli, aut mundi fabricator, primum Deum, quando in ejus propriis essent, et creaturae exsisterent ejus, et continerentur ab ipso? Invisibilis quidem poterat eis esse, propter eminentiam; ignotus autem nequaquam, propter providentiam. Etenim licet valde per descensionem multum separati essent ab eo, quomodo dicunt; sed tamen dominio in omnes extenso, oportuit cognoscere dominantem ipsorum, et hoc ipsum scire, quoniam qui creavit eos, est Dominus omnium. Invisibile enim ejus cum sit potens, magnam mentis intuitionem et sensibilitatem omnibus praestat potentissimae et omnipotentis eminentiae. Unde etiamsi nemo cognoscit Patrem, nisi Filius, neque Filium, nisi Pater, et quibus Filius revelaverit; tamen hoc ipsum omnia cognoscunt, quando ratio menti-

bus infixa moveat ea, et revelet eis, quoniam est unus Deus, omnium Dominus.

2. Et propter hoc Altissimi et Omnipotentis appellationi omnia subjecta sunt: et hujus invocatione etiam ante adventum Domini nostri salvabantur homines et a spiritibus nequissimis, et a daemoniis universis, et ab apostasia universa: non quasi vidissent eum terreni spiritus, aut daemones, sed cum scirent quoniam est, qui est super omnia Deus, cujus et invocationem tremebant, et tremit universa creatura, et Principatus, et Potentia, et omnis subjecta Virtus. Aut nunquid hi, qui sub Romanorum imperio sunt, quamvis nunquam viderint Imperatorem, sed valde et per terram, et per mare separati ab eo, cognoscent, propter dominium, eum qui maximam potestatem habet principatus; qui autem super nos erant Angeli, vel ille quem mundi fabricatorem dicunt, non cognoscent Omnipotentem, quando jam et muta animalia tremant et cedant tali invocationi? Et utique non viderunt eum, tamen Domini nostri nomini subjecta sunt omnia: sic et ejus qui omnia fecit et condidit vocabulo, cum alter non sit, quam ipse qui mundum fecit. Et propter hoc Judaei usque nunc hac ipsa adfatione daemonas effugant, quando omnia timeant invocationem ejus qui fecit ea.

3. Si itaque mutis animalibus irrationabiliores noluerint Angelos esse, invenient quoniam oportebat, licet non vidissent hi eum, qui super omnia Deus est, uti cognoscerent potentatum et dominium ejus. Ridiculum enim vere apparebit, si se quidem, qui super terram sunt, cognoscere di-

cunt eum, qui super omnia est Deus, quem nunquam viderunt; ei autem qui eos fecit, et universum mundum, secundum eos, non permittant, cum sit in summis et super coelos, cognoscere ea, quae ipsi, cum sint in humilibus, sciunt. Nisi forte sub terra in Tartaro esse Bythum suum dicunt: quapropter et primos se cognovisse eum, quam hi qui in altitudine habitarent Angeli; in tantam amentiam venientes, uti dementem pronuntient mundi fabricatorem: quorum vere quidem est misereri, cum in tanta dementia dicant, neque Matrem agnovisse eum neque semen ejus, neque Pleroma Aeonum, neque Propatorem, neque quid essent quae fabricavit; esse autem imagines eorum, quae intra Pleroma sunt, latenter Salvatore operato sic fieri in honorem eorum, qui sursum sunt.

CAPUT VII

Res creatas imagines non esse Aeonum, qui sursum sunt intra Pleroma.

1. Ignorante itaque Demiurgo universa, Salvatorem dicunt honorasse Pleroma in conditione per Matrem, similitudines et imagines eorum, quae sursum sunt, emittentem. Sed quoniam quidem impossibile erat, extra Pleroma esse aliquid, in quo imagines dicunt factas esse eorum, qui sunt intra Pleroma, vel ab alio quodam praeter primum Deum fabricari hunc mundum, ostendimus. Si autem suave est undique evertere eos, et mendaces arguere, dicemus adversus eos, quoniam, si in honorem eorum quae sursum sunt, facta sunt haec secundum illorum imagi-

nem a Salvatore, semper ea oportet perseverare, uti et semper sint in honore, quae sunt honorata. Si autem transeunt, quae utilitas hujus brevissimi temporis honoris, qui aliquando quidem non fuit, rursus autem non erit? Vanae igitur gloriae appetitor magis (erit) Salvator, quam honorans quae sunt sursum arguitur a nobis. Quis enim honor est aeternorum eorum quae semper sunt, ea quae sunt temporalia; eorum quae stant, ea quae praetereunt; incorruptibilium, corruptibilia? Quandoquidem et apud homines, qui sunt temporales, nulla gratia est ejus honoris, qui celeriter praeterit: sed ejus qui in plurimum, quantum potest, perseverat. Quae autem statim ut facta sunt exterminantur, in contumeliam magis eorum, qui putantur honorari, facta esse juste dicentur: et contumeliose tractari id quod est aeternum, corrupta ejus et soluta imagine. Quid autem, si non plorasset, et risisset, et aporiata esset Mater ipsorum; non habuisset Salvator per quae honoraret plenitudinem, extremae confusionis non habentis propriam substantiam, per quam honoraret Propatorem?

2. O vanae gloriae honor, qui statim praeterit, et jam non apparet! Erit aliquis Aeon, in quo in totum talis honor fuisse non reputabitur, et inhonorata erunt tunc quae sunt sursum: aut aliam iterum necesse erit Matrem emittere plorantem, et aporiatam, in honorem Pleromatis. O indissimilis, simul autem et blasphemae imaginis! Imaginem mihi dicitis emissam a mundi fabricatore Unigeniti; et Nun vultis esse Patris universorum: et imaginem hanc ignorare quidem semetipsam,

ignorare autem et conditionem, ignorare autem et Matrem, et omne quodcunque est eorum quae sunt, et eorum quae ab eo facta sunt: et non erubescitis adversus vos ipsos, ignorantiam inducentes usque ad ipsum Monogenen? Si enim secundum similitudinem eorum, quae sunt sursum, a Salvatore facta sunt haec, ignorante eo tanta, qui secundum similitudinem factus est; necesse est et circa eum, et secundum eum, ad cujus similitudinem factus est is qui ignorat, hujusmodi ignorantiam exsistere spiritaliter. Non enim possibile est, cum sint utrique spiritaliter emissi, neque plasmati, neque compositi, in quibusdam quidem similitudinem servasse, in quibusdam vero depravasse imaginem similitudinis, quae in hoc sit emissa, ut sit secundum similitudinem ejus, quae sursum est, emissionis. Quod si non est similis, Salvatoris erit incusatio, qui dissimilem emisit imaginem, quasi reprobabilis artifex. Nec enim dicere possunt, quasi non haberet potestatem emissionis Salvator, quem Omnia esse dicunt. Si igitur dissimilis est imago, malus est artifex, et est culpa Salvatoris, secundum eos. Si autem similis est, eadem ignorantia invenietur circa Nun Propatoris ipsorum, hoc est, Monogenen: et ignoravit quidem semetipsum Nus Patris, ignoravit autem et Patrem, ignoravit autem et ea quae ab eo facta sunt. Si autem cognoscit ille; et eum, qui ad similitudinem ejus factus est a Salvatore, necesse est cognoscere quae sunt similia: et soluta est ipsorum, secundum suam regulam, maxima blasphemia.

3. Et sine hoc autem, quonam modo ea quae sunt creaturae, sic varia et multa, et innumerabilia, eorum Aeonum, qui sunt intra Pleroma triginta imagines esse possunt, quorum et nomina quae sint, secundum quod dicunt, in eo qui est ante hunc libro posuimus? Et non tantum universae creaturae varietatem, sed ne quidem partis alicujus aut coelestium, aut superterrestrium, aut aquatilium poterunt adaptare Pleromatis ipsorum parvitati. Quoniam enim Pleroma ipsorum triginta Aeones sunt, ipsi testantur: quoniam autem in una parte eorum quae dicta sunt, non triginta sed multa millia specierum esse annumerantes eos, ostendere omnis quicunque confitebitur. Quomodo igitur ea, quae tam multae sunt conditionis, et contrariis subsistentia, et repugnantia invicem, et interficientia alia alia, imagines et similitudines esse possunt triginta Aeonum Pleromati; siquidem unius naturae, quemadmodum dicunt, ex aequali et simili exsistant, et nullam habeant differentiam? Oportebat autem, si haec illorum imagines sunt, quemadmodum natura nequam homines dicunt quosdam, et natura rursus bonos, et Aeonum ipsorum ostendere tales differentias, et quosdam quidem ex ipsis natura bonos dicere emissos, quosdam autem natura malos, ut imaginis illorum adinventio congruens esset Aeonibus. Adhuc autem quoniam in mundo altera quidem sunt mansueta, altera vero fera, et quaedam quidem non nocentia, quaedam nocentia, et reliquorum corrumpentia; et quaedam quidem superterrestria, quaedam aquatilia, quaedam volatilia, quaedam

coelestia: similiter et Aeonas ostendere debent tales habere affectiones, si quidem haec illorum imagines sunt. Et ignis autem aeternus, quem praeparavit Pater diabolo et angelis ejus, cujus eorum, qui sunt sursum Aeones, imago sit, interpretari debent: et ipse enim in conditione numeratur.

4. Si autem excogitationis ejus, qui passus est, Aeonis dicent imagines haec esse, primum quidem impie agent adversus Matrem suam, malarum et corruptibilium imaginum initiatricem esse eam dicentes. Deinde autem ea quae sunt multa, et dissimilia, et contraria natura, quonam modo unius et ejusdem imagines erunt? Et si Pleromatis Angelos multos esse dicent, et horum illa quae sunt multa imagines esse; nec sic eis constabit ratio. Primo enim differentias Pleromatis Angelorum contrarias invicem debent ostendere, quemadmodum et subjacentes imagines contrariae naturae invicem sunt. Deinde autem cum sint multi et innumerabiles circa factorem Angeli, quemadmodum omnes confitentur prophetae, dena millia denum millium assistere ei, et multa millia millium ministrare ei; et secundum eos, Pleromatis Angeli Angelos factoris imagines habebunt, et manet conditio integra in imagine Pleromatis, jam non consequentibus triginta Aeonis in multiformem conditionis varietatem.

5. Adhuc etiam, si secundum similitudinem haec illorum facta sunt, illa rursus ad quorum similitudinem erunt facta? Si enim mundi fabricator non a semetipso fecit haec, sed quemadmodum nullius momenti artifex, et quasi primum

discens puer, de alienis archetypis transtulit; Bythus ipsorum unde habuit species ejus, quam primum emisit, dispositionis? Consequens est igitur, illum ab altero quodam, qui super eum est, exemplum accepisse; et illum rursus ab altero. Et nihilominus in immensum excidet de imaginibus sermo, quemadmodum et de diis, si non fixerimus sensum in unum artificem, ut in unum Deum, qui a semetipso fecit ea quae facta sunt. Aut de hominibus quidem aliquis permittit, a semetipsis utile aliquid ad vitam adinvenisse: ei autem Deo qui mundum consummavit, non permittit a semetipso fecisse speciem eorum quae facta sunt, et adinventionem ornatae dispositionis?

6. Unde autem et haec illorum imagines, cum sint illis contraria, et in nullo possint eis communicare? Quae enim sunt contraria, eorum quorum sunt contraria esse quidem possunt exitiosa; imagines vero nullo modo: quemadmodum aqua igni, et rursus lumen tenebris, et alia tanta, nequaquam erunt invicem imagines. Sic nec ea quae sunt corruptibilia, et terrena, et composita, et praetereuntia, eorum, quae secundum eos sunt, spiritalium imagines erunt: nisi et ipsa composita, et in circumscriptione, et in figuratione confiteantur esse, et non jam spiritalia, et effusa, et locupletia, et incomprehensibilia. Necesse est enim ea in figuratione esse, et circumscriptione, ut sint imagines verae: et absolutum est ea non esse spiritalia. Si autem illa spiritalia, et effusa, et incomprehensibilia dicunt; quomodo possunt, quae sunt in figura, et in circumscrip-

tione, imagines illorum esse, qui sunt sine figuratione et incomprehensibiles?

7. Si autem [non] secundum figurationem, nec secundum formationem, sed secundum numerum et ordinem emissionis imagines ea dicent esse; primo quidem non essent imagines dicenda haec et similitudines eorum, qui sursum sunt Aeonum. Quae enim nec habitum, nec figuram illorum habent, quemadmodum imagines sunt ipsorum? Post deinde, et numeros, et emissiones superiorum Aeonum, eosdem et similes ad eos, qui sunt conditionis, adaptent. Nunc autem triginta ostendentes Aeones, et tantam multitudinem eorum, quae sunt in conditione, imagines eorum qui sunt triginta dicentes, juste ut insensati arguentur a nobis.

CAPUT VIII

Quam abhorreat a verosimili res creatas esse umbram Pleromatis.

1. Si autem haec illorum umbram dicent esse, quemadmodum quidam ipsorum audent dicere, ut secundum hoc imagines esse, necesse erit et corpora ipsos ea, quae sunt sursum, confiteri. Ea enim, quae sursum sunt, corpora, umbram faciunt; non autem jam spiritalia, quandoquidem nulli obscurare possunt. Si autem et demus illis hoc, quod quidem est impossibile, eorum quae sunt spiritalia et lucida umbram esse, in quam Matrem suam descendisse dicunt: tamen cum illa sint aeterna, et ea quae ex ipsis efficitur umbra sempiterna perseverat, et non jam transeunt haec, sed perseverant cum his, quae se adum-

brant. Si autem haec transeunt, et illa necesse est, quorum haec sunt umbra, transire: illis autem perseverantibus, perseverat et umbra ipsorum.

2. Si autem non secundum id quod obumbretur, dicent eam umbram esse, sed secundum id quod multo ab illis separata sint; paterni luminis ipsorum pusillitatem et infirmitatem accusabunt, quasi non attingat usque ad haec, sed deficiat adimplere id quod est vacuum, et dissolvere umbram, et hoc quando nemo sit impedimento. In caliginem enim convertetur, secundum eos, et obcaecabitur paternum lumen eorum, et deficiet in his quae sunt vacuitatis locis, cum minime possit adimplere omnia. Non igitur jam dicant Pleroma esse omnium Bythum ipsorum, siquidem id quod est vacuum et umbra, neque adimplevit, neque illuminavit: aut iterum umbram et vacuum praetermittant; siquidem adimplet omnia paternum ipsorum lumen.

3. Neque igitur extra primum Patrem, id est, qui super omnia est Deus, aut Pleroma aliquid esse potest, in quod Enthymesin passi Aeonis descendisse dicunt, ut non definiatur et circumscribatur ab eo qui est extra, et contineatur ipsum Pleroma, vel primus Deus: neque vacuum esse, aut umbram capiet, cum jam ante sit Pater, uti ne deficiat lumen ejus, et definiatur in vacuum. Irrationale est autem et impium adinvenire locum in quo cessat et finem habet, qui est secundum eos Propator, et Proarche, et omnium Pater, et hujus Pleromatis. Nec rursus in Patris sinu alterum quemdam dicere tantam fabricasse conditionem fas est, vel consentiente, vel non consentiente

eo, propter praedictas causas. Impium est enim similiter et demens dicere, tantam conditionem ab Angelis, aut ab emissione quadam ignorante verum Deum, in his quae sunt ipsius, fabricasse: neque infra Pleroma ipsorum, cum sit universum spiritale, ea quae sunt terrena et choica possibile facta esse: sed ne quidem secundum illorum imaginem, cum dicuntur pauci, et similis formationis et unum esse, possibile est, et quae sunt multae conditionis, et contraria invicem facta esse. Falsus autem apparuit, et qui est de umbra cenomatis, id est, vacui, ipsorum sermo, secundum omnia. Itaque vacuum ostensum est figmentum eorum, et inconstans doctrina: vacui autem et hi qui attendunt eis, vere in profundum perditionis descendentes.

CAPUT IX

Unum esse mundi conditorem, Deum Patrem; veteresque omnes in hac traditione cum Ecclesia consentire.

1. Quoniam quidem est mundi fabricator Deus, constat et ipsis, qui multis modis contradicunt ei, et confitentur eum, fabricatorem eum vocantes, et Angelum dicentes: ut non dicamus, quoniam omnes clamant Scripturae, et Dominus hunc Patrem qui est in coelis docet, et non alium: quemadmodum ostendemus procedente sermone. Nunc autem sufficit id quod est ab eis, qui contraria nobis dicunt testimonium, omnibus hominibus ad hoc demum consentientibus, veteribus quidem, et in primis a primoplasti traditione hanc suadelam custodientibus, et unum

Deum fabricatorem coeli et terrae hymnizantibus: reliquis autem post eos a Prophetis Dei hujus rei commemorationem accipientibus: ethnicis vero ab ipsa conditione discentibus. Ipsa enim conditio ostendit eum, qui condidit eam; et ipsa factura suggerit eum, qui fecit; et mundus manifestat eum, qui se disposuit. Ecclesia autem omnis per universum orbem hanc accepit ab apostolis traditionem.

2. Constante igitur hoc Deo, quemadmodum diximus, et testimonium ab omnibus accipiente, quoniam est: ille sine dubio, qui secundum eos adinvenitur Pater, inconstans et sine teste est, Simone Mago primo dicente semetipsum esse super omnia Deum, et mundum ab Angelis ejus factum; post deinde his qui successerunt ei, secundum quod ostendimus in primo libro, variis sententiis impias et irreligiosas adversus fabricatorem circumducentibus doctrinas: quorum discipuli cum sint hi, ethnicis pejores efficiunt eos, qui assentiunt eis. Illi enim creaturae potius quam Creatori servientes, et his qui non sunt dii, verumtamen primum deitatis locum attribuunt fabricatori hujus universitatis Deo. Hi autem, hunc quidem labis fructum dicentes, et animalem eum vocantes, et non cognoscentem eam quae super eum est Virtutem, dicentem quoque: Ego sum Deus, et praeter me non est alius Deus; mentiri eum dicentes, ipsi mentientes; omnem malitiam copulantes ei, eum qui non est super hunc, quod sit fingentes, secundum sententiam suam deteguntur, eum quidem qui est Deus blasphemantes, eum autem qui non est, Deum

fingentes, in suam ipsorum condemnationem. Et qui dicunt semetipsos perfectos, et universorum habere agnitionem, ethnicis pejores, et magis blasphemi sensu etiam adversum suum factorem inveniuntur.

CAPUT X

Quam male ab haereticis explicentur Scripturae. Omnia ex nihilo, non ex subjacenti materia, creavit Deus.

1. Perquam itaque irrationale est, praetermittentes eum, qui vere est Deus, et qui ab omnibus habet testimonium, quaerere si est super eum is, qui non est, et qui a nemine unquam annuntiatus est. Quoniam enim manifeste nihil dictum est de eo, et ipsi testimonium perhibent: quia autem parabolas, quae quaeruntur et ipsae quomodo dictae sint, male ad eum, qui adinventus est ab ipsis, transfigurantes, alium nunc, qui ante nunquam quaesitus est, generant, manifestum est. Per hoc enim quod velint ambiguas exsolvere Scripturas (ambiguas autem non quasi ad alterum Deum, sed quasi ad dispositiones Dei) alterum Deum fabricaverunt; quemadmodum praediximus, de arena resticulas nectentes, et quaestioni minori quaestionem majorem adgenerantes. Omnis autem quaestio non per aliud, quod quaeritur, habebit resolutionem, nec ambiguitas per aliam ambiguitatem solvetur apud eos, qui sensum habent, aut aenigmata per aliud majus aenigma, sed ea quae sunt talia, ex manifestis, et consonantibus, et claris accipiunt absolutiones.

2. Hi autem quaerentes exsolvere Scripturas et parabolas, alteram majorem et impiam quaestionem introducunt, si quidem super mundi fabricatorem Deum alius sit Deus; non exsolventes quaestiones (unde enim?), sed minori quaestioni magnam quaestionem adnectentes, et nodum insolubilem inserentes. Ut enim sciant hoc ipsum scire, quod utique triginta annorum Dominus venit ad baptismum veritatis, hoc non discentes; ipsum Deum fabricatorem, qui misit eum ad salutem hominum, impie contemnunt: et ut putentur posse enarrare unde substantia materiae, non credentes quoniam Deus ex his quae non erant, quemadmodum voluit, ea quae facta sunt, ut essent, omnia fecit, sua voluntate et virtute substantia usus, sermones vanos collegerunt; vere ostendentes suam infidelitatem: quoniam quidem his quae sunt, non credunt, in id quod non est, deciderunt.

3. Quod enim dicunt ex lacrymis Achamoth, humectam prodisse substantiam, a risu autem lucidam, a tristitia autem solidam et a timore mobilem, et in his altum sapere et inflatum esse, quomodo haec non digna irrisione, et vere ridicula? qui non credunt quidem, quoniam ipsam materiam, cum sit potens et dives in omnibus Deus, creavit, nescientes quantum potest spiritalis et divina substantia; credentes autem quoniam Mater ipsorum, quam feminam a femina vocant, a praedictis passionibus emisit tantam conditionis materiam: et quaerentes quidem unde suppeditavit fabricatori conditionis substantia; non quaerentes autem unde Matri ipsorum, quam

Enthymesin et impetum Aeonis errantis dicunt, lacrymas tantas, aut sudores, aut tristitias, aut reliqua materiae emissio.

4. Attribuere enim substantiam eorum, quae facta sunt, virtuti et voluntati ejus, qui est omnium Deus, et credibile, et acceptabile, et constans, et in hoc bene dicetur: quoniam quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Quoniam homines quidem de nihilo non possunt aliquid facere, sed de materia subjacenti; Deus autem, quam homines hoc primo melior, eo quod materiam fabricationis suae, cum ante non esset, ipse adinvenit. Dicere autem de Enthymesi Aeonis errantis prolatam materiam, et longe quidem Aeonem ab Enthymesi ejus separatam, et hujus rursus passionem et affectionem extra ipsam quidem ejus esse materiam; et incredibile, et fatuum, et impossibile, et inconstans.

CAPUT XI

Haereticos veritati non credentes in profundum erroris incidisse. Cur eos interrogare statuat Irenaeus?

1. Et non credentes quidem quoniam is qui est super omnia Deus, in his quae sunt ejus, varia et dissimilia verbo fabricavit, quemadmodum ipse voluit, cum sit omnium fabricator, ut sapiens architectus, et maximus rex; credentes autem quoniam angeli, aut virtus aliqua separata a Deo, et ignorans eum, fecit hanc universitatem: sic igitur veritati non credentes, in mendacio autem volutantes, perdiderunt panem vitae verae, in

vacuum et in profundum umbrae incidentes; similes Aesopi cani, ei qui panem quidem reliquit, in umbram autem ejus impetum fecit, et perdidit escam. Et ex ipsis autem Domini verbis facile est ostendere, confitentis unum Patrem, et factorem mundi, et plasmatorem hominis, qui a lege et prophetis annuntiatus sit, et alterum nescientis, et hunc esse super omnia Deum: docentis autem, et per se eam, quae est ad Patrem adoptio filiorum, quae est aeterna vita, omnibus justis attribuentis.

2. Sed quoniam amant incusare, et ea, quae sunt sine calumnia, ut calumniosi concutiunt, multitudinem parabolarum, et quaestionum inferentes nobis; bene haec arbitrati sumus primo interrogare eos e contrario de suis dogmatibus, et quod non est verisimile ipsorum ostendere, et temeritatem ipsorum excidere: post deinde, Domini sermones inferre, ut non sint tantum ad proponendum vacantes; sed propter hoc quod non possint ad ea, quae interrogantur, ratione respondere, dissolutam suam videntes argumentationem, aut revertentes ad veritatem, et semetipsos humiliantes, et cessantes a multifaria sua phantasia, placantes Deum de his, quae adversus eum blasphemaverunt, salventur: aut si perseverarint in ea, quae praeoccupavit animum ipsorum, vana gloria, argumentationem suam immutent.

CAPUT XII

Triacontadem haereticorum, et deficere et redundare. Cum unitae et inseparabiles sint eorum

conjugationes, Sophiam sine permistione conjugis quidpiam pati aut generare non potuisse. Logon et Sigen simul esse non posse.

1. Primo quidem de triacontade ipsorum sic dicemus, universam eam utrinque mire decidere, et secundum id quod minus habet, et secundum id quod plus; propter quam dicunt triginta annorum Dominum ad baptismum venisse. Haec autem dicente, manifesta erit universae argumentationis ipsorum eversio. Et secundum deminorationem quidem sic: primo quidem, quoniam annumerant reliquis Aeonibus Propatorem. Pater enim omnium enumerari non debet cum reliqua emissione: qui non est emissus, cum ea quae emissa est: et innatus, cum ea quae nata est: et quem nemo capit, cum ea quae ab eo capitur, et propter hoc incapabilis: qui infiguratus est, cum ea quae figurata est. Secundum enim id quod melior quam reliqui, non debet cum eis annumerari; et hoc cum Aeone passibili, et in errore constituto, qui est impassibilis, et non errans. Quoniam enim a Bytho inchoantes, triacontadem enumerant usque ad Sophiam, quam Aeonem errantem dicunt, ostendimus in eo libro, qui est ante hunc librum, et quae dicunt nomina ipsorum posuimus: hoc autem non annumerato, jam non sunt triginta secundum eos emissiones Aeonum, sed viginti et novem fiunt.

2. Post deinde, primam emissionem Ennoiam, quam Sigen, vocantes, ex qua rursum Nun et Alethiam emissos dicunt, in utrisque exorbitant. Impossibile est enim ennoean alicujus, aut silentium separatim intelligi, et extra eum emissum

propriam habere figurationem. Si autem non dicent esse emissam illam extra, sed adunatam Propatori; ut quid cum reliquis Aeonibus annumerant eam, his qui non sunt adunati, et propter hoc ignorant magnitudinem ejus? Si autem et unita est (consideremus et hoc), necessitas est omnis ab unita conjugatione, et inseparabili, et unum exsistente, indiscretam, et unitam eam, quae ex ea est, emissionem fieri, ut non dissimilis sit ab eo qui emisit. Hoc autem sic se habente, unum et idem fiet, quemadmodum Bythus et Sige, sic et Nus et Alethia, semper adhaerentes invicem. Et quod non possit alterum sine altero intelligi, quemadmodum neque aqua sine humectatione, neque ignis sine calore, neque lapis sine duritia (unita sunt enim invicem haec); et alterum ab altero separari non potest sed semper coexsistere ei: sic et Bythum cum Ennoea adunitum esse oportet, et Nun cum Alethia eodem modo. Rursus et Logos et Zoe ab unitis emissi, unitos esse, et unum esse debent. Secundum haec autem, et Homo et Ecclesia, et universa reliquorum Aeonum conjugationis emissio unita esse debet, et semper coexsistere alterum altero. Feminam enim Aeonem pariter esse oportet cum masculo, secundum eos, cum sit velut affectio ejus.

3. Et haec cum ita se habeant, et cum haec dicantur ab ipsis, rursus impudorate audent docere, juniorem duodecadis Aeonem, quem et Sophiam appellant, sine permistione conjugis, quem Theletum vocant, passam esse passionem, et separatim sine eo fructum generasse, quem

et feminam a femina nominant; in tantum dementiae progressi, ita ut manifestissime duas contrarias de eodem sententias censeant. Si enim Bythus adunitus est cum Sige, et Nus cum Alethia, et Logos cum Zoe, et reliqui deinceps; quemadmodum poterat Sophia sine conjugis perplexione pati aliquid, vel generare? Si autem haec sine illo passa est, necesse est et reliquas conjugationes abscessionem et separationem a semetipsis accipere: quod est impossibile, sicut praediximus. Impossibile est ergo et Sophiam passam esse sine Theleto: et soluta est ipsorum rursus omnis argumentatio. De passione enim, quam sine complexione conjugis passam eam dicunt, iterum reliquam universam velut tragoediae compositionem affinxerunt.

4. Si autem impudorate et reliquas conjugationes disjunctas ab invicem dixerint esse separatas, propter novissimam conjugationem, uti non solvatur illorum vaniloquium: primo quidem impossibili insistunt rei. Quemadmodum enim separabunt Propatorem ab Ennoea ejus, aut Nun ab Alethia, aut Logon a Zoe, et reliquos similiter? Quemadmodum autem et ipsi ad unitatem recurrere dicunt, et omnes unum esse; si quidem hae, quae sunt intra Pleroma conjugationes, unitatem non custodiunt, sed distantes sunt ab invicem: in tantum uti et patiantur, et generent sine alterius complexu, quemadmodum gallinae sine caponibus?

5. Post demum, et sic solvetur illorum rursum prima et archegonos ogdoas. Erunt enim specialiter in eodem Pleromate Bythus et Sige, Nus

et Alethia, Logos et Zoe, Anthropos et Ecclesia. Impossibile est autem Logo praesente Sigen esse, aut iterum Sige praesente Logon ostendi. Haec enim consumptibilia sunt invicem, quemadmodum lumen et tenebrae in eodem nequaquam erunt: sed si quidem lumen sit, non sunt tenebrae; ubi autem tenebrae sunt, non erit lumen: veniente enim lumine, solutae sunt tenebrae. Sic ubi est Sige, non erit Logos; et ubi Logos, non utique est Sige. Si autem endiatheton Logon dixerint, endiathetos erit et Sige; et nihilominus solvetur ab endiatheto Logo. Quoniam autem non est endiathetos, ipsa haec ordinatio ipsorum emissionis significat.

6. Jam igitur non dicant, primam et principalem ogdoadem ex Logo et Sige constare, sed aut Sigen, aut Logon refutent: et soluta est illorum prima et principalis ogdoas. Si enim unitas conjugationes dixerint, soluta est eorum universa argumentatio. Quomodo enim unitis eis, Sophia sine conjuge labem generavit? Si autem, sicut in emissione, unumquemque ex Aeonibus propriam substantiam habere dicent: quemadmodum in eodem ostendi potest Sige et Logos? Et haec quidem secundum diminutionem.

7. Secundum autem id quod plus est, rursus solvitur triacontas ipsorum sic: Emissum enim a Monogene dicunt, sicut et reliquos Aeonas, Horon, quem plurimis nominibus vocant, sicut praediximus in eo, qui ante hunc est liber. Hunc autem Horon quidam quidem a Monogene emissum dicunt, alii vero ab ipso Propatore in similitudine sua. Adhuc etiam emissionem dicunt fac-

tam a Monogene Christum et Spiritum sanctum, et hos non annumerant ad numerum Pleromatis: sed neque Salvatorem, quem etiam Totum esse dicunt. Hoc enim manifestum est et caeco, quoniam non solum triginta emissiones secundum illos emissae sunt, sed et quatuor cum istis triginta. Ipsum enim Propatorem annumerant in Pleroma, et eos qui ex successione ab invicem emissi sunt. Quid quod isti non annumerabuntur illis in eodem Pleromate exsistentes, qui adepti sunt eamdem emissionem? Quam enim edicere possunt justam causam, ob quam non annumerant cum reliquis Aeonibus, neque Christum, quem volente Patre a Monogene dicunt esse emissum, neque Spiritum sanctum, neque Horon, quem et Sotera dicunt; sed neque ipsum Salvatorem, qui venit ad auxilium et formationem Matris ipsorum? Utrum quasi sint isti infimiores illorum, et ideo indignos esse Aeonum appellatione et numero: aut quasi meliores sint et differentes? Sed infimi quidem quomodo fient, qui etiam in fixionem et emendationem reliquorum emissi sunt? Meliores autem rursus prima et principali tetrade esse non possunt, a qua et emissi sunt: et illa enim enumeratur in praedictum numerum. Oportuerat autem et istos annumerari in Pleromate Aeonum: aut et illorum Aeonum honorem hujusmodi appellationis auferri.

8. Cum ergo sit soluta illorum triacontas, sicut ostendimus, et secundum id quod minus est, et secundum id quod plus est (in tali enim numero si plus fuerit, aut minus, reprobabilem faciet numerum, quanto magis tanta?): instabilis igitur

ea quae est de ogdoade ipsorum, et de duodecade fabula. Instabilis autem et universa illorum regula, ipso firmamento ipsorum dissipato, et in Bythum, hoc est, in id quod non est, dissoluto. Quaerant igitur jam amodo alias causas ostendere, quare triginta annorum Dominus ad baptismum venerit; et duodecadis apostolorum; et ejus quae est sanguinis profluvium passa; et reliquorum quaecunque vane laborantes delirant.

CAPUT XIII

Primum ordinem emissionis haereticorum nulla ratione defendi posse.

1. Et ipsum quidem primum ordinem emissionis ipsorum reprobabilem esse sic ostendimus. Emissum enim dicunt de Bytho et hujus Ennoea Nun et Alethian, quod quidem contrarium ostenditur, Nus enim est ipsum quod est principale, et summum, et velut principium, et fons universi sensus. Ennoia autem, quae ab hoc, est qualislibet et de quolibet facta motio. Non capit igitur ex Bytho et Ennoia emissum esse Nun: verisimilius enim erat dicere eos, de Propatore et de hoc Nu emissam esse filiam Ennoiam. Non enim Ennoia mater est Noos, sicut dicunt; sed Nus pater fit Ennoiae. Quemadmodum autem et emissus est Nus a Propatore, qui principalem, et primum ejus, quae est intus, absconditae et invisibilis affectionis locum continet? a qua sensus generatur, et Ennoia, et Enthymesis, et talia, quae non alia sunt praeter Nun; sed illius ipsius, quemadmodum praediximus, de aliquo in cogitatu dispositae qualeslibet motiones; secundum

perseverationem et augmentum, non secundum immutationem vocabula accipientes, et in cognitionem conterminatae, et in verbum coemissae, sensu manente intus, et condente, et administrante, et gubernante libere et ex sua potestate, quemadmodum et vult, quae praedicta sunt.

2. Prima enim motio ejus de aliquo, ennoia appellatur; perseverans autem et aucta, et universam apprehendens animam, enthymesis vocatur. Haec autem enthymesis multum temporis faciens in eodem, et velut probata, sensatio nominatur. Haec autem sensatio in multum dilatata, consilium facta est; augmentum autem et motus in multum dilatatus consilii, cogitationis examinatio: quae etiam in mente perseverans, verbum rectissime appellabitur; ex quo emissibilis emittitur verbum. Unum autem et idem est omnia quae praedicta sunt, a Noo initium accipientia; et secundum augmentum assumentia appellationes. Quemadmodum et corpus hominis, aliquando quidem novellum, aliquando quidem virile, aliquando autem senile, secundum augmentum et perseverantiam accepit appellationes, sed non secundum substantiae demutationem, neque secundum corporis amissionem: sic et illa. De quo enim quis contemplatur, de eo cogitat: et de quo cogitat, de hoc et sapit: de quo autem et sapit, de hoc et consiliatur: et quod consiliatur, hoc et animo tractat: et quod animo tractat, hoc et loquitur. Haec autem omnia, quemadmodum diximus, Nus gubernat, cum sit ipse invisibilis, et a semetipso per ea, quae praedicta sunt, sicut per

radium, emittens verbum; sed non ipse ab alio emittitur.

3. Et haec quidem in hominibus capit dici, cum sint compositi natura, et ex corpore et anima subsistentes. Qui autem dicunt ex Deo emissam esse Ennoeam, et ex Ennoea Nun, deinceps ex iis Logon; primo quidem arguendi sunt improprie emissionibus usi; post deinde, hominum affectiones, et passiones, et intentiones mentis describentes, Deum autem ignorantes: qui quidem ea, quae obveniunt hominibus ad loquendum eos, applicant omnium Patri, quem etiam ignotum omnibus dicunt, negantes quidem ipsum mundum fecisse, ut ne quidem pusillus putetur; hominum autem affectiones et passiones donantes. Si autem Scripturas cognovissent, et a veritate docti essent, scirent utique quoniam non sic Deus, quemadmodum homines; et non sic cogitationes ejus, quomodo cogitationes hominum. Multum enim distat omnium Pater ab his, quae proveniunt hominibus, affectionibus et passionibus: et simplex, et non compositus, et similimembrius, et totus ipse sibimetipsi similis, et aequalis est; totus cum sit sensus, et totus spiritus, et totus sensuabilitas, et totus ennoea, et totus ratio, et totus auditus, et totus oculus, et totus lumen, et totus fons omnium bonorum; quemadmodum adest religiosis ac piis dicere de Deo.

4. Est autem et super haec, et propter haec inenarrabilis. Sensus enim capax omnium bene et recte dicetur, sed non similis hominum sensui: et lumen rectissime dicetur, sed nihil simile ei,

quod est secundum nos, lumini. Sic autem et in reliquis omnibus nulli similis erit omnium Pater hominum pusillitati: et dicitur quidem secundum haec propter dilectionem, sentitur autem super haec secundum magnitudinem. Si igitur et in hominibus ipse quidem sensus non emittitur, neque separatur a vivo is, qui emittit reliqua, motiones autem ejus et affectus perveniunt ad manifestum; multo magis Dei, qui totus sensus est, ipse a semetipso nequaquam separabitur, neque quasi ab alio aliud emittitur.

5. Si enim sensum emisit, ipse qui emisit sensum, secundum eos, compositus et corporalis intelligitur, ut sit separatim quidem qui emisit, Deus; separatim autem qui emissus est, sensus. Si autem de sensu sensum dicant emissum, praecidunt sensum Dei et partiuntur. Quo autem, et unde emissus est? Quod enim ab aliquo emittitur, in aliquid subjectum emittitur. Quid autem subjacebat antiquius, quam sensus Dei, in quod emissum dicunt eum? Quantus autem et erat locus, ut susciperet et caperet Dei sensum? Si autem, quemadmodum a sole radium, dicant; sicut subjacet aer hic susceptor; et antiquior erit, quam ipse radius: et illic ostendant subjacens aliquid, in quod emissus est sensus Dei, capabile ejus et antiquius. Post oportebit, quemadmodum solem minorem esse quam omnia videmus, longe a semetipso emittentem radios; sic et Propatorem dicere extra et longe a semetipso emisisse radium. Quidnam autem extra, aut longe sentiri a Deo potest, in quod radium emisit?

6. Si autem non emissum extra Patrem illum dicant, sed in ipso Patre; primo quidem superfluum erit etiam dicere emissum esse eum. Quemadmodum enim emissus est, si intra Patrem erat? Emissio enim est ejus, quod emittitur, extra emittentem manifestatio. Post deinde, hoc emisso, et is qui est ab eo Logos erit intra Patrem; similiter autem et reliquae Logi emissiones. Jam igitur non ignorabunt Patrem, cum intra eum sint; nec secundum descensionem emissionum minus aliquis cognoscet eum, undique omnes a Patre aequaliter circumdati; sed et impassibiles omnes similiter perseverabunt, cum sint in paternis visceribus, et in deminoratione nemo ipsorum erit. Non enim est deminoratio Pater: nisi forte, velut in circulo magno minor continetur circulus, et intra hunc rursus alter minor, aut velut sphaerae similitudine, aut tetragoni, Patrem dicant intra se undique continere sphaerae similitudinem, vel quadratam reliquam Aeonum emissionem, unoquoque illorum circumdato ab eo, qui est super eum major; et circumdante eum, qui post se est, minorem, et propter hoc minorem et ultimum omnium in medio constitutum, et multum a Patre separatum, ignorasse Propatorem. Si autem haec dixerint, in figura et circumscriptione concludent Bythum ipsorum, et circumdantem, et circumdatum; cogentur enim et extra illum confiteri esse aliquid, quod circumdet eum. Et nihilominus in immensum de his qui continent et continentur, incidet sermo: et corpora inclusa esse omnes manifeste apparebunt.

7. Adhuc etiam aut vacuum esse eum confitebuntur; aut omne quod est intra eum, omnes similiter participabunt de Patre. Quemadmodum in aqua circulos si quis faciat, vel rotundas vel quadratas figuras, omnia haec similiter participabunt de aqua: quemadmodum et quae in aere fabricantur, necesse est participare de aere; et quae in lumine, de lumine: sic et qui sunt intra eum, omnes similiter participabunt de Patre, ignorantia apud eos locum non habente. Ubi enim participatio Patris adimplentis? Si autem adimplevit, illic et ignorantia non erit. Solvetur igitur ipsorum deminorationis opera, et materiae emissio, et reliqua mundi fabricatio; quae ex passione et ignorantia volunt substantiam habuisse. Si autem vacuum illum confitebuntur, in maximam incidentes blasphemiam, denegabunt id quod est spiritale ejus. Quemadmodum enim est spiritalis is, qui ne quidem ea quae intra eum sunt, adimplere potest?

8. Haec autem, quae dicta sunt de sensus emissione, similiter et adversus eos, qui a Basilide sunt, aptata sunt: et adversus reliquos Gnosticos, a quibus et hi initia emissionum accipientes, convicti sunt in primo libro. Sed quoniam quidem reprobabilis et impossibilis prima Noos, id est sensus ipsorum, emissio est, manifeste ostendimus. Videamus autem et de reliquis. Ab hoc enim Logon et Zoen fabricatores hujus Pleromatis dicunt emissos, et Logi, id est Verbi, quidem emissionem ab hominum affectione accipientes, et addivinantes adversus Deum, quasi aliquid magnum adinvenientes in eo quod dicunt, a

Nu esse emissum Logon: quod quidem omnes videlicet sciunt, quoniam in hominibus quidem consequenter dicatur; in eo autem qui sit super omnes Deus, totus Nus et totus Logos cum sit, quemadmodum praediximus, et nec aliud antiquius, nec posterius, aut aliud alterius habente in se, sed toto aequali et simili et uno perseverante, jam non talis hujus ordinationis sequitur emissio. Quemadmodum qui dicit eum totum visionem, et totum auditum, (in quo autem videt, in ipso et audit; et in quo audit, in ipso et videt) non peccat; sic et qui ait, totum illum sensum, et totum verbum, et in quo sensus est, in hoc et verbum esse, et verbum esse ejus hunc Nun, minus quidem adhuc de Patre omnium sentiet; decentiora autem magis quam hi, generationem prolativi hominum verbi transferunt in Dei aeternum Verbum, et prolationis initium donantes et genesin, quemadmodum et suo verbo. Et in quo distabit Dei Verbum, imo magis ipse Deus, cum sit Verbum, a verbo hominum, si eamdem habuerit ordinationem et emissionem generationis?

9. Peccaverunt autem et circa Zoen, dicentes eam sexto loco emissam, quam oportebat omnibus praeponere, quoniam Deus vita est, et incorruptela, et veritas. Et non secundum descensionem, et quae sunt talia acceperunt emissiones; sed earum virtutum quae semper sunt cum Deo, appellationes sunt, quemadmodum possibile est et dignum hominibus audire et dicere de Deo. Appellatione enim Dei coobaudientur sensus, et verbum, et vita, et incorruptela, et veritas, et sapientia, et bonitas, et omnia talia. Et neque

sensum vita antiquiorem aliquis potest dicere; ipse enim sensus vita est: nec vitam posteriorem a sensu, uti non fiat aliquando sine vita is qui est omnium sensus, id est Deus. Si autem dixerint, in Patre quidem fuisse vitam, sexto autem loco prolatam, ut vivat Verbum; multo ante, eam quidem oportebat quarto loco emitti, ut vivat Nus, et adhuc etiam ante hunc cum Bytho, ut vivat Bythus ipsorum: cum Propatore enim ipsorum annumerare quidem Sigen, et hanc conjugem ei donare, non connumerare autem Zoen, quomodo non super omnem est insipientiam?

10. De ea autem, quae est ex his, secunda emissione Hominis et Ecclesiae, ipsi patres eorum, falso cognominati Gnostici, pugnant adversus invicem, sua propria vindicantes, et malos fures semetipsos convincentes; aptabile esse magis emissioni dicentes, uti verisimile, ex Homine Verbum, sed non ex Verbo Hominem emissum: et esse Hominem Verbo anteriorem, et hunc esse, qui est super omnia Deus. Et usque hoc quidem, quemadmodum praediximus, omnes hominum affectiones, et motiones mentis, et generationes intentionum, et emissiones verborum conjicientes verisimiliter, non verisimiliter mentiti sunt adversus Deum. Ea enim quae accidunt hominibus, et quaecunque patientes ipsi recognoscunt, ad divinam rationem adducentes, apta dicere videntur apud eos, qui ignorant Deum; et per humanas has passiones transducentes eorum sensum, genesin et probolen quinto loco Verbo Dei enarrantes, mirabilia mysteria, et inenarrabilia, et alta, a nullo alio cognita dicunt se docere, de

quibus et dixerit Dominus: Quaerite et invenietis; ut quaerant scilicet, qui de Bytho et Sige Nus, et Alethia processerunt; si sunt ex eis rursus Logos et Zoe, dehinc ex Logo et Zoe, Anthropos et Ecclesia.

CAPUT XIV

Valentinum et sequaces a gentilibus doctrinae suae principia, mutatis tantum nominibus, accepisse.

1. Multo verisimilius et gratius de universorum genesi dixit unus de veteribus comicis Antiphanes in Theogonia. Ille enim de nocte et silentio Chaos emissum dicit, dehinc de Chao et nocte cupidinem, et ex hoc lumen, dehinc reliquam secundum eum primam deorum genesin. Post quos rursus secundam deorum generationem inducit, et mundi fabricationem; dehinc de secundis diis narrat hominum plasmationem. Unde ipsi assumentes sibi fabulam, quasi naturali disputatione commenti sunt, solummodo demutantes eorum nomina, idipsum autem universorum generationis initium et emissionem ostendentes: pro nocte et silentio, Bythum et Sigen nominantes; pro Chao autem, Nun; et pro cupidine (per quem, ait comicus, reliqua omnia disposita), hi Verbum attraxerunt; et pro primis ac maximis diis, Aeonas formaverunt, et pro secundis diis, eam, quae est extra Pleroma, Matris ipsorum enarrant dispositionem, secundam ogdoaden vocantes eam; ex qua mundi fabricationem et plasmationem hominum, similiter atque ille, annuntiant inenarrabilia et incognita mysteria solos se dicentes scire:

quae ubique in theatris ab hypocritis splendidissimis vocibus comoedizantur, transferentes in suum argumentum, imo vero hisdem argumentis docentes, tantum immutantes nomina.

2. Et non solum quae apud comicos posita sunt, arguuntur quasi propria proferentes; sed etiam quae apud omnes, qui Deum ignorant et qui dicuntur philosophi, sunt dicta, haec congregant et quasi centonem ex multis et pessimis panniculis consarcientes, finctum superficium subtili eloquio sibi ipsis praeparaverunt: novam quidem introducentes doctrinam, propterea quod nunc nova arte substituta sit; veterem autem et inutilem, quoniam quidem de veteribus dogmatibus, ignorantiam et irreligiositatem olentibus, haec eadem subsuta sunt. Thales quidem Milesius universorum generationem et initium aquam dixit esse. Idem autem est dicere aquam, et Bythum. Homerus autem poeta Oceanum deorum genesin, et matrem Thetin dogmatizavit: quae quidem hi in Bythum et Sigen transtulerunt. Anaximander autem hoc quod immensum est, omnium initium subjecit, seminaliter habens in semetipso omnium genesin, ex quo immensos mundos constare ait; et hoc autem in Bythum et in Aeonas ipsorum transfiguraverunt. Anaxagoras autem, qui et Atheus cognominatus est, dogmatizavit facta animalia, decidentibus e coelo in terram seminibus: quod et hi ipsi in Matris suae transtulerunt semina, et esse hoc semen seipsos: statim confitentes apud eos, qui sensum habent, et ipsos esse quae sunt Anaxagorae irreligiosi semina.

3. Umbram autem et vacuum ipsorum a Democrito et Epicuro sumentes, sibimetipsis aptaverunt, cum illi primum multum sermonem fecerint de vacuo et de atomis; quorum alterum quidem quid esse vocaverunt; alterum vero, quod non est appellaverunt: quemadmodum et hi esse quidem illa, quae sunt intra Pleroma, vocant, quemadmodum illi atomos; non esse autem haec, quae sunt extra Pleroma, quemadmodum illi vacuum. Semetipsos ergo in hoc mundo, cum sint extra Pleroma, in locum qui non est, deputaverunt. Quod autem dicunt imagines esse haec eorum quae sunt, rursus manifestissime Democriti et Platonis sententiam edisserunt. Democritus enim primus ait, multas et varias ab universitate figuras expressas descendisse in hunc mundum. Plato vero rursus materiam dicit, et exemplum, et Deum; quos isti sequentes, figuras illius et exemplum, imagines eorum, quae sunt sursum, vocaverunt, per demutationem nominis semetipsos inventores et factores hujusmodi imaginariae fictionis gloriantes.

4. Et hoc autem quod ex subjecta materia dicunt fabricatorem fecisse mundum, et Anaxagoras, et Empedocles, et Plato primi ante hos dixerunt; ut videlicet datur intelligi, et ipsi a Matre sua inspirati. Quod autem ex necessitate unumquodque in illa secedit, ex quibus et factum esse dicunt, et hujus necessitatis servum esse Deum, ita ut non possit mortali immortalitatem addere, vel corruptibili incorruptelam donare, sed secedere unumquemque in similem naturae suae substantiam; et hi qui ex porticu Stoici

appellantur, et universi quotquot Deum ignorant, poetae et conscriptores affirmant. Qui eamdem habentes infidelitatem, spiritalibus quidem suam regionem attribuerunt, eam quae est intra Pleroma; animalibus autem, medietatis: corporalibus autem, quod choicum; et praeter haec nihil posse Deum, sed unumquemque praedictorum ad ea, quae sunt ejusdem substantiae, secedere affirmant.

5. Quod autem Salvatorem ex omnibus factum esse Aeonibus dicant, omnibus in eum deponentibus velut florem suum, non extra Hesiodi Pandoram novum aliquid afferunt. Quae enim ille ait de illa, haec hi de Salvatore insinuant, Pandoron introducentes eum, quasi unusquisque Aeonum, quod haberet optimum, donaverit ei. Ipsam autem eduliorum, et reliquarum operationum indifferentem sententiam, et quod putent a nemine in totum posse coinquinari propter generositatem, licet quodcunque manducent vel operentur, a Cynicis possederunt, cum sint cum eis ejusdem testamenti. Et minutiloquium, et subtilitatem circa quaestiones, cum sit Aristotelicum, inferre fidei conantur.

6. Quod autem velint in numeros transferre universum hoc, a Pythagoricis acceperunt. Primum enim hi initium omnium numeros substituerunt, et initium ipsorum parem et imparem, ex quibus et ea quae sensibilia et insensata sunt, subjecerunt. Et altera quidem substitutionis initia esse; altera autem sensationis et substantiae; ex quibus primis omnia perfecta dicunt, quemadmodum statuam de aeramento et de formatione.

Hoc autem ii his qui sunt extra Pleroma aptaverunt. Sensationis autem initia dixerunt, in quem sensus intelligens est ejus quod primum assumptum est; quaerit quoadusque defatigata ad unum et indivisibile concurrat. Et esse omnium initium, et substantiam universae generationis Hen, id est unum; ex hoc autem dyadem, et tetradem, et pentadem, et reliquorum multifariam generationem. Haec hi ad verbum de Plenitudine suorum et Bytho dicunt; unde etiam et eas quae sunt de uno, conjugationes adnituntur introducere, quae Marcus velut sua jactans, velut novius aliquid visus est praeter reliquos adinvenisse; Pythagorae quaternationem, velut genesin et matrem omnium enarrans.

7. Dicemus autem adversus eos: utrumne hi omnes, qui praedicti sunt, cum quibus eadem dicentes arguimini, cognoverunt veritatem, aut non cognoverunt? Et si quidem cognoverunt, superflua est Salvatoris in hunc mundum descensio. Utquid enim descendebat? Nunquid ut eam, quae cognoscebatur veritas, in agnitionem adduceret his, qui cognoscunt eam, hominibus? Si autem non cognoverunt, quemadmodum eadem cum his, qui veritatem non cognoscebant, dicentes, solos vosmetipsos eam, quae est super omnia cognitio, habere gloriamini, quam etiam, qui ignorant Deum, habent? Secundum antiphrasin ergo, veritatis ignorantiam, agnitionem vocant: et bene Paulus ait, vocum novitates falsae agnitionis. Vere enim falsa agnitio ipsorum inventa est. Si autem impudenter agentes super haec dicent, homines quidem non cognovisse veritatem,

Matrem autem ipsorum, [vel] semen paternale per tales homines, quemadmodum et per prophetas, enuntiasse mysteria veritatis, ignorante Demiurgo: primo quidem non talia erant, quae sunt praedicta, ut non a quolibet intelligantur: etenim ipsi homines sciebant, quae dicebant, et discipuli ipsorum, et horum successores. Post deinde, vel Mater, vel semen, si cognoscebant et enarrabant ea quae erant veritatis; veritas autem Pater: Salvator ergo, secundum eos, erit mentitus, dicens: Nemo cognovit Patrem, nisi Filius. Si enim cognitus est vel a Matre, vel a semine ejus; solutum est illud, quod nemo cognovit Patrem, nisi Filius; nisi si semen ipsorum, vel Matrem neminem esse dicunt.

8. Et usque hoc quidem per humanas affectiones, et per id quod similia dicant multis ignorantibus Deum, verisimiliter visi sunt abstrahere quosdam; attrahentes per ea quae assueti sunt, in eum qui est de omnibus sermonem, Verbi Dei genesin exponentes, et Vitae, adhuc etiam Sensus, et Dei emissiones obstetricantes. Quae autem ex his non verisimiliter et sine ostensione, omnia ex omnibus mentiti sunt. Quemadmodum qui assuetas escas, et ut illiciant, praemittunt, uti capiant aliquod animal, sensim blandientes eis per assueta pabula, quousque accipiant; sumentes autem ea captiva, alligant amarissime, et ducunt per vim abstrahentes quocunque ipsi voluerint; sic autem et hi paulatim mansueti dissuadentes per pithanologiam assumere praedictam emissionem, inferunt neque congruentia, neque opinatas reliquarum emissionum species; ex Logo

quidem et Zoe decem dicentes Aeonas emissos, de Anthropo autem et Ecclesia, duodecim: et horum nec ostensionem, nec testimonia, nec verisimilitudinem; nec in totum aliquid talium habentes, frustra autem, et prout evenit, credi volunt, ex Logo et Zoe, Aeonis exsistentibus, emissum esse Bythium et Mixin, Insenescibilem et Unitionem, Naturalem et Delectamentum, Immobilem et Contemperamentum, Monogenem et Macariam. De Anthropo autem et Ecclesia, similiter Aeonis exsistentibus, emissum esse Paracletum et Pistin, Patricon et Elpida, Metricon et Agapen, Aenon et Synesin; Ecclesiasticum et Macarioteta, Theleton et Sophiam.

9. Hujus autem Sophiae passiones, et errorem, et quemadmodum periclitata est perire propter inquisitionem Patris, quemadmodum dicunt, et extra Pleroma operositatem, et ex quali labe mundi fabricatorem emissum docent, in eo, qui est ante hunc, libro sententias haereticorum enarrantes, cum omni diligentia exposuimus: Christum autem, quem postgenitum his omnibus emissum esse dicunt, et Sotera; aut ex his, qui in labe facti sunt, Aeonibus habuisse substantiam. Necessarie autem nunc nominum istorum meminimus, ut ex istis sit manifestum absurdum eorum mendacium, et confusio fictae nominationis. Ipsi autem detrahunt Aeonibus suis hujusmodi appellationibus multis; ethnicis verisimilia et credibilia apponentibus nomina his, qui vocantur duodecim dii ipsorum, quos et ipsos imagines duodecim Aeonibus esse volunt; imaginibus multo decentiora, et magis potentia,

per etymologiam ad intentionem divinitatis adducere nomina habentibus.

CAPUT XV

Emissionum rationem nullam afferri posse.

1. Revertamur autem nos ad praedictam emissionum quaestionem. Et primo quidem dicant nobis causam hujusmodi emissionis Aeonum, ut nihil tangant eorum quae sunt conditionis. Non enim illa propter conditionem dicunt facta, sed conditionem propter illa; et non illa horum imagines, sed haec illorum esse dicunt. Quemadmodum igitur imaginum causam reddunt dicentes, mensem quidem triginta habere dies propter triginta Aeonas, et diem duodecim horas, et annum duodecim menses, propter duodecim Aeonas, quae sunt intra Pleroma, et quaecunque talia delirant; nunc dicant nobis causam istam Aeonum emissionis, quid quia facta est talis: propter quid autem prima et archegonos omnium octonatio emissa est, et non quinio, vel trinitas, aut septenatio, aut aliquid eorum, quae in alterum numerum confiniuntur? Et quid quia ex Logo et Zoe decem emissi sunt Aeones, et non plures aut minus: et rursus ex Anthropo et Ecclesia duodecim, cum possent et haec, aut plus, aut minus fieri?

2. Universum quoque Pleroma, quid utique tripartitum est in octonationem, et decadem, et duodecadem: et non alterum quemdam, praeter hos, numerum? Et divisio autem ipsa, quid utique in tres, et non in quatuor, vel quinque, vel sex, vel in alterum quemdam facta est numerum nihil tangentes, eorum numerorum, qui sunt condi-

tionis (antiquiora enim illa his dicunt, et oportet ea propriam habere rationem, eam quae est ante constitutionem, sed non eam quae est secundum constitutionem), consentientes ad consonationem.

3. Quam quidem nos de conditione enuntiantes, aptabilia dicimus (apta est enim haec rhythmizatio his quae facta sunt) huic rhythmizationi; illos autem propriam causam de his, quae anteriora sunt, et a semetipsis perfecta, non habentes enuntiare, in summam aporiam incidere necesse est. Quae enim nos de constitutione velut ignorantes interrogant, ipsi de Pleromate econtrario interrogati, vel humanas affectiones enarrabunt, vel in eum descendent sermonem, qui est erga consonantiam quae est in creatura, improprie respondentes de secundis, et non secundum eos de primis. Non enim de ea quae est secundum creaturam consonantia, nec de humanis affectionibus interrogamus eos; sed quia utique Pleroma ipsorum, cujus imaginem creaturam esse dicunt, octiforme, et deciforme, et duodeciforme est, vane et improvide Pleroma ejusmodi figurae effecisse Patrem ipsorum fatebuntur, et deformitatem circumdabunt Patri, si irrationabiliter aliquid fecit. Aut rursus si secundum providentiam Patris dicent sic emissum Pleroma, propter creaturam, uti bene rhythmizati ipsam essentiam; jam non propter se factum erit Pleroma, sed propter eam, quae secundum similitudinem ipsius futura esset imago: (quemadmodum quae de luto est, non propter semetipsam figuratur statua; sed propter eam quae ex aeramento, vel auro, vel

argento habet fieri) et honoratior creatura erit quam Pleroma, si propter illam illa emissa sunt.

CAPUT XVI

Vel mundi conditorem a seipso rerum creandarum imagines accepisse, vel Pleroma ad alterius cujuspiam dispositionis superioris imaginem factum esse; illam vero ad alius, et sic in infinitum.

1. Si autem nulli eorum assentire voluerint, quoniam convincentur a nobis, non habentes reddere causam talis emissionis Pleromatis ipsorum, cogentur concludi, uti confiteantur supra, Pleroma alteram quamdam esse dispositionem magis spiritalem et magis dominantem, secundum quam deformatum est Pleroma ipsorum. Si enim Demiurgus non a semetipso figurationem creaturae fabricavit talem, sed secundum illorum, quae sursum erant, figuram; Bythus ipsorum, qui utique hujusmodi figurationis perfecit esse Pleroma, vel a quo figuram eorum quae ante ipsum facta sunt, accepit? Oportet enim vel in eo Deo qui fecerit mundum, perseverare sententiam, quoniam sua potestate, et a semetipso accepit exemplum mundi fabricationis: vel si motus quis ab hoc fuerit, semper quaerendi necessitas erit, unde ei, qui super eum est, figuratio eorum quae facta sunt, quis et numerus emissionum, et substantia ipsius exempli? Si autem licuit Bytho a semetipso talem figurationem Pleromatis perficere, quid utique Demiurgo non licuit a semetipso mundum talem fecisse? Rursum igitur si illorum imago conditio est, quid prohibet illa

eorum, quae super ea sunt, imagines esse dicere, et quae super ea sunt, rursus aliorum; et in immensas imagines imaginum excidere?

2. Sicut passus est Basilides, cum minime attigisset veritatem, et putans per immensam successionem eorum, quae ex invicem facta sunt, effugere talem aporiam; quando CCCLXV coelos per successionem et similitudinem ab invicem factos enuntiavit, et horum ostensionem esse numerum anni dierum, quemadmodum praediximus: et super hos Virtutem, quam et Innominabilem vocant, et hujus dispositionem: et nec sic quidem effugit talem aporiam. Interrogatus enim unde coelo ei, qui est super omnes, ex quo reliquos per successionem factos vult, figurationis imago? Ab ea dispositione, dicet, quae est secundum Innominabilem. Et aut Innominabilem a semetipso fecisse dicet eam; vel alteram quamdam super hunc potestatem esse consentire necesse habebit, ex qua accepit Innominabilis ejus tantam eorum, quae sunt secundum eum, figurationem.

3. Quanto igitur tutius et diligentius, quod est verum statim initio confiteri, quoniam fabricator Deus hic, qui mundum fecit, solus est Deus, et non est alius Deus praeter eum; ipse a semetipso exemplum et figurationem eorum quae facta sunt, accipiens: quam post tantam irreligiositatem et circuitum defessos, cogi aliquando in aliquo uno statuere sensum, et ex eo figurationem factorum confiteri?

4. Etenim hoc quod imputant nobis qui sunt a Valentino, in ea quae est deorsum hebdomade

dicentes nos remanere, quasi non attollentes in altum mentem, neque quae sursum sunt sentientes, quoniam portentiloquium ipsorum non recipimus; hoc idem ipsum qui a Basilide sunt, his imputant, quasi his adhuc circa ea quae deorsum sunt volutantibus usque ad primam et secundam octonationem, et post triginta Aeonas indocte putare eos statim invenisse eum, qui super omnia est, Patrem, non investigantes sensu in id quod est super CCCLXV coelos Pleroma, quae est supra quadraginta quinque ogdoadas. Et illis iterum juste quis imputabit, fingens quatuor millia et CCC et LXXX coelos, vel Aeonas; quoniam hi dies anni tantas horas habent. Si autem quis et noctium apponat, duplicans praedictas horas, magnam multitudinem octonationum et innumerabilem quamdam Aeonum operositatem putans adinvenisse, adversus eum qui est super omnia Pater, omnium semetipsum perfectiorem suspicans, eadem omnibus imputabit: quoniam non sufficiant in altitudinem ejus quae ab ipso dicebatur multitudo coelorum, vel Aeonum; sed deficientes vel in ea quae sunt deorsum, vel in medietatem perseverant.

CAPUT XVII

Quaeritur qualis sit Aeonum emissio, et ostenditur eam, qualiscunque fingatur, ex omni parte repugnare; ipsumque Nun, atque etiam Patrem posita haereticorum hypothesi, ignorantiae labe maculari.

1. Ejus igitur, quae est secundum Pleroma ipsorum, dispositionis, et maxime ejus, quae

est secundum primam ogdoadem, tantas contradictiones et aporias habentes, inspiciamus et reliqua; propter illorum insensationem et nos de his quae non sunt quaerentes; necessarie autem et hoc facientes, quoniam hujus rei credita est nobis procuratio, et qui velimus omnes homines ad agnitionem veritatis venire: et quoniam tu ipse postulaveris accipere a nobis multas et universas eversionis eorum occasiones.

2. Quaeritur igitur, quemadmodum emissi sunt reliqui Aeones? Utrum uniti ei qui emiserit, quemadmodum a sole radii, an efficabiliter et partiliter, uti sit unusquisque eorum separatim, et suam figurationem habens, quemadmodum ab homine homo, et a pecude pecus? Aut secundum germinationem, quemadmodum ab arbore rami? Et utrum ejusdem substantiae exsistebant his qui se emiserunt, an ex altera quadam substantia substantiam habentes? Et utrum in eodem emissi sunt, ut ejusdem temporis essent sibi; an secundum ordinem quemdam, ita ut antiquiores quidam ipsorum, alii vero juniores essent? Et utrum simplices quidem et uniformes, et undique sibi aequales et similes, quemadmodum spiritus et lumina emissa sunt; an compositi et differentes, dissimiles membris suis?

3. Sed si quidem efficabiliter et secundum suam genesin unusquisque illorum emissus est secundum hominum similitudinem; vel generationes Patris erunt ejusdem substantiae ei et similes generatori; vel si dissimiles parebunt, ex altera quadam substantia confiteri eos esse necesse est. Et si quidem Patris generationes

similes emissori, impassibilia perseverabunt ea quae emissa sunt, quemadmodum et is qui emisit illa; si autem ex altera quadam substantia, quae est capax passionum, unde haec dissimilis substantia intra illud, quod est incorruptelae, Pleroma? Adhuc etiam secundum hanc rationem unusquisque eorum separatim divisus ab altero intelligetur, quemadmodum homines, non admistus, nec unitus alter altero, sed in figuratione discreta, et circumscriptione definita, et magnitudinis quantitate unusquisque ipsorum deformatus; quae propria corporis sunt, et non spiritus. Jam igitur non spiritale Pleroma esse dicant, nec semetipsos spiritales; siquidem, velut homines, Aeones ipsorum epulantes sedent apud Patrem, et ipsum tali figuratione exsistentem quemadmodum detegunt eum qui ab eo emissi sunt.

4. Si autem, velut a lumine lumina accensa, sunt Aeones a Logo, Logos autem a Nu, et Nus a Bytho, velut, verbi gratia, a facula faculae; generatione quidem et magnitudine fortasse distabunt ab invicem: ejusdem autem substantiae cum sint cum principe emissionis ipsorum, aut omnes impassibiles perseverant, aut et Pater ipsorum participabit passiones. Neque enim quae postea accensa est facula, alterum lumen habebit quam illud quod ante eam fuit. Quapropter et lumina ipsorum composita in unum, in principalem unitionem recurrunt, cum fiat unum lumen quod fuit et a principio. Quod autem juvenius est et antiquius, neque in ipso lumine intelligi potest (unum enim lumen est totum), nec in ipsis quae

perceperunt lumen faculis (etenim ipsae secundum substantiam materiae id tempus habent; una enim et eadem est facularum materia): sed tantum secundum accensionem, quoniam altera quidem ante pusillum tempus, altera autem nunc accensa est.

5. Labes igitur ejus, quae est secundum ignorantiam, passionis, aut universo similiter Pleromati ipsorum proveniet, cum sint ejusdem substantiae, et erit in ignorantiae labe, id est semetipsum ignorans propator: aut similiter omnia impassibilia perseverabunt ea, quae sunt intra Pleroma, lumina. Unde igitur circa juniorem Aeonem passio, si paternum lumen est, ex quo omnia constituta sunt lumina quod naturaliter impassibile est? Quomodo autem et juvenior aliquis, aut senior in ipsis Aeon dici potest, cum sit unum lumen totius Pleromatis? Et si quis stellas dicat eos, nihilominus eadem universi apparebunt natura participantes. Etenim si stella a stella in claritate differt, sed non secundum qualitatem, nec secundum substantiam, secundum quam passibile aliquid vel impassibile est; sed aut universos, ex lumine cum sint paterno, naturaliter impassibiles et immutabiles esse oportet: aut universi cum paterno lumine et passibiles, et commutationum corruptionis capaces sunt.

6. Haec autem eadem ratio sequetur, etsi, velut ab arbore ramos, dicant a Logo natam esse emissionem Aeonum; cum Logos a Patre ipsorum generationem habeat; ejusdem enim substantiae omnes inveniuntur cum Patre, tantum secundum magnitudinem, sed non secundum naturam

differentes ab invicem, et magnitudinem complentes Patris, quemadmodum digiti complent manum. Si igitur Pater in passione et ignorantia, et ii utique, qui ex eo generati sunt, Aeones. Si autem impium est Patri omnium ignorantiam et passionem affingere, quomodo ab eo emissum dicunt Aeonem passibilem, et hoc ipsi Sophiae Dei eamdem impietatem affingentes, semetipsos religiosos esse dicent?

7. Si autem, quomodo a sole radios, Aeonas ipsorum emissiones habuisse dicent, ejusdem substantiae et de eodem omnes cum sint, aut omnes capaces passionis erunt cum eo, qui ipsos emisit, aut omnes impassibiles perseverabunt. Non enim jam quosdam impassibiles, quosdam autem passibiles possunt ex tali emissione confiteri. Si igitur omnes impassibiles dicunt, ipsi suum argumentum dissolvunt. Quomodo enim passus est minor Aeon, si omnes erant impassibiles? Si autem omnes dicunt participasse passionis hujus, quemadmodum quidam audent dicere, quia a Logo quidem coepit, derivatio autem in Sophiam; in Logum, hujus Nun Propatoris, passionem revocantes, arguentur et Nun Propatoris, et ipsum Patrem in passione fuisse confitentes. Non enim ut compositum animal quiddam est omnium Pater, praeter Nun, quemadmodum praeostendimus; sed Nus Pater, et Pater Nus. Necesse est itaque et eum, qui ex eo est Logos, imo magis autem ipsum Nun, cum sit Logos, perfectum et impassibilem esse; et eas quae ex eo sunt emissiones, ejusdem substantiae cum sint,

cujus et ipse, perfectas, et impassibiles, et semper similes cum eo perseverare, qui eas emisit.

8. Non igitur jam Logos quasi tertium ordinem generationis habens ignoravit Patrem, quemadmodum docent hi: hoc enim in hominum quidem generatione fortasse putabitur verisimile esse, eo quod saepe ignorant suos parentes; in Logo autem Patris omnimodo impossibile est. Si enim exsistens in Patre cognoscit, hunc in quo est, hoc est semetipsum, non ignorat: et quae ab hoc sunt emissiones, virtutes ejus exsistentes, et semper ei assistentes, non ignorabunt eum, qui se emisit, quemadmodum nec radii solem. Non capit igitur Dei Sophiam, eam quae intra Pleroma est, cum sit a tali emissione, sub passione cecidisse, et talem ignorantiam concepisse. Possibile est autem eam, quae est a Valentino, sapientiam, cum sit de diaboli emissione, in omni passione fieri, et profundum ignorantiae fructificare. Ubi enim ipsi testimonium perhibent de Matre sua, dicentes eam Aeonis errantis generationem esse, jam non quaerere oportet causam, propter quam filii hujusmodi Matris ignorantiae semper natent in profundo.

9. Praeter has autem emissiones ego quidem jam non intelligo alteram posse eos dicere; sed ne ipsi quidem alteram quamdam proprietatem emissam reddentes aliquando, cogniti sunt nobis, licet valde multam de hujusmodi speciebus quaestionem habuerimus cum eis: hoc autem solum dicunt, quoniam emissi sunt unusquisque illorum, et illum tantum cognovisse, qui se emisit, ignorans autem eum, qui ante illum est.

Jam non autem cum ostensione progrediuntur, quemadmodum emissi sunt, aut quomodo capit tale quid in spiritalibus fieri. Quacunque enim progressi fuerint, obligabuntur, et a recta ratione circumeuntes circa veritatem, in tantum uti eum, qui est a Nu Propatoris ipsorum emissus Sermo, in deminorationem eum emissum dicant, (Nun enim perfectum a perfecto Bytho progeneratum jam non potuisse eam, quae ex eo est, emissionem facere perfectam, sed obcaecatam circa agnitionem et magnitudinem Patris: et Salvatorem symbolum mysterii hujus ostendisse in eo, qui a nativitate caecus fuit, quoniam sic caecus emissus est a Monogene Aeon, id est ignorantia,) ignorantiam et caecitatem commentientes Verbo Dei, secundam secundum eos a Propatore emissionem habenti. Admirabiles sophistae, et altitudines investigantes incogniti Patris, et supercoelestia sacramenta enarrantes, in quae cupiunt angeli prospicere! uti discant quoniam a Nu ejus Patris, qui super omnia est, emissum Verbum, caecum emissum, id est ignorans Patrem, qui se emisit.

10. Et quemadmodum, o vanissimi sophistae, Nus Patris, imo etiam ipse Pater, cum sit Nus et perfectus in omnibus, imperfectum et caecum Aeonem emisit suum Logon, cum possit statim et agnitionem Patris cum eo emittere? Quemadmodum Christum postgenitum quidem reliquis, perfectum autem dicitis emissum; multo magis igitur, qui est eo aetate provectior Logos, ab eodem Nu perfectus utique emitteretur, et non caecus: nec ille rursus plus caecos quam se Aeo-

nas emitteret, quoadusque Sophia vestra semper excaecata, tantam malorum enixa est substantiam. Et hujus malitiae causa est Pater vester; magnitudinem enim et virtutem Patris causas ignorantiae esse dicitis, Bytho assimilantes eum, et nomen hoc ei apponentes innominabili Patri. Si autem ignorantia malum, omnia autem mala ex ea floruisse definitis, hujus autem causam magnitudinem et virtutem Patris dicentes, malorum factorem eum ostenditis. Id enim, quod non potuerit contemplari magnitudinem ejus, causam dicitis mali. Sed si quidem impossibile erat Patri notum semetipsum ab initio his, quae ab eo facta sunt, facere; inincusabilis erat, qui non poterat ignorantiam auferre eorum, qui post se sunt. Si autem postea volens, eam quae secundum progressionem emissionum aucta fuerat, ignorantiam et inseminatam Aeonibus, auferre potuit, multo magis prius eam, quae nondum erat, ignorantiam volens non permitteret fieri.

11. Quoniam igitur quando voluit agnitus est, non tantum Aeonibus, sed et his, qui in novissimis temporibus erant hominibus; non volens autem ab initio agnosci, ignoratus est: causa ignorantiae secundum vos est voluntas Patris. Si enim praesciebat haec sic futura, quare utique, priusquam fieret, non abscidit ignorantiam ipsorum, quam postea, velut ex poenitentia, curat per emissionem Christi? Quam enim per Christum agnitionem omnibus fecit, multo ante poterat facere per Logon, qui et primogenitus erat Monogenus. Vel si praesciens voluit fieri haec, semper perseverant ignorantiae opera, et nunquam prae-

tereunt. Quae enim ex voluntate Propatoris vestri facta sunt, perseverare oportet cum voluntate ejus qui voluit: vel si praetereunt haec, cum his praeteriet et voluntas ejus, qui substantiam ea habere voluit. Quid enim et discentes requieverunt Aeones, et perfectam agnitionem perceperunt, quoniam incapabilis est et incomprehensibilis Pater? Hanc autem agnitionem habere potuerunt priusquam in passionibus fierent: non enim deminorabatur magnitudo Patris ab initio scientibus his, quia incapabilis et incomprehensibilis est Pater. Si enim propter immensam magnitudinem ignorabatur, et propter immensam dilectionem impassibiles debebat conservare eos qui ex se nati erant: quoniam nihil prohibebat, sed magis utile erat, ab initio cognovisse eos, quoniam incapabilis et incomprehensibilis est Pater.

CAPUT XVIII

Sophiam nec ignorantia laborare, nec quidquam, Patrem investigando, pati, aut in apertum discrimen venire potuisse. Enthymesin ejus ab illa separari non potuisse, multo minus proprias affectiones habere.

1. Quomodo autem non vanum est, quod etiam Sophiam ejus dicunt in ignorantia, et in deminoratione, et in passione fuisse? Haec enim aliena sunt a Sophia, et contraria; sed nec affectiones ejus sunt. Ubi enim est improvidentia et ignorantia utilitatis, ibi Sophia non est. Non jam igitur Sophiam passum Aeonem vocent; sed aut vocabulum ejus, aut passiones praetermittant.

Et Plenitudinem autem universam non dicant spiritalem, si intra ipsam Aeon hic, cum esset in passionibus tantis, conversatus est. Haec enim ne anima quidem fortis, non dicam spiritalis substantia, percipiet.

2. Quomodo autem rursus Enthymesis ejus cum passione procedens separatim poterat fieri? Enthymesis enim esse intelligitur erga aliquem; ipsa autem seorsum nunquam fiet. Exterminatur enim et absorbetur mala a bona enthymesi, quemadmodum aegrimonium ab incolumitate. Quae enim erat prior Enthymesis passionis? Exquirere Patrem, et magnitudinem ejus considerare. Quid autem suasa est postea, et convaluit? Quoniam incomprehensibilis, et qui inveniri non possit, est Pater. Non igitur bonum erat, quod vellet cognoscere Patrem; et propter hoc est et passibile; sed quando suasa est quoniam investigabilis esset Pater; et convalescens. Sed ille ipse Nus, qui quaerebat Patrem, cessavit secundum eos adhuc quaerere, discens quoniam incomprehensibilis est Pater.

3. Quemadmodum igitur Enthymesis poterat separata concipere passiones, quae et ipsae affectiones ejus erant? Affectio enim erga aliquem fit, ipsa autem seorsum non potest esse, nec constare. Non solum autem instabile hoc est, sed etiam contrarium ei, quod est a Domino nostro dictum: Quaerite, et invenietis. Dominus enim quaerendo et inveniendo Patrem, perfectos consummat discipulos; is autem, qui sursum est, Christus ipsorum, per id quod praecepit Aeonibus non quaerere Patrem, suadens quoniam etsi multum

laboraverint, non eum invenient, perfectos eos consummavit. Et siquidem perfectos aiunt in eo, quod dicant invenisse Bythum ipsorum; Aeonas autem in eo, quod suasi sint quoniam investigabilis est, qui ab eis inquirebatur.

4. Cum igitur ipsa Enthymesis non posset sine Aeone separatim consistere, adhuc majus inferunt mendacium de passione ejus, separatim rursus dividentes eam, et hanc esse substantiam dicentes materiae. Quasi non esset lumen Deus, nec adesset sermo qui posset eos arguere et evertere nequitiam ipsorum. Utique enim quodcunque sentiebat Aeon, hoc et patiebatur; et quod patiebatur hoc et sentiebat: et non aliud erat apud eos Enthymesis ejus nisi passio incomprehensibilem comprehendere excogitantis, et passio Enthymesis: impossibilia enim sentiebat. Quemadmodum itaque poterat affectio et passio ab Enthymesi seorsum separari, et substantia tantae materiae fieri, quando et ipsa Enthymesis passio erat, et passio Enthymesis? Nec igitur Enthymesis sine Aeone, nec affectiones sine Enthymesi separatim habere possunt substantiam; et soluta est et hic rursus regula ipsorum.

5. Quemadmodum autem et solvebatur et patiebatur Aeon? Siquidem ejusdem substantiae, cujus et Pleroma, erat; Pleroma autem universum ex Patre. Quod enim simile est, in simili non dissolvetur in nihilum, nec perire periclitabitur, sed magis perseverabit et augescet; quemadmodum ignis in igne, et spiritus in spiritu, et aqua in aqua: quae autem sunt contraria, a contrariis patiuntur, et vertuntur, et exterminantur. Et sic si fuis-

set luminis emissio, non pateretur, nec periclitaretur in simili lumine, sed magis effulgesceret et augesceret, quemadmodum dies a sole: etenim Bythum imaginem Patris sui esse dicunt. Quaecunque sunt peregrina, et sibi extranea animalia, atque contraria natura, periclitantur et corrumpuntur: quae autem sibi assueta sunt, et cognata, nullum patiuntur periculum in eo conversantia, sed et salutem et vitam ex eo acquirunt. Si igitur ejusdem substantiae, cujus et universum Pleroma, ex eo emissus fuisset hic Aeon, nunquam demutationem perciperet, cum esset in similibus et assuetis conversans, spiritalis in spiritalibus. Timor enim, et expavescentia, et passio, et dissolutio, et talia, in his quidem quae sunt secundum nos, et corporalibus, fortassis fiant a contrariis: in spiritalibus autem, et diffusum habentibus lumen, jam non tales consequuntur calamitates. Sed mihi videntur ejus passionem, qui est apud comicum Menandrum valde amans et odibilis, Aeoni suo circumdedisse. Magis enim infeliciter amantis cujusdam hominis apprehensionem, et mentis conceptionem habuerunt, qui haec finxerunt, quam spiritalis et divinae substantiae.

6. Super haec quoque excogitare de quaerendo perfectum Patrem; et velle intra eum fieri, et habere ejus comprehensionem; non ignorantiam, nec passionem poterat inficere, et hoc Aeoni spiritali; sed magis perfectionem, et impassibilitatem, et veritatem. Nec enim ipsi, cum sint homines, excogitantes de eo, qui ante ipsos est, et velut jam comprehendentes perfectum, et intra ejus constituti agnitionem, dicunt semetipsos in

passione consternationis esse, sed magis in agnitione et apprehensione veritatis. Etenim Salvatorem, Quaerite et invenietis, discipulis propter hoc dixisse dicunt, ut eum, qui ab ipsis per excogitationem fictus est, super fabricatorem omnium, inenarrabilem Bythum quaerant: et semetipsos perfectos esse volunt, quoniam inquirentes invenerunt perfectum, cum adhuc sint in terra: eum autem, qui intra Pleroma sit, Aeonem, totum spiritalem, quaerentem Propatorem, et intra magnitudinem ejus conantem fieri, et comprehensionem paternae veritatis concupiscentem habere, in passionem dicunt recidisse: et passionem talem, ut nisi ei occurrisset virtuti, quae omnia firmat, dissolutus fuisset in universam substantiam, et exterminatus.

7. Vesana est haec praesumptio, et vere destitutorum a veritate sensus hominum. Quoniam Aeon hic melior est quam ipsi, et vetustior, ipsi quoque confitentur, secundum suam regulam, dicentes se esse conceptum Enthymeseos ejus Aeonis qui passus est; ita ut sit hic Aeon Matris ipsorum pater, id est avus ipsorum. Et posterioribus quidem nepotibus exquisitio Patris veritatem, et perfectionem, et confirmationem, et eliquationem a fluxibili materia facit, sicut dicunt, et reconciliationem ad Patrem: avo autem ipsorum haec eadem inquisitio ignorantiam, et passionem, et expavescentiam, et timorem, et consternationem infecit, ex quibus et substantiam materiae factam dicunt. Exquirere ergo et investigare perfectum Patrem, et concupiscentiam communicationis cum eo et unitatis, sibi

quidem salutare fieri; Aeoni autem, a quo et genus habent, dissolutionis et perditionis causam fuisse dicentes, quomodo non per omnia incongruum, et fatuum, et irrationabile? Et qui assentiunt his, vere caeci, caecis ducatoribus utentes, juste et corruunt in subjacentem ignorantiae profundum.

CAPUT XIX

Futilia et vana esse quae de semine suo asserunt haeretici. Alienissimum esse ab omni ratione, Demiurgum in se suscepisse hoc semen, et id tamen, et quae superiora sunt ignorasse, ac animalem esse: cum ipsi suscepta duntaxat ejusdem particula spiritales se esse, et omnia intelligere glorientur.

1. Qualis est autem et de semine ipsorum sermo, conceptum quidem illum secundum figurationem eorum qui sunt erga Salvatorem, angelorum a Matre informe, et sine specie, et imperfectum; depositum autem in Demiurgum, nesciente eo, ut per eum in eam animam, quae erat ab eo, seminatum, perfectionem et formationem percipiat? Primum quidem est dicere, quoniam imperfecti, et infigurati, et informes hi sunt angeli, qui sunt erga Salvatorem ipsorum: siquidem secundum illorum speciem conceptum tale quid generatum est.

2. Post deinde, quod dicant ignorasse Fabricatorem eam; quae fuit seminis in eum demissio, et iterum eam, quae facta est per eum in hominem seminatio; futile verbum et vanum, quod nullo modo ostendi possit. Quemadmodum enim

ignoravit illud, si substantiam aliquam et qualitatem propriam habuisset ipsum semen? Si autem sine substantia, et sine qualitate, et nihil erat, consequenter ignoravit illud. Quae enim propriam quamdam motionem et qualitatem, vel caliditatis, vel velocitatis, vel dulcedinis habent, vel claritatis cujusdam differentiam, nec homines quidem lateant, cum sint cum hominibus; in tantum abest ut fabricatorem hujus universitatis Deum; apud quem juste non est agnitum semen ipsorum, cum sit sine qualitate universae utilitatis, et sine substantia omnis actionis, et in totum nihil exsistens. Et propter hoc mihi videtur etiam Dominus dixisse: Omnis sermo otiosus quem locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die judicii. Omnes enim, quicunque tales sunt, otiosos sermones in aures hominum immittentes, assistent in judicio, rationem reddituri de his, quae vane conjecerunt, et mentiti sunt adversus Deum; in tantum ut semetipsos dicant propter seminis substantiam agnoscere spiritale Pleroma, eo homine, qui est intus, demonstrante eis verum Patrem (opus enim esse animali sensibilibus erudimentis): Demiurgum autem universum semen hoc, Matre deponente, suscipientem in semetipsum, omnia omnino ignorasse, et nullum sensum eorum, quae erga Pleroma sunt, habuisse.

3. Et se quidem spiritales esse, quoniam particula quaedam universitatis Patris in anima ipsorum deposita est; cum ex eadem substantia habeant animas, ex qua et Demiurgus, sicut dicunt: hunc autem semel universum suscipientem

semen a Matre, et habentem in se, animalem perseverasse, et nihil in totum sensisse eorum, quae sunt superiora, quae hi semetipsos intelligere, dum adhuc sunt in terra, gloriantur, quomodo hoc non super omnem irrationabilitatem est? Etenim idipsum semen horum quidem animabus agnitionem attribuisse et perfectionem; ei autem, qui eos fecit Deo, ignorantiam attribuisse putare, vere vesanorum est, et in totum mente destitutorum.

4. Adhuc etiam vanissimum est quod dicunt, in hac depositione figurari illud, et augescere, et paratum fieri ad susceptionem perfectae rationis. Erit enim ei materiae admistio, quam ex ignorantia et labe volunt habuisse substantiam, aptior et utilior, quam fuit paternum lumen ipsorum: siquidem secundum illius inspectionem natum, informe et infiguratum fuit; ex hac autem formationem, et speciem, et augmentum, et perfectionem assumpsit. Si enim quod est a Pleromate lumen causa fuit spiritali, ut nec formam, nec magnitudinem haberet propriam; quae autem huc est descensio, haec universa addidit ei, et ad perfectionem deduxit: multo operabilior et utilior videbitur, quae est hic, conversatio, quam et tenebras dicunt, quam fuit paternum lumen ipsorum. Quomodo autem non est ridiculum, Matrem quidem ipsorum in materiam periclitatam dicere, uti pene suffocaretur, et paulo minus corrumperetur, nisi vix tunc superextendisset se et exilisset ex semetipsa, adjumentum percipiens a Patre; semen autem ejus in hac eadem materia augescere, et formari, et aptum ad susceptionem

perfecti sermonis expediri; et hoc in dissimilibus, et in insuetis ebulliens: sicut ipsi dicunt, contrarium esse terrenum spiritali, et spiritale terreno? Quomodo igitur in contrariis et in insuetis parvum emissum; quemadmodum dicunt, et augescere, et formari, et ad perfectionem pervenire potuit?

5. Adhuc etiam et ad haec quae dicta sunt requiretur: utrumne semel enixa sit Mater illorum semen, ut vidit angelos, an particulatim? Sed si quidem simul et semel, quod exinde conceptum, nunc jam non erit infantile: superflua est igitur in eos, qui nunc sunt, homines descensio ejus. Si autem particulatim, jam non secundum figuram eorum quos vidit angelos, fecit conceptionem; simul enim eos et semel videns et concipiens, semel enixionem debebat fecisse, quorum inde semel conceperat figuras.

6. Quid autem, quod angelos cum Salvatore simul videns, illorum quidem imagines concepit, Salvatoris autem non, qui est decorior super illos? Annunquid non placuit ei hic; et propter hoc non concepit in eum? Quomodo autem Demiurgus, quem psychicum vocant, propriam, secundum eos, magnitudinem et figuram habens, emissus est secundum suam substantiam perfectus; quod autem spiritale est, quod etiam operosius oportet esse quam animale, imperfectum emissum est; et opus ei fuit, ut in animam descenderet, ut in ea formaretur, et ita perfectum exsistens, paratum fiat ad suscipiendum perfectum verbum? Si igitur in terrenis hominibus, et in animalibus formatur, jam non secundum angelorum similitudinem

est, quos dicunt lumina; sed secundum eorum, qui sunt hic homines. Non enim angelorum habebit similitudinem et speciem, sed animarum in quibus et formatur (quomodo aqua in vas missa, ipsius vasis habebit formam; et jam si gelaverit in eo, speciem habebit vasculi, in quo gelavit), quando ipsae animae corporis habeant figuram; ipsi enim adaptatae sunt vasi, quemadmodum praediximus. Si igitur et illud semen hic coagulatur et formatur, hominis figura erit; sed non angelorum formam habens. Quomodo igitur ad imagines angelorum illud semen est, quod secundum similitudinem hominum figuratur? Quid autem, cum spiritale esset, opus ei fuit ut in carnem descenderet? Caro enim eget spiritali, si tamen incipiet salvari, ut in eo sanctificetur, et clarificetur, et absorbeatur mortale ab immortalitate; spiritali autem in totum non est opus eorum, quae sunt hic. Non enim nos illud, sed illud nos meliores facit.

7. Adhuc autem manifestius, qui est de semine ipsorum, sermo arguitur falsus, et a quolibet perspici potest, in eo quod dicant eas animas, quae habuerint a Matre semen, meliores reliquis fieri: quapropter et honoratas a Demiurgo, et principes, et reges, et sacerdotes ordinatas esse. Si enim erat hoc verum, primus utique Caiphas summus sacerdos, et Annas, et reliqui summi sacerdotes, et legis doctores, et principes populi credidissent Domino, in eam cognationem concurrentes; et ante hos etiam Herodes rex. Quoniam autem nec hic, nec summi sacerdotes, nec qui praeerant, neque clari de populo accurrerunt ei; sed e contrario

qui erant in viis mendici sedentes, surdi et caeci, et a reliquis conculcabantur et contemnebantur, quemadmodum et Paulus ait: Videte enim vocationem vestram, fratres, quoniam non multi sapientes apud vos, nec nobiles, neque fortes; sed quae fuerunt contemptibilia mundi, elegit Deus. Non itaque erant meliores tales animae propter seminis depositionem, neque propter hoc honorificabantur a Demiurgo.

8. Et de eo quidem, quod sit regula ipsorum infirma et instabilis, adhuc etiam et vana, sufficiunt quae dicta sunt. Nec enim oportet, quod solet dici, universum ebibere mare eum, qui velit discere, quoniam aqua ejus salsa est. Sed quemadmodum statua de luto facta, colorata autem superficie, ut putetur aurea esse quae sit lutea, quicunque accipiet ex ea particulam qualemcunque, et exaperiens ostenderit lutum, liberabit eos qui veritatem quaerunt a falsa opinione: eodem modo et nos non modicam partem, sed ea, quae sunt maxima continentia regulae ipsorum, resolventes capitula, omnibus quotquot non seduci scientes volunt, quod est nequam, et dolosum, et seductorium, et perniciosum, de schola eorum, qui sunt a Valentino, et a reliquis haereticorum, quotquot Demiurgum, id est, fabricatorem et factorem hujus universitatis, solum exsistentem Deum male tractant, ostendimus, dissolubilem eorum viam manifestantes.

9. Quis enim sensum habens, et veritatis vel modicum attingens, sustinebit dicentes, super Demiurgum Deum esse alterum Patrem; et alterum quidem esse Monogenem, alterum autem

Verbum Dei, quem et in deminoratione emissum dicunt; alterum autem Christum, quem et posteriorem reliquis Aeonibus cum Spiritu sancto factum esse dicunt: et alterum Salvatorem, quem ne a Patre quidem universorum, sed ab his, qui in deminoratione facti sunt, Aeonibus collatum et congestum dicunt, et necessarie propter deminorationem emissum? ut nisi in ignorantia et deminoratione fuissent Aeones, secundum eos nec Christus emissus fuisset, nec Spiritus sanctus, nec Horos, nec Soter, nec Angeli, nec Mater ipsorum, nec semen ejus, nec reliqua mundi fabricatio; sed fuissent omnia deserta ac destituta tot bonis. Non solum itaque in fabricatorem tantum irreligiosi sunt, labis eum dicentes fructum; sed et in Christum, et in Spiritum sanctum, propter labem dicentes eos emissos; et Salvatorem autem similiter post labem. Quis enim sustinebit reliquum eorum vaniloquium, quod astute parabolis adaptare conantes, et se, et eos, qui sibi credunt, in maximam converterunt impietatem?

CAPUT XX

Demonstrat inanes esse probationes, quibus Aeonis duodecimi perturbationes et angustias asseverabant, nec per Judae apostasiam et defectionem ipsas posse confirmari. Demum variis antithesibus ostendit, passionem Domini nostri nihil commune, aut affine habere cum ficta Aeonis passione.

1. Quoniam et parabolas, et actus Domini improprie et inconsequenter inferunt figmento suo, ita ostendimus. Illam enim, quam erga duo-

decimum Aeonem dicunt accidisse, passionem, conantur ostendere, quod Salvatoris passio a duodecimo apostolorum facta sit, et in duodecimo mense. Uno enim anno volunt eum post baptismum praedicasse. Sed in illa quae fluxum sanguinis patiebatur, manifeste dicunt ostensum; duodecim enim annis passa est mulier, et tangens fimbriam Salvatoris, consecuta est sanitatem ab illa virtute, quae egressa est a Salvatore, quam praeesse dicunt. Illa enim, quae passa est, virtus extensa, et in immensum effluens, ita ut periclitaretur per omnem substantiam dissolvi, cum tetigisset primam quaternationem, quae per fimbriam significatur, stetit et a passione cessavit.

2. Hoc ergo, quod dicunt, duodecimi Aeonis passionem per Judam demonstrari; quomodo potest in similitudinem comparari Judas, qui ejectus est de numero duodecimo, nec restitutus est in locum suum? Aeon enim cujus typum Judam dicunt esse, separata ejus enthymesi, restituta est, sive revocata; Judas autem abdicatus est, et ejectus, et in locum ejus Matthias ordinatus est, secundum quod scriptum est: Et episcopatum ejus accipiat alius. Debuerunt itaque dicere, duodecimum Aeonem ejectum esse de Pleromate, et in locum ejus alium prolatum sive emissum; si tamen in Juda ostenditur. Adhuc autem ipse quidem Aeon quod sit passus dicunt; Judas autem quod sit proditor. Patiens autem Christus venit ad passionem, et non Judas; et ipsi confitentur. Quomodo igitur Judas traditor ejus,

qui pro nostra salute pati habuit, typus et imago esse poterat passi Aeonis?

3. Sed neque Christi passio similis est passioni Aeonis, neque in similibus facta. Aeon enim passus est passionem dissolutionis, et perditionis, ita ut periclitaretur ipse, qui patiebatur, et corrumpi: Dominus autem noster Christus passus est passionem validam, et quae non cederet; non solum ipse non periclitatus corrumpi, sed et corruptum hominem firmavit robore suo, et in incorruptionem revocavit. Et Aeon quidem passus est passionem ipse requirens Patrem, et non praevalens invenire: Dominus autem passus est, ut eos qui erraverunt a Patre, ad agnitionem, et juxta eum adduceret. Et illi quidem inquisitio magnitudinis Patris fiebat passio perditionis; nobis autem Dominus passus, agnitionem Patris conferens, salutem donavit. Et illius quidem passio fructificavit fructum femineum, sicut dicunt, invalidum, et infirmum, et informem, et inefficacem; istius autem passio fructificavit fortitudinem et virtutem. Ascendens enim in altitudinem Dominus per passionem, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus, et contulit credentibus in se super serpentes et scorpiones calcare, et super omnem virtutem inimici, id est principis apostasiae. Et Dominus quidem per passionem mortem destruxit; et solvit errorem, corruptionemque exterminavit, et ignorantiam destruxit; vitam autem manifestavit, et ostendit veritatem, et incorruptionem donavit. Illorum autem Aeon cum fuisset perpessus, ignorantiam substituit, substantiam informem peperit, ex qua omnia

materialia opera prolata sunt, secundum eos, mors, corruptio, error, et his similia.

4. Non ergo Judas, duodecimus discipulus, typus erat passi Aeonis; sed neque Domini nostri passio; per omnia enim dissimile et inconveniens invicem sibi ostensum est, non solum in his quae praediximus, sed et secundum ipsum numerum. Proditor enim Judas, quod sit duodecimus, apud omnes consonat, duodecim denominatis apostolis in Evangelio; hic autem Aeon non duodecimus, sed tricesimus est: non enim duodecim tantum Aeones voluntate Patris prolati sunt, secundum haec, neque duodecimus ordine emissus est; in tricesimo loco annumerantes eum emissum. Quomodo ergo duodecimus ordine Judas, ejus qui in tricesimo ordine est Aeon, potest esse typus et imago?

5. Si autem Judam pereuntem, imaginem enthymeseos ejus esse dicunt, nec sic imago similis erit ejus, quae secundum eum est veritatis. Enthymesis enim separata ab Aeone, ipsa postea formata a Christo, dehinc prudens facta a Salvatore, et omnia quae sunt extra Pleroma operata secundum imaginem eorum qui sunt in Pleromate, in novissimo in Pleroma recepta dicitur ab his, et secundum conjugationes unita Salvatori ei, qui ex omnibus factus est. Judas autem semel ejectus nunquam revertitur in discipulorum numerum: alioquin nunquam alius in locum ejus annumeraretur. Et Dominus autem dixit de eo: Vae homini per quem Filius hominis tradetur. Et, Melius erat ei si natus non fuisset, et filius perditionis dictus est ab eo. Si autem non separatae ab Aeone

Enthymeseos dicunt Judam esse typum, sed perplexae ei passionis; nec sic numerus duodecim numero trium possunt esse typus. Hic enim Judas ejectus est, et Matthias pro eo ordinatus: illic autem Aeon periclitatus dissolvi, et perisse dicitur, et Enthymesis, et passio; separatim enim Enthymesin quoque a passione secernunt: et faciunt Aeonem quidem restitui, enthymesin autem formari, passionem vero ab his separatam, esse materiam. Tribus itaque exsistentibus his, Aeone, et enthymesi, et passione, Judas et Matthias duo exsistentes, non possunt typus esse.

CAPUT XXI

Duodecim Apostolos Aeonum typum non esse.

1. Si autem duodecim apostolos dicunt typum esse illius solius duodecim Aeonum prolationis, quam Homo cum Ecclesia protulit; et reliquorum decem Aeonum, qui, ut dicunt, a Verbo et Vita prolati sunt, dent typum alios decem apostolos. Irrationabile est enim juniores quidem Aeones, et propter hoc minores, ostendi a Salvatore per electionem apostolorum; seniores autem horum, et ob hoc meliores, non jam praeostendi: cum possit Salvator (si tamen apostolos ideo elegit, ut per eos ostendat Aeonas, qui sunt in Pleromate) et alios decem apostolos eligere, et ante hos quoque alios octo, ut illam principalem et primam ostendat ogdoadem, per apostolorum numerum typum factum; possit ostendere neque secunda decade: post enim duodecim apostolos, lxx alios Dominus noster ante se misisse inveni-

tur; septuaginta autem nec octonario numero, neque denario, nec tricenario typus esse possunt. Quae igitur causa est, minores quidem, sicut praedixi, Aeones per apostolos ostendi: meliores autem, ex quibus et hi facti sunt, non jam praefigurari? Et duodecim autem apostoli, si propter hoc electi sunt, ut per eos numerus duodecim Aeonum significetur; et septuaginta in typum Aeonum septuaginta electi esse debuerunt: non jam triginta numero Aeonas, sed octoginta et duos factos dicant. Qui enim secundum typum eorum, qui in Pleromate sunt, Aeonum electionem facit apostolorum, nunquam aliorum quidem faceret, aliorum vero non faceret; sed per omnes apostolos tentasset servare imaginem, et ostendere typum eorum qui sunt in Pleromate Aeonum.

2. Sed neque de Paulo quidem tacendum est, sed exigendum ab his, in cujus Aeonis typum Apostolus nobis traditus est: nisi forte in Salvatoris compositi eorum, qui et ex omnium collatione subsistit, quem et omnia nuncupant, eo quod sit ex omnibus: de quo et Hesiodus poeta splendide significavit Pandoram, id est, omnium munus, nominans eum, ob hoc quod ex omnibus optimum munus in eo sit collocatum. In quibus ratio haec est: Hermes (sicut Graeco sermone exprimitur) Αἰμυλίους τε λόγους καὶ ἐπίκλοπον ἦθος Ἐς αὐτοὺς κάτθετο, ut hoc ipsum Latino sermone dicamus: Fraudulentiae, sive seductionis verba, et subinvolantes mores indidit eorum sensibus, ad seducendum stultos hominum, ut credant figmentis eorum. Mater enim, hoc est Leto, occulte commovit eos (unde et Leto nuncupata

est secundum Graeci sermonis significantiam, eo quod occulte homines commoveret) nesciente Demiurgo, enuntiare profunda et inenarrabilia mysteria prurientibus aures. Et non solum per Hesiodum hoc operata est Mater eorum mysterium dici, sed et Pindari Lyrici sapienter valde, ut caelet Demiurgo in Pelope, cujus caro in partes a patre divisa est, et ab omnibus diis collecta, et allata, et compacta, Pandoram hoc modo significavit: ex qua et isti compuncti eadem secundum eos dicentes, ejusdem generis et spiritus sunt cum illis.

CAPUT XXII

Triginta Aeonas per tricesimum annum, quo Christum baptizatum dicunt, non repraesentari: nec Christum duodecimo post baptismum mense passum esse, sed quadragenario majorem mortuum fuisse; quae peculiaris Irenaeo sententia est.

1. Quia autem et tricenarius numerus eorum omnis excidit, secundum eos aliquando quidem paucis, aliquando autem plurimis Aeonibus statim in Pleromate inventis, ostendimus. Non ergo triginta Aeones sunt, nec ob hoc Salvator triginta annorum exsistens venit ad baptismum, ut ostenderet tacitos Aeones eorum triginta: alioquin ipsum primum erunt discernentes et ejicientes de Pleromate omnium. Duodecimo autem mense dicunt eum passum, ut sit anno uno post baptismum praedicans, et ex propheta tentant hoc ipsum confirmare (scriptum est enim: Vocare annum Domini acceptum, et diem retri-

butionis) vere caecutientes, qui profunda Bythi adinvenisse se dicunt, et non intelligentes ab Isaia dictum annum Domini acceptabilem, nec diem retributionis. Neque enim de die, quae duodecim horarum habet spatium, dictum est in propheta; nec de anno duodecim mensium habente mensuram. Quia enim prophetae in parabolis et allegoriis, et non secundum sonum ipsarum dictionum plurima dixerunt, et ipsi confitentur.

2. Dies ergo retributionis dictus est, in qua retribuet Dominus unicuique secundum opera sua, hoc est judicium. Annus autem Domini acceptabilis, tempus hoc, in quo vocantur ab eo hi qui credunt ei, et acceptabiles fiunt Deo: hoc est, omne ab adventu ejus tempus usque ad consummationem, in quo, ut fructus, eos qui salvantur acquirit. Sequitur enim, secundum dictionem prophetae, annum dies retributionis; et erit mentitus propheta, si anno tantummodo Dominus praedicavit, et de eo dicit. Ubi est enim dies retributionis? transivit enim annus, et nondum dies retributionis est; sed adhuc solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Et persecutionem quidem patiuntur justi, et affliguntur, et occiduntur; in abundantia autem sunt peccatores, et cum cithara et psalterio bibunt, opera autem Domini non intendunt. Debent autem secundum dictionem copulari, et sequens esse anno dies retributionis. Dictum est enim, vocare annum Domini acceptum, et diem retributionis. Bene itaque intelligitur tempus hoc, in quo vocantur et salvantur a Domino, annus Domini acceptus: quem subsequitur dies re-

tributionis, id est judicium. Et non solum autem annus tempus hoc dicitur; sed et dies nominatur, et a Propheta, et a Paulo; in quibus et Apostolus memor Scripturae, in Epistola, quae est ad Romanos, ait: Sicut scriptum est: Propter te morte afficimur tota die, aestimati sumus ut oves occisionis. Nunc autem tota die pro omni hoc tempore dictum est, in quo persecutionem patimur, et ut oves occidimur. Sicut ergo dies haec non illam, quae in xii horis substitit, significat, sed omne tempus, in quo patiuntur et interficiuntur propter Christum credentes ei: ita et illic annus, non qui est ex duodecim mensibus dicitur, sed omne fidei tempus, in quo audientes praedicationem credunt homines, et acceptabiles Domino fiunt, qui se ei copulant.

3. Est autem valde admirari, quonam modo profunda Dei adinvenisse se dicentes, non scrutati sunt in Evangeliis, quoties secundum tempus Paschae Dominus post baptisma ascenderit in Hierusalem, secundum quod moris erat Judaeis ex omni regione, omni anno, tempore hoc convenire in Hierusalem, et illic diem festum Paschae celebrare. Et primum quidem ut fecit vinum ex aqua in Cana Galilaeae, ascendit in diem festum Paschae, quando et scriptum est: Quia multi crediderunt in eum, videntes signa quae faciebat, sicut Joannes Domini discipulus meminit. Dehinc iterum subtrahens se invenitur in Samaria, quando et cum Samaritana disputabat, et filium Centurionis absens verbo curavit, dicens: Vade, filius tuus vivit. Et post haec iterum secunda vice ascendit in diem festum Paschae in Hierusa-

lem, quando paralyticum, qui juxta natatoriam jacebat xxxviii annos, curavit, jubens ut surgeret et auferret grabbatum suum, et iret. Et iterum inde secedens trans mare Tyberiadis, ubi et cum multa turba eum fuisset secuta, de quinque panibus satiavit omnem illam multitudinem, et superaverunt duodecim cophini fragmentorum. Deinde cum Lazarum suscitasset ex mortuis, et insidiae fierent a Pharisaeis, secedit in Ephrem civitatem: et inde ante sex dies Paschae veniens in Bethaniam scribitur, et de Bethania ascendens in Hierosolymam, et manducans Pascha, et sequenti die passus. Quoniam autem tria haec Paschae tempora non sunt unus annus, omnis quilibet confitebitur. Et ipsum autem mensem, in quo Pascha celebratur, in quo et passus est Dominus, non duodecimum, sed primum esse, qui omnia se scire jactant, si nesciunt, a Moyse possunt discere. Falsa ergo ostensa est et anni, et duodecimi mensis absolutio eorum, et debent aut absolutionem suam, aut Evangelium reprobare: alioquin quomodo uno anno tantum Dominus praedicavit?

4. Triginta quidem annorum exsistens cum veniret ad baptismum, deinde magistri aetatem perfectam habens, venit Hierusalem, ita ut ab omnibus juste audiret magister: non enim aliud videbatur et aliud erat, sicut inquiunt qui putativum introducunt; sed quod erat, hoc et videbatur. Magister ergo exsistens, magistri quoque habebat aetatem, non reprobans, nec supergrediens hominem, neque solvens legem in se humani generis, sed omnem aetatem sanctificans per illam,

quae ad ipsum erat, similitudinem. Omnes enim venit per semetipsum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, et parvulos, et pueros, et juvenes, et seniores. Ideo per omnem venit aetatem, et infantibus infans factus, sanctificans infantes; in parvulis parvulus, sanctificans hanc ipsam habentes aetatem, simul et exemplum illis pietatis effectus, et justitiae, et subjectionis; in juvenibus juvenis, exemplum juvenibus fiens, et sanctificans Domino. Sic et senior in senioribus, ut sit perfectus magister in omnibus, non solum secundum expositionem veritatis, sed et secundum aetatem, sanctificans simul et seniores, exemplum ipsis quoque fiens: deinde et usque ad mortem pervenit, ut sit primogenitus ex mortuis, ipse primatum tenens in omnibus, princeps vitae, prior omnium, et praecedens omnes.

5. Illi autem, ut figmentum suum de eo quod est scriptum, vocare annum Domini acceptum, affirment, dicunt uno anno eum praedicasse, et duodecimo mense passum: contra semetipsos obliti sunt, solventes ejus omne negotium, et magis necessariam, et magis honorabilem aetatem ejus auferentes, illam, inquam, provectiorem, in qua et docens praeerat universis. Quomodo enim habuit discipulos, si non docebat? Quomodo autem docebat, magistri aetatem non habens? Ad baptismum enim venit nondum qui triginta annos suppleverat, sed qui inciperet esse tanquam triginta annorum: (ita enim, qui ejus annos significavit Lucas, posuit: Jesus autem erat quasi incipiens triginta annorum, cum veniret ad bap-

tismum) et a baptismate uno tantum anno praedicavit; complens tricesimum annum passus est, adhuc juvenis exsistens, et qui necdum provectiorem haberet aetatem. Quia autem triginta annorum aetas prima indolis est juvenis, et extenditur usque ad quadragesimum annum, omnis quilibet confitebitur; a quadragesimo autem et quinquagesimo anno declinat jam in aetatem seniorem; quam habens Dominus noster docebat, sicut Evangelium et omnes seniores testantur, qui in Asia apud Joannem discipulum Domini convenerunt, id ipsum tradidisse eis Joannem. Permansit autem cum eis usque ad Trajani tempora. Quidam autem eorum non solum Joannem, sed et alios apostolos viderunt, et haec eadem ab ipsis audierunt, et testantur de hujusmodi relatione. Quibus magis oportet credi? Utrumne his talibus, an Ptolemaeo, qui apostolos nunquam vidit, vestigium autem apostoli ne in somniis quidem assecutus est?

6. Sed et ipsi, qui tunc disputabant cum Domino Jesu Christo Judaei, apertissime hoc ipsum significaverunt. Quando enim eis dixit Dominus: Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est, responderunt ei: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? Hoc autem consequenter dicitur ei, qui jam xl annos excessit, quinquagesimum autem annum nondum attigit, non tamen multum a quinquagesimo anno absistat. Ei autem, qui sit xxx annorum, diceretur utique: Quadraginta annorum nondum es. Qui enim volebant eum mendacem ostendere, non utique in multum

extenderent annos ultra aetatem, quam eum habere conspiciebant; sed proxima aetatis dicebant, sive vere scientes ex conscriptione census, sive conjicientes secundum aetatem, quam videbant habere eum super quadraginta; sed ut non quae esset triginta annorum. Irrationabile est enim omnino, viginti annos mentiri eos, volentes eum juniorem ostendere temporibus Abrahae. Quod autem videbant, hoc et loquebantur; qui autem videbatur, non erat putativus, sed veritas. Non ergo multum aberat a quinquaginta annis: et ideo dicebant ei: Quinquaginta annorum nondum es, et Abraham vidisti? Non ergo anno uno praedicavit, nec duodecimo mense anni passus est. Tempus enim a tricesimo anno usque ad quinquagesimum nunquam erit unus annus, nisi si apud Aeones eorum tam magni anni sunt deputati his, qui apud Bythum in Pleromate ex ordine resident, de quibus et Homerus poeta dixit, et ipse inspiratus a Matre eorum erroris:

Οἱ δὲ θεοὶ πὰρ Ζηνὶ καθήμενοι ἠγορόωντο Χρυσέῳ ἐν δαπέδῳ.

Quod Latine ita interpretabimur:

Dii autem apud Jovem considentes tractabant In aureo loco.

CAPUT XXIII

Mulierem profluvio sanguinis laborantem perturbati Aeonis typum non esse.

1. Sed et de illa muliere, quae profluvio sanguinis laborans, tetigit fimbriam vestimenti Domini, et sanata est, aperta est eorum igno-

rantia: (dicunt enim per eam ostendi passam illam duodecimam Virtutem, et in infinitum defluxam, id est duodecimum Aeonem) primum quidem, quia, secundum sectam eorum, duodecimus non est iste Aeon, sicut ostendimus. Ut autem ex superfluo eis et hoc detur, duodecim Aeonibus exsistentibus, undecim quidem impassibiles perseverasse dicuntur, duodecimus autem passus; mulier autem e contrario duodecimo anno sanata, manifestum est quoniam undecim quidem annis habuit perseverantem passionem, duodecimo autem sanata est. Si quidem undecim Aeones in passione insanabili fuisse dicerentur, sanatus autem duodecimus, suasorium erat dicere typum eorum esse mulierem. Quia autem haec undecim quidem annis passa est, et non est sanata, duodecimo autem anno sanata est; quomodo potest esse typus duodecimi Aeonis, ex quibus undecim omnino nihil passi sunt, solus autem duodecimus participatus est passionem? Typus enim et imago secundum materiam, et secundum substantiam aliquoties a veritate diversus est: secundum autem habitum et lineamentum, debet servare similitudinem, et similiter ostendere per praesentia illa quae non sunt praesentia.

2. Et non solum in hac muliere anni infirmitatis descripti sunt, quos coaptari dicunt figmento suo, sed ecce et alia mulier similiter xviii annis infirmata, sanata est, de qua Dominus ait: Hanc autem filiam Abrahae, quam alligavit Satanas decem et octo annis, non oportebat solvi in die Sabbati? Si ergo illa typus erat duodecimi Aeonis passi, et haec typus esse decimi octavi Aeonis

passi debet. Sed non habent ostendere: alioquin prima et principalis eorum ogdoas connumerabitur compassis Aeonibus. Sed et alius autem quidam sanatur a Domino xxxviii annos habens in sua passione: et tricesimum et octavum passum Aeonem dicant. Si enim quae a Domino facta sunt, typos esse dicunt eorum, quae sunt in Pleromate; typus in omnibus debet servari. Sed neque eam, quae post xviii annos curata est, nec eum qui post xxxviii annos curatus est, possunt adaptare suo figmento. Insulsum autem et inconveniens est omnino dicere in quibusdam quidem servasse typum Salvatorem, in quibusdam autem non servasse. Dissimilis ergo et mulieris typus negotio Aeonum ostenditur.

CAPUT XXIV

Vana et insulsa esse argumenta quae ex numeris, litteris et syllabis ducunt haeretici.

1. Adhuc autem et falsum demonstrat commentum eorum, et instabile figmentum eorum etiam hoc ipsum, quod per numeros aliquando quidem, et per syllabas nominum, aliquando autem et per syllabarum litteras, aliquando vero et per numeros, qui secundum Graecos in litteris continentur, tentant inferre probationes. Apertissime consternationem, sive confusionem, et instabilitatem scientiae eorum, et extortum demonstrant. Jesus enim nomen alterius linguae exsistens ad Graecorum numerum transferentes, aliquando quidem episemon esse dicunt, sex habens litteras: aliquando autem plenitudinem ogdoadum dccclxxxviii numerum habens. Grae-

cum autem nomen ejus, quod est Soter, id est, Salvator, quia non convenit figmento eorum, nec secundum numerum nec secundum litteras, tacuerunt. Et quidem si ex providentia Patris Dominica nomina accepissent, per numerum, et per litteras significantia numerum in Pleromate, Soter nomen Graecum exsistens secundum Graecitatem et per litteras, et per numeros, Pleromatis debuit ostendere mysterium. Sed non ita habet, quia quinque quidem est litterarum, numerus autem mccccviii. Haec autem in nullo communicant Pleromati eorum: non ergo vera est illa, quae ab eis in Pleromate dicitur negotiatio.

2. Jesus autem nomen, secundum propriam Hebraeorum linguam, litterarum est duarum et dimidiae, sicut periti eorum dicunt, significans Dominum eum, qui continet coelum et terram: quia Jesus secundum antiquam Hebraicam linguam coelum est, terra autem iterum sura user dicitur. Verbum ergo quod coelum et terra habet, ipse est Jesus. Falsa est ergo et episemi eorum redditio, et numerus eorum eversus est manifeste. Secundum enim propriam eorum linguam, quinque litterarum est Graeco vocabulo Soter: Jesus autem iterum, secundum Hebraicam linguam, duas et dimidiam habet litteras. Corruit ergo numerus calculi, qui est in dccclxxxviii. Et per omnia autem Hebraeorum litterae non conveniunt numero Graecorum, quae maxime deberent, antiquiores et firmiores exsistentes, salvare supputationem nominum. Ipsae enim antiquae, et primae Hebraeorum litterae, et sacerdotales nuncupatae, decem quoque quidem sunt nume-

ro, (scribuntur autem per xv) novissima littera copulata primae. Et ideo quidem quaedam secundum subsequentiam scribunt, sicuti et nos: quaedam autem retrorsum a dextra parte in sinistram retorquentes litteras. Et Christus autem supputationem nominis convenientem Aeonis Pleromatis eorum habere debuit, qui ad stabilitatem et correctionem Pleromatis eorum prolatus est, secundum quod dicunt. Et Pater autem similiter et per litteras, et per numerum, continere debuit numerum eorum, qui ab eo prolati sunt Aeonum; sed et Bythus similiter; nihilominus autem et Unigenitus, et maxime autem super omnia nomen quod dicitur Deus, quod et ipsum Hebraice Baruch dicitur, et duas et dimidiam habet litteras. Ex hoc ergo quod firmiora nomina secundum Hebraicam et Graecitatis linguam, nec secundum numerum litterarum, nec secundum supputationem conveniunt figmento eorum, manifesta est de reliquis impudenter extorta supputatio.

3. Etenim ex lege, eligentes quaecunque concurrunt sectae eorum numero, tentant violenter probationes facere. Si autem erat propositum Matri eorum, sive Salvatori, per Demiurgum typos eorum, quae sunt in Pleromate ostendere, in verioribus et sanctioribus fieri typos fuissent operati: et maxime autem in ipsa arca Testamenti, per quam et omne tabernaculum testimonii compositum est. Facta est autem haec, longitudo quidem ejus cubitis duobus et dimidio, latitudo autem ejus uno cubito et dimidio, et altitudo cubito uno et dimidio: numerus autem iste cubitorum in nullo convenit figmento eorum, per quem

maxime typus ostendi debuit. Et propitiatorium autem similiter in nullo convenit expositionibus eorum. Adhuc autem et mensa propositionis, duobus cubitis longitudo, et unius cubiti latitudo, altitudo autem ejus unius cubiti et dimidii, (haec ante sancta sanctorum) per quae ne una quidem quantitas numeri significantiam quaternationis, sive octonationis, aut reliqui Pleromatis eorum continet. Quid autem candelabrum septem quidem habens calamiscos, lucernas autem septem? Et si quidem secundum typum facta fuissent, calamiscos octo, totidemque lucernas habere debuit, ad typum primae octonationis, quae praefulget in Aeonibus, et illuminat omnem plenitudinem.

Atria autem decem exsistentia diligenter numeraverunt, typum ea dicentes decem Aeonum; pelles autem jam non numeraverunt secundum numerum undecim factas. Sed neque ipsorum atriorum magnitudinem mensi sunt, viginti et octo cubitorum longitudinem unumquodque atrium habens. Et columnarum longitudinem factam decem cubitorum exponunt propter decadem Aeonum: Latitudo autem unius et dimidii cubiti erat uniuscujusque columnae, non jam exponunt, neque numerum omnium columnarum, neque serarum earum, quoniam non communicat argumento eorum. Quid autem oleum unctionis, quod omne tabernaculum sanctificavit? Fortasse latuit Salvatorem, aut dormiente Matre eorum Demiurgus a semetipso de pondere praecepit: unde et dissonat ad Pleroma eorum, Smyrnae quidem habens siclos quingentos: ireos D, cinna-

momi CCL, calamisci CCL, et super haec oleum, ita ut ex quinque commistionibus subsistat. Et incensum autem similiter de stacte, et ungula, et galbano, et hedyosmo, et thure, quae in nullo communicare possunt, neque commistionibus, neque pondere, argumento eorum. Irrationabile est ergo et omnino rusticanum, in sublimibus quidem et elegantioribus legis non servatos esse typos; in caeteris autem, sicubi aliquis numerus concurrit cum his quae ipsi dicunt, typos esse asseverare eorum, quae sunt in Pleromate, cum omnis numerus multifarie in Scripturis sit positus: ita ut possit qui velit, non solum octonationem, et decadem, et duodecada, sed quemlibet ex Scripturis constituere numerum, et hunc typum esse commentati a se erroris.

4. Quia autem hoc verum est, numerus iste, qui quinque dicitur, in nullo communicans argumento eorum, nec concurrens figmento eorum, nec conveniens eis ad typicam eorum, quae sunt in Pleromate, demonstrationem, ex Scripturis sic suscipiet probationem. Soter nomen quinque litterarum, et Pater autem habet quinque litteras; sed et Agape nomen sunt litterae quinque, et Dominus noster panes quinque benedicens, satiavit hominum quinque millia; sapientes virgines a Domino sunt quinque dictae, et stultae similiter quinque. Iterum quinque viri cum Domino fuisse dicuntur, quando testimonio Patris occurrit, scilicet Petrus, et Jacobus, et Joannes, et Moyses, et Helias; quintus autem ingressus Dominus ad mortuam puellam, suscitavit eam: Nullum enim, inquit, permisit intrare, nisi Petrum, et Jacobum,

et patrem et matrem puellae. Ille dives apud inferos ait habere se quinque fratres, ad quos unum ire rogat ex mortuis resurgentem. Natatoria piscina quinque habebat porticus, unde Dominus paralyticum sanum in suam domum ire praecepit. Et ipse habitus crucis, fines et summitates habet quinque, duos in longitudine, et duos in latitudine, et unum in medio, in quo requiescit qui clavis affigitur. Unaquaeque manus nostra digitos quinque habet; sed et sensus habemus quinque: et quae in nostris sunt visceribus, in quinque possunt numerari, cor, et hepar, pulmones, splen et renes. Adhuc etiam totus homo in hunc numerum potest dividi, caput, pectus, venter, femora, pedes. Quinque aetates transit humanum genus: primum infans, deinde puer, deinde parvulus, et post hoc juvenis, sic deinde senior.

In quinque libris legem populo Moyses tradidit. Unaquaeque tabula, quam accepit a Deo, praecepta habebat quinque. Velamen sanctum sanctorum cooperiens columnas habebat quinque. Et holocausti altare, altitudo ejus erat quinque cubitorum. Sacerdotes in eremo electi sunt quinque, scilicet Aaron, Nadab, Abiud, Eleazar et Ithamar. Talaris, et Logium, et reliqua sacerdotalis compositio de quinque contexta sunt; habebant enim aurum, et hyacinthum, et purpuram, et coccinum, et byssum. Et quinque reges Amorrhaeorum in speluncis concludens Jesus Nave, capita eorum inculcari dedit populo. Et alia quoque multa millia hujusmodi, et in hoc numero, et in quo quis voluerit, sive ex Scripturis, sive ex subjacentibus naturae operibus colligere

potest: et non jam ob hoc quinque Aeonas esse dicimus super Demiurgum, nec quinionem, quasi ut divinam rem aliquam, consecramus, nec instabilia, nec deliramenta per vanum istum laborem confirmare tentamus, neque creaturam bene aptatam a Deo cogimus male in typos non exsistentium transferri, et impia et nefaria dogmata introducere, cum detectio et eversio ab omnibus sensum habentibus possit exsistere.

5. Quis enim concedat eis ccclxv tantum dies habere annum, ut sint duodecim menses triginta diebus, in typum duodecim Aeonum, dissimili et typo exsistente? Illic enim unusquisque Aeonum tricesima pars est universi Pleromatis, mensis autem duodecima pars anni ab ipsis esse dicitur. Si quidem annus in triginta divideretur, et mensis in duodecim, conveniens putaretur typus esse mendacio eorum. Nunc autem in contrarium. Pleroma quidem eorum in triginta dividitur, pars autem ejus aliqua in duodecim: hic autem omnis quidem annus in duodecim dividitur partes, pars autem ejus aliqua in triginta. Insulse itaque Salvator mensem quidem universi Pleromatis typum fecit fieri, annum autem ejus, quae in Pleromate est, duodecadis; magis enim conveniebat annum quidem in triginta dividere, sicut et totum Pleroma; mensem autem in duodecim, sicut et sunt in Pleromate eorum Aeones. Et illi quidem omne Pleroma in tres dividunt, id est, in octonationem, et decadem, et duodecadem: hic autem annus in quatuor dividitur, id est, vernum, aestatem, autumnum et hiemem. Sed neque menses, quos dicunt typum esse tricenarii,

praefinitive triginta habent dies, sed alii quidem plures, alii autem minus, eo quod quinque dies superponantur eis. Et dies autem non semper praefinitas duodecim habet horas, sed a novem usque ad xv ascendit, et iterum a xv in novem descendit. Non jam propter triginta Aeonas facti sunt menses triginta dierum; alioquin haberent praefinitas tricenarias dies: neque iterum dies horum, ut duodecim Aeonas per duodecim horas figurarent: haberent enim et ipsi praefinitas semper duodecim horas.

6. Adhuc autem materialia sinistram vocantes, et ex necessitate quae sunt sinistrae, in corruptionem cedere dicentes, et Salvatorem venisse ad ovem perditam, ut eam transferat ad dextram, id est ad illas quae sunt salutis nonaginta et novem oves, quae non perierunt, sed in ovili permanserunt: sinistrae manus exsistentes levamen, non esse salutis, consentire eos necesse est. Et hoc quod non similiter eumdem numerum habet, cogentur sinistrae, id est corruptionis confiteri: et hoc nomen quod Graece dicitur Agape, secundum Graecorum litteras, per quas apud eos supputatio signatur, nonaginta et tres numerum habens, similiter sinistrae manus levamen est: et Alethia quoque similiter, secundum supradictam rationem, sexaginta quatuor numerum habens, in parte materialium subsistit: et omnia omnino quaecunque sanctorum nomina non adimplent numerum centum, sed sinistrae tantum habent numeros, corruptibilia et materialia esse confiteri cogentur.

CAPUT XXV

Solvit objectionem, et ostendit Deum non esse ad litteras, syllabas et numeros exigendum, sed numeros, et ea quae facta sunt, regula veritatis pensari debere. Omnia ex uno et eodem Deo esse, nec curiosius investiganda quae mentis humanae, Deo longe inferioris, captum superant.

1. Si quis autem ad haec dixerit: Quid ergo? in vanum est, et ut provenit et nominum positiones sunt, et apostolorum electio, et Domini operatio, et eorum quae facta sunt compositio? Dicemus eis: Non quidem; sed magna sapientia, et diligentia ad liquidum apta et ornata omnia a Deo facta sunt, et antiqua, et quaecunque in novissimis temporibus Verbum ejus operatum est; et debent ea, non numero xxx, sed subjacenti copulare argumento, sive rationi: neque de Deo inquisitionem ex numeris, et syllabis, et litteris accipere (infirmum est enim hoc propter multifarium et varium eorum, et quod possit omne argumentum hodie aeque commentatum ab aliquo, contraria veritati ex ipsis sumere testimonia, eo quod in multa transferri possint); sed ipsos numeros, et ea quae facta sunt aptare debent subjacenti veritatis argumento. Non enim regula ex numeris, sed numeri ex regula: nec Deus ex factis, sed ea quae facta sunt, ex Deo. Omnia enim ex uno et eodem Deo.

2. Quia autem varia et multa sunt, quae facta sunt; et ad omnem quidem facturam bene aptata, et bene consonantia; quantum autem spectat ad unumquodque eorum, sunt sibi invicem contra-

ria et non convenientia: sicut citharae sonus per uniuscujusque distantiam consonantem unam melodiam operatur, ex multis et contrariis sonis subsistens. Debet ergo amator veri non traduci distantia uniuscujusque soni, nec alium quidem hujus, alium autem illius artificem suspicari et factorem: neque alium quidem acutiores, alium autem vastiores, alium vero medietates aptasse; sed unum et ipsum ad totius operis et sapientiae demonstrationem, et justitiae, et bonitatis, et muneris. Hi vero qui audiunt melodiam, debent laudare et glorificare artificem, et aliorum quidem extensionem mirari, aliorum autem laxamentum intendere, aliorum vero inter utrumque temperamentum exaudire, aliorum autem typum considerare, et ad quid unumquodque referat, et eorum causam inquirere; nusquam transferentes regulam, neque errantes ab artifice, neque abjicientes fidem, quae est in unum Deum, qui fecit omnia, neque blasphemantes nostrum conditorem.

3. Si autem et aliquis non invenerit causam omnium quae requiruntur, cogitet quia homo est in infinitum minor Deo, et qui ex parte acceperit gratiam, et qui nondum aequalis, vel similis sit factori, et qui omnium experientiam et cogitationem habere non possit, ut Deus; sed in quantum minor est ab eo, qui factus non est, et qui semper idem est, ille qui hodie factus est, et initium facturae accepit; in tantum secundum scientiam, et ad investigandum causas omnium, minorem esse eo qui fecit. Non enim infectus es, o homo, neque semper coexsistebas Deo, sicut proprium

ejus Verbum; sed propter eminentem bonitatem ejus, nunc initium facturae accipiens, sensim discis a Verbo dispositiones Dei, qui te fecit.

4. Ordinem ergo serva tuae scientiae, et ne ut bonorum ignarus supertranscendas ipsum Deum; non enim transibilis est: neque super Demiurgum requiras quid sit; non enim invenies. Indeterminabilis est enim artifex tuus: neque tanquam hunc totum mensus sis, et tanquam qui per omnem ejus fabricam veneris, et omne, quod est in eo profundum, et altitudinem, et longitudinem consideraveris, super ipsum alium excogites Patrem. Non enim excogitabis, sed contra naturam sentiens, eris insipiens; et si in hoc perseveraveris, incides in insaniam, sublimiorem teipsum melioremque factore tuo existimans, et quod pertranseas regna ejus.

CAPUT XXVI

Imperitos et idiotas Deum sincere diligentes praeferendos esse iis qui inflati sunt vanae scientiae persuasione. A curiosis ac superfluis quaestionibus temperandum.

1. Melius est ergo et utilius, idiotas et parum scientes exsistere, et per charitatem proximum fieri Deo quam putare multum scire, et multa expertos in suum Deum blasphemos inveniri, alterum Deum Patrem fabricantes. Et ideo Paulus clamavit: Scientia inflat, charitas autem aedificat; non quia veram scientiam de Deo culparet, alioquin seipsum primum accusaret; sed quia sciebat quosdam sub occasione scientiae elatos excidere a dilectione Dei, et ob hoc opinari

seipsos esse perfectos, imperfectum autem Demiurgum introducentes, abscidens eorum ob hujusmodi scientiam supercilium, ait: Scientia inflat, charitas autem aedificat. Major autem hac non est alia inflatio, quam ut opinetur quis se meliorem et perfectiorem esse eo, qui fecerit, et plasmaverit, et spiramen vitae dederit, et hoc ipsum esse praestiterit. Melius itaque est, sicuti praedixi, nihil omnino scientem quempiam, ne quidem unam causam cujuslibet eorum quae facta sunt, cur factum sit, credere Deo, et perseverare eos in dilectione, aut per hujusmodi scientiam inflatos excidere a dilectione, quae hominem vivificat: nec aliud inquirere ad scientiam, nisi Jesum Christum Filium Dei, qui pro nobis crucifixus est, aut per quaestionum subtilitates et minutiloquium in impietatem cadere.

2. Quid enim si per hos conatus paululum quis elatus, eo quod Dominus dixerit, quia et capilli capitis vestri omnes numerati sunt, curiose inquirere voluerit numerum uniuscujusque capitis, capillorum, et causam exquirere per quam hic quidem tantos, ille autem tantos capillos habeat, non omnibus ex aequo habentibus, sed multis millibus super millia aliis atque aliis numeris inventis, eo quod alii quidem majora, alii autem minora habeant capita; et alii quidem spissos capillos semper, alii autem raros, alii vero et omnino paucos capillos habeant; et hi, qui putant se numerum invenisse capillorum, tentent referre ad testimonium suae sectae, quam excogitaverunt? Aut iterum si quis ob hoc quod dictum sit in Evangelio: Nonne duo passeres asse veneunt,

et unus ex his non cadet super terram sine Patris vestri voluntate? enumerare voluerit captos ubique quotidie passeres, sive in unaquaque regione, et causam requirere ob quam heri quidem tantos, ac pridem tantos, hodie autem iterum tanti sint qui capti sunt; et adnectat passerum numerum ad suum argumentum: nonne seipsum seducit omnino, et eos, qui ei acquiescunt, in magnam insaniam cogit, semper promptis hominibus, ut in talibus amplius quid quam magistri eorum putentur invenisse?

3. Quid autem si quis interroget nos, si omnis numerus omnium quae sunt facta, et quae fiunt, scitur a Deo, et si secundum illius providentiam unusquisque eorum eam, quae secundum se est, accepit quantitatem: nobisque consentientibus et confitentibus, quia nihil omnino horum quae facta sunt, et quae fiunt, et fient scientiam Dei fugit, sed per illius providentiam unumquodque eorum et habitum, et ordinem, et numerum, et quantitatem accipere et accepisse propriam, et nihil omnino neque vane, nec ut provenit factum aut fieri, sed cum magna aptatione et conscientia sublimi, et esse admirabilem rationem, et vere divinam quae possit hujusmodi et discernere, et causas proprias enuntiare: accipiens a nobis hujusmodi testimonium et consensum, pergat ad hoc, ut et arenam enumeret, et calculos terrae, sed et fluctus maris, et stellas coeli, et causas excogitare numeri qui putatur inventus: nonne in vanum laborans, et delirus hic talis, et irrationabilis ab omnibus, qui sensum habent, juste dicetur? Et quo magis praeter caeteros in hujusmodi

quaestionibus occupatur, et quo plus aliis adinvenire se existimat, reliquos imperitos, et idiotas, et animales vocans, eo quod non suscipiant ejus tam vanum laborem; hoc magis est insanus et stupidus, tanquam fulmine percussus, in nullo cedens Deo; sed per scientiam quam invenisse se putat, ipsum mutat Deum, et jaculatur sententiam suam super magnitudinem factoris.

CAPUT XXVII

Ex parabolis, quibus multiplex potest subesse sensus, obscura explicanda non esse, sed ex iis quae clare et aperte posita sunt in Scripturis.

1. Sensus autem sanus, et qui sine periculo est, et religiosus, et amans verum, quae quidem dedit in hominum potestatem Deus, et subdidit nostrae scientiae, haec prompte meditabitur, et in ipsis proficiet, diuturno studio facilem scientiam eorum efficiens. Sunt autem haec, quae ante oculos nostros occurrunt, et quaecunque aperte et sine ambiguo ipsis dictionibus posita sunt in Scripturis. Et ideo parabolae debent non ambiguis adaptari; sic enim et qui absolvit, sine periculo absolvit, et parabolae ab omnibus similiter absolutionem accipient; et a veritate corpus integrum, et simili aptatione membrorum, et sine concussione perseverat. Sed quae non aperte dicta sunt, neque ante oculos posita, copulare absolutionibus parabolarum, quas unusquisque prout vult adinvenit. Sic enim apud nullum erit regula veritatis; sed quanti fuerint, qui absolvent parabolas, tantae videbuntur veritates pugnantes semet invicem, et contraria sibimet dogmata

statuentes, sicut et gentilium philosophorum quaestiones.

2. Itaque secundum hanc rationem, homo quidem semper inquiret, nunquam autem inveniet, eo quod ipsam inventionis abjecerit disciplinam. Et cum venerit sponsus, is qui imparatam habet lampadem, nulla manifesti luminis claritate fulgentem, recurrit ad eos qui absolutiones parabolarum in tenebris distrahunt, relinquens eum qui per manifestam praedicationem gratis donat ad eum ingressum, et excluditur a thalamo ejus. Cum itaque universae Scripturae, et Prophetiae, et Evangelia in aperto, et sine ambiguitate, et similiter ab omnibus audiri possint, etsi non omnes credunt; unum et solum Deum, ad excludendos alios, praedicent omnia fecisse per Verbum suum, sive visibilia, sive invisibilia, sive coelestia, sive terrena, sive aquatilia, sive subterranea, sicut demonstravimus ex ipsis Scripturarum dictionibus, et ipsa autem creatura in qua sumus, per ea quae in aspectum veniunt, hoc ipsum testante unum esse qui eam fecerit et regat: valde hebetes apparebunt, qui ad tam lucidam adapertionem caecutiunt oculos, et nolunt videre lumen praedicationis; sed constringunt semetipsos, et per tenebrosas parabolarum absolutiones unusquisque eorum proprium putat invenisse Deum. Quia enim de excogitato eorum qui contraria opinantur, Patre, nihil aperte, neque sine controversia in nulla omnino dictum sit Scriptura; et ipsi testantur dicentes in absconso haec eadem Salvatorem docuisse non omnes, sed aliquos discipulorum, qui possunt capere, et per argumenta, et aenig-

mata, et parabolas ab eo significata intelligentibus. Veniunt autem ad hoc, ut dicant alium quidem esse qui praedicatur Deus, et alium Patrem, qui per parabolas et aenigmata significatur Pater.

3. Quia autem parabolae possunt multas recipere absolutiones, ex ipsis de inquisitione Dei affirmare, relinquentes quod certum, et indubitatum, et verum est, valde praecipitantium se in periculum, et irrationabilium esse, quis non amantium veritatem confitebitur? Et nunquid hoc est non in petra firma, et valida, et in aperto posita aedificare suam domum, sed in incertum effusae arenae? Unde et facilis est eversio hujusmodi aedificationis.

CAPUT XXVIII

Sic inquirenda esse Dei mysteria, ut a regula veritatis et a vera de Deo scientia nunquam deflectamus. Scripturis sacris adhibendam esse fidem, nec plura a nobis temere investiganda, quae Deo committi debent, ac mentis nostrae limites excedunt. Et hoc esse vitium haereticorum, quod nihil Deo reservent, sed temere omnia scrutentur. Hinc in tam portentosos errores lapsos eos esse demonstrat.

1. Habentes itaque regulam ipsam veritatem, et in aperto positum de Deo testimonium, non debemus per quaestionum declinantes in alias atque alias absolutiones ejicere firmam et veram de Deo scientiam; magis autem absolutionem quaestionum in hunc characterem dirigentes, exerceri quidem convenit per inquisitionem mysterii et dispositionis exsistentis Dei; augeri autem

in charitate ejus, qui tanta propter nos fecit et facit, nunquam autem excidere ab ea suasione, qua manifestissime praedicatur, quia hic solus vere sit Deus et Pater, qui et hunc mundum fecit, et hominem plasmavit, et in sua creatura donavit incrementum, et de minoribus suis ad majora, quae apud ipsum sunt, vocans, sicut infantem quidem in vulva conceptum educit in lumen solis, et triticum, posteaquam in stipula corroboraverit, condit in horreum. Unus autem et idem Demiurgus, qui et vulvam plasmavit, et solem creavit; et unus et idem Dominus, qui et stipulam eduxit, et triticum augens multiplicavit, et horreum praeparavit.

2. Si autem omnium, quae in Scripturis requiruntur, absolutiones non possumus invenire, alterum tamen Deum, praeter eum qui est, non requiramus. Impietas enim haec maxima est. Cedere autem haec talia debemus Deo, qui et nos fecit, rectissime scientes, quia Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu ejus dictae; nos autem secundum quod minores sumus et novissimi a Verbo Dei et Spiritu ejus, secundum hoc et scientia mysteriorum ejus indigemus. Et non est mirum si in spiritalibus, et coelestibus, et in his quae habent revelari, hoc patimur nos: quandoquidem etiam eorum quae ante pedes sunt (dico autem quae sunt in hac creatura, quae et contrectantur a nobis, et videntur, et sunt nobiscum), multa fugerunt nostram scientiam, et Deo haec ipsa committimus. Oportet enim eum prae omnibus praecellere. Quid enim si tentemus exponere causam ascensionis

Nili? Multa quidem dicimus, et fortassis suasoria, fortassis autem non suasoria: quod autem verum est, et certum, et firmum, adjacet Deo. Sed et volatilium animalium habitatio, eorum quae veris tempore adveniunt ad nos, autumni autem tempore statim recedunt, cum in hoc mundo hoc ipsum fiat, fugit nostram scientiam. Quid autem possumus exponere de Oceani accessu et recessu, cum constet esse certam causam? Quidve de his quae ultra eum sunt enuntiare qualia sint? Vel quid dicere possumus, quomodo pluviae, et coruscationes, et tonitrua, et collectiones nubium, et nebulae, et ventorum emissiones, et similia his, efficiuntur; annuntiare quoque et thesauros nivium, et grandinis, et eorum quae his proxima sunt: quae haec autem nubium praeparatio, aut qui status nebulae, quae autem causa est per quam crescit luna et decrescit, aut quae causa aquarum distantiae, et metallorum, et lapidum, et his similium? In his omnibus nos quidem loquaces erimus, requirentes causas eorum; qui autem ea facit solus Deus, veridicus est.

3. Si ergo et in rebus creaturae quaedam quidem eorum adjacent Deo, quaedam autem et in nostram venerunt scientiam; quid mali est, si et eorum, quae in Scripturis requiruntur, universis Scripturis spiritalibus exsistentibus, quaedam quidem absolvimus secundum gratiam Dei, quaedam autem commendamus Deo; et non solum in hoc saeculo, sed et in futuro; ut semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat quae sunt a Deo? Sicut et Apostolus dixit, reliquis partibus destructis, haec tunc perseverare, quae

sunt, fides, spes et charitas. Semper enim fides, quae est ad magistrum nostrum, permanet firma, asseverans nobis quoniam solus vere Deus, et ut diligamus eum vere semper, quoniam ipse solus Pater; et speremus subinde plus aliquid accipere et discere a Deo, quia bonus est, et divitias habens indeterminabiles, et regnum sine fine, et disciplinam immensam. Si ergo secundum hunc modum, quem diximus, quaedam quidem quaestionum Deo commiserimus: et fidem nostram servabimus, et sine periculo perseverabimus, et omnis Scriptura a Deo nobis data consonans nobis invenietur, et parabolae his, quae manifeste dicta sunt, consonabunt, et manifeste dicta absolvent parabolas; et per dictionum multas voces unam consonantem melodiam in nobis sentiet laudantem hymnis Deum, qui fecit omnia. Utputa, si quis interroget: Antequam mundum faceret Deus, quid agebat? dicimus quoniam ista responsio subjacet Deo. Quoniam autem mundus hic factus est apotelestos a Deo, temporale initium accipiens, Scripturae nos docent: quid autem ante hoc Deus sit operatus, nulla Scriptura manifestat. Subjacet ergo haec responsio Deo, et non ita stultas, et sine disciplina blasphemas adinvenire velle prolationes, et per hoc quod putas te invenisse materiae prolationem, ipsum Deum, qui fecit omnia, reprobare.

4. Cogitate enim, o omnes qui talia adinvenitis, cum ipse solus Pater Deus dicatur, qui et vere est, quem vos Demiurgum dicitis; sed et cum Scripturae hunc solum sciant Deum, sed et cum Dominus hunc solum confitetur proprium

Patrem, et alterum nesciat, sicut ex ipsis ejus verbis ostendemus: quando hunc ipsum labis dicitis fructum, et ignorantiae prolationem et nescientem quae sint super eum, et quaecunque alia dicitis de eo, considerate magnitudinem blasphemiae in eum, qui vere est Deus. Graviter quidem et honeste videmini dicere, vos in Deum credere; dehinc alterum Deum cum minime possitis ostendere, hunc ipsum, in quem credere vos dicitis labis fructum, et ignorantiae prolationem pronuntiatis. Haec autem caecitas, et stultiloquium inde provenit vobis, quod nihil Deo reservetis. Sed et ipsius Dei, et Ennoeae ejus, et Verbi, et Vitae, et Christi nativitates, et prolationes annuntiare vultis; et has non aliunde accipientes, sed ex affectione hominum: et non intelligitis, quia in homine quidem, qui est compositum animal, capit hujusmodi dicere, sicut praediximus, sensum hominis et ennoeam hominis; et quia ex sensu ennoea, de ennoea autem enthymesis, de enthymesi autem logos: (quem autem logon? aliud enim est secundum Graecos logos, quod est principale quod excogitat; aliud organum, per quod emittitur logos) et aliquando quidem quiescere, et tacere hominem, aliquando autem loqui, et operari: Deus autem cum sit totus mens, totus ratio, et totus spiritus operans, et totus lux, et semper idem et similiter exsistens, sicut et utile est nobis sapere de Deo, et sicut ex Scripturis discimus; non jam hujusmodi affectus et divisiones decenter erga eum subsequentur. Velocitati enim sensus hominum propter spiritale ejus non sufficit lingua deservire, quippe carnalis exsistens:

unde et intus suffocatur verbum nostrum, et profertur non de semel, sicut conceptum est a sensu; sed per partes, secundum quod lingua subministrare praevalet.

5. Deus autem totus exsistens mens, et totus exsistens Logos, quod cogitat, hoc et loquitur; et quod loquitur, hoc et cogitat. Cogitatio enim ejus Logos, et Logos mens, et omnia concludens mens, ipse est Pater. Qui ergo dicit mentem Dei, et prolationem propriam menti donat, compositum eum pronuntiat, tanquam aliud quiddam sit Deus, aliud autem principalis mens exsistens. Similiter autem rursus et de Logo tertiam prolationem ei a Patre donans, (unde et ignorat magnitudinem ejus) porro et longe Logon a Deo separavit. Et propheta quidem ait de eo: Generationem ejus quis enarrabit? Vos autem generationem ejus ex Patre divinantes, et verbi hominum per linguam factam prolationem transferentes in Verbum Dei, juste detegimini a vobis ipsis, quod neque humana, nec divina noveritis.

6. Irrationabiliter autem inflati, audaciter inenarrabilia Dei mysteria scire vos dicitis: quandoquidem et Dominus, ipse Filius Dei, ipsum judicii diem et horam concessit scire solum Patrem, manifeste dicens: De die autem illa, et hora nemo scit, neque Filius, nisi Pater solus. Si igitur scientiam diei illius Filius non erubuit referre ad Patrem, sed dixit quod verum est; neque nos erubescamus, quae sunt in quaestionibus majora secundum nos, reservare Deo. Nemo enim super magistrum est. Si quis itaque nobis dixerit: Quomodo ergo Filius prolatus a Patre est? dicimus ei,

quia prolationem istam, sive generationem, sive nuncupationem, sive adapertionem, aut quolibet quis nomine vocaverit generationem ejus inenarrabilem exsistentem, nemo novit; non Valentinus, non Marcion, neque Saturninus, neque Basilides, neque Angeli, neque Archangeli, neque Principes, neque Potestates, nisi solus qui generavit Pater, et qui natus est Filius. Inenarrabilis itaque generatio ejus cum sit, quicunque nituntur generationes et prolationes enarrare, non sunt compotes sui, ea quae inenarrabilia sunt enarrare promittentes. Quoniam enim ex cogitatione et sensu verbum emittitur, hoc utique omnes sciunt homines. Non ergo magnum quid invenerunt, qui emissiones excogitaverunt, neque absconditum mysterium, si id quod ab omnibus intelligitur, transtulerunt in unigenitum Dei Verbum: et quem inenarrabilem et innominabilem vocant, hunc, quasi ipsi obstetricaverint, primae generationis ejus prolationem et generationem enuntiant, assimilantes eum hominum verbo emissionis.

7. Hoc autem idem et de substantia materiae dicentes, non peccabimus, quoniam Deus eam protulit. Didicimus enim ex Scripturis, principatum tenere super omnia Deum. Unde autem, vel quemadmodum emisit eam, neque Scriptura aliqua exposuit, neque nos phantasmari oportet, ex opinionibus propriis infinita conjicientes de Deo; sed agnitionem hanc concedendam esse Deo. Similiter autem et causam propter quam, cum omnia a Deo facta sint, quaedam quidem transgressa sunt, et abscesserunt a Dei subjectione;

quaedam autem, imo plurima, perseveraverunt et perseverant in subjectione ejus qui fecit; et cujus naturae sunt quae transgressa sunt, cujus autem naturae quae perseverant, cedere oportet Deo et Verbo ejus, cui et soli dixit: Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos suppedaneum pedum tuorum. Nos autem adhuc in terra conversantes, nondum assidentes throno ejus. Etsi enim Spiritus Salvatoris qui in eo est, scrutatur omnia, et altitudines Dei; sed quantum ad nos, divisiones gratiarum sunt, et divisiones ministeriorum, et divisiones operationum; et nos super terram, quemadmodum et Paulus ait, ex parte quidem cognoscimus, et ex parte prophetamus. Sicut igitur ex parte cognoscimus, sic et de universis quaestionibus concedere oportet ei, qui ex parte nobis praestat gratiam. Quoniam quidem transgressoribus ignis aeternus praeparatus est, et Dominus manifeste dixit, et reliquae demonstrant Scripturae. Et quoniam praesciit Deus hoc futurum, similiter demonstrant Scripturae, quemadmodum et ignem aeternum his qui transgressuri sunt praeparavit ab initio; ipsam autem causam naturae transgredientium, neque Scriptura aliqua retulit, nec Apostolus dixit, nec Dominus docuit. Dimittere itaque oportet agnitionem hanc Deo, quemadmodum et Dominus horae et diei; nec in tantum periclitari, uti Deo quidem concedamus nihil; et haec ex parte accipientes gratiam. In eo autem cum quaerimus quae sunt super nos, et in quae attingere nobis non est, nunc in tantam audaciam venire, uti pandamus Deum, et quae nondum inventa sunt,

quasi jam invenerimus, per emissionum vaniloquium ipsum omnium factorem Deum, et de defectione, et ignorantia asserere substantiam habuisse, et sic impium adversus Deum, fingere argumentum.

8. Post deinde nullum habent testimonium ejus figmenti, quod recens ab eis adinventum est, aliquando quidem per numeros quoslibet, aliquando autem per syllabas, nonnunquam autem et per nomina; est autem quando et per eas, quae in litteris sunt, litteras, aliquando autem et per parabolas non recte exsolutas, vel per suspiciones quasdam consistere conari eam fabulosam enarrationem, quae sit ab eis effictitia. Etenim si quis exquirat causam, propter quam in omnibus Pater communicans Filio, solus scire horam et diem a Domino manifestatus est; neque aptabilem magis, neque decentiorem, nec sine periculo alteram quam hanc inveniat in praesenti; [quoniam enim solus verax magister est Dominus] ut discamus per ipsum, super omnia esse Patrem. Etenim Pater, ait, major me est. Et secundum agnitionem itaque praepositus esse Pater annuntiatus est a Domino nostro ad hoc, ut et nos, in quantum in figura hujus mundi sumus, perfectam scientiam, et tales quaestiones concedamus Deo: et ne forte quaerentes altitudinem Patris investigare, in tantum periculum incidamus, uti quaeramus an super Deum alter sit Deus.

9. Si autem quis amans contentionem, contradictor fuerit his quae a nobis dicta sunt, et his quae ab Apostolo relata sunt, quoniam ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus, putet

se non ex parte, sed universaliter universam cepisse eorum, quae sunt, agnitionem, Valentinus aliquis exsistens, aut Ptolemaeus, aut Basilides, vel aliquis eorum qui altitudines Dei exquisisse se dicunt; non in ea quae invisibilia sunt, vel quae ostendi non possunt, cum inani jactantia decorans semetipsum, plus quam reliquos se agnovisse glorietur; sed causas eorum quae in hoc sunt mundo, quas nos non scimus, utputa numerum capillorum capitis sui, et de his qui quotidie capiuntur passeres, et de reliquis non provisis a nobis, diligenter exquirens, et a Patre discens annuntiet nobis, ut ei de majoribus quoque credamus. Si autem ea quae in manibus sunt, et ante pedes, et in oculis, et terrenis, et praecipue dispositionem capillorum capitis sui, nondum sciunt ii qui sunt perfecti; quemadmodum eis de spiritalibus, et supercoelestibus, et de his quae super Deum vana persuasione confirmant, credemus? Et tanta quidem de numeris, et de nominibus, et de syllabis, et quaestionibus eorum, quae sunt super nos, et de eo quod improprie exponant parabolas, a nobis sit dictum, quandoquidem a te plura dici possint.

CAPUT XXIX

Repugnare quod asserunt haeretici animas quasdam in Pleroma, alias in medietatem abituras; corporibus salutis expertibus.

1. Revertamur autem nos ad reliqua quae sunt eorum argumentationis. In consummatione enim dicentes ipsorum Matrem intra Pleroma regredi, et recipere sponsum suum Salvatorem;

se autem, quoniam spiritales esse dicunt, exspoliatos animas, et spiritus intellectuales factos, sponsas futuros spiritalium angelorum: Demiurgum autem, quoniam animalem dicunt, in Matris locum cessurum: justorum autem animas requiescere in medietatis loco: psychice dicentes similia ad similia congregari, spiritalia ad spiritalia, materialia autem in materialibus perseverare: contraria sibi diffiniunt, animas jam non propter substantiam in medietatem ad similia dicentes succedere, sed propter operationem; justorum quidem dicentes illuc succedere, impiorum autem remanere ignem. Si enim propter substantiam omnes succedunt animae in refrigerium, et medietatis sunt omnes, secundum quod sunt animae, cum sint ejusdem substantiae; et superfluum est credere, superflua autem et descensio Salvatoris. Si autem propter justitiam, jam non propter id quod sint animae, sed quoniam sunt justae. Si autem animae (quae) periturae essent, (inciperent) nisi justae fuissent; justitia potens est salvare et corpora: quid utique non salvabit, quae et ipsa participaverunt justitiae? Si enim natura et substantia salvat, omnes salvabuntur animae; si autem justitia et fides, quare non salvet ea quae similiter cum animabus in corruptelam cedere incipiunt corpora? Aut enim impotens, aut injusta apparebit in hujusmodi justitia, si quaedam quidem salvat propter suam participationem, quaedam autem non.

2. Quia enim in corporibus perficiuntur ea quae sunt justitiae, manifestum est, aut universae itaque animae necessarie succedent in

medietatis locum, et judicium nusquam; aut et corpora, quae participaverunt justitiae, cum animabus quae similiter participaverunt, obtinebunt refrigerii locum, si quidem potens est justitia illuc transducere ea, quae participaverunt ei; et verus, et firmus emerget de resurrectione corporum sermo. Quem quidem credimus nos; quoniam et mortalia corpora nostra custodientia justitiam resuscitans Deus, incorrupta et immortalia faciet. Deus enim melior est quam natura, habens apud semetipsum velle, quoniam bonus est: et posse, quoniam potens est: et perficere, quoniam dives et perfectus est.

3. Hi autem secundum omnia contraria sibi dicunt, non omnes animas in medietatem succedere definientes, sed solas quae sint justorum. Naturaliter enim et secundum substantiam emissa esse tria genera dicunt a Matre: primum quod quidem sit de aporia, ex taedio et timore, quod est materia; alterum autem de impetu, quod est animale: quod autem enixa est secundum visionem eorum, qui circa Christum sunt angeli, quod est spiritale. Si igitur illa quae enixa est, omni modo intra Pleroma ingrediuntur, quoniam spiritale est; quod autem est materiale, residet deorsum, quoniam est materiale, et exardescente eo, qui inest ei, igne consumetur in totum: animale quare non totum in medietatis locum cedet, in quem et Demiurgum mittunt? Quid autem est illud, quod cedet eorum intra Pleroma? Animas enim in medietatem perseverare dicunt; corpora autem, quoniam materialem habent substantiam, in materiam resoluta ardere ab eo, qui in ea est

ignis. Corpore autem ipsorum corrupto, et anima remanente in medietate, nihil jam relinquitur ex homine quod intra Pleroma cedat. Sensus enim hominis, mens, et cogitatio, et intentio mentis, et ea quae sunt hujusmodi, non aliud quid praeter animam sunt; sed ipsius animae motus, et operationes, nullam sine anima habentes substantiam. Quid ergo adhuc erit eorum, quod succedit in Pleroma? Et ipsi enim, in quantum quidem animae sunt, remanent in medietate; in quantum autem corpus, cum reliqua materia ardebunt.

CAPUT XXX

Vesanam haereticorum impietatem castigat, qui se spiritales, Demiurgum vero animalem esse dicebant.

1. Et his sic se habentibus, super Demiurgum se ascendere dicunt insensati: et secundum hoc quod se meliores pronuntiant illo Deo, qui coelos, et terram, et maria, et omnia quae in eis sunt fecit, et ornavit, et semet quidem spiritales esse volunt inhonorate, cum sint carnales propter tantam suam impietatem; qui autem fecit angelos suos spiritus, et induitur lumine quemadmodum pallium, et velut in manu tenet gyrum terrae, apud quem inhabitantes eam velut locustae sunt deputati, et universae spiritalis substantiae Demiurgum et Deum animalem esse dicentes: indubitate et vere suam ostendunt insaniam, et velut vere de tonitruo percussi super eos qui fabulis referuntur Gigantes, extollentes sententias adversus Deum, praesumptione vana, et instabili gloria tumidi, quibus universae terrae elleborum

non sufficit ad expurgationem, uti evomant tantam suam stultitiam.

2. Meliorem enim ex operibus oportet ostendi. Unde igitur semetipsos ostendunt Demiurgo meliores, (uti et nos ad impietatem propter necessitatem sermonis devergamus, Dei et insanorum hominum comparationem facientes, et in argumentationem eorum descendentes, saepe per propria ipsorum dogmata arguentes eos; sed nobis quidem propitius sit Deus; non enim illis eum comparantes, sed arguentes et evertentes, illorum insaniam, dicimus haec) ad quos stupescunt multi insensatorum, quasi plus aliquid ipsa veritate ab eis possent discere? Et illud quod scriptum est: Quaerite et invenietis, ad hoc dictum esse interpretantur, uti super Demiurgum semetipsos adinveniant, majores et meliores vocantes semetipsos quam Deum, et semetipsos spiritales, Demiurgum autem animalem: et propter hoc, superascendere eos super Deum; et se quidem intra Pleroma cedere, Deum autem in medietatis loco. Ab operibus itaque ostendant semetipsos Demiurgo meliores. Non enim in eo quod dicitur, sed in eo quod est, melior ostendi debet.

3. Quod igitur opus monstrabunt per semetipsos a Salvatore, sive a Matre ipsorum factum, aut majus, aut splendidius, aut rationabilius his quae facta sunt ab hoc, qui haec omnia disposuit? Quos coelos firmaverunt? quam terram solidaverunt? quas emiserunt stellas? vel quae luminaria elucidaverunt? quibus autem circulis infrenaverunt ea? vel quas pluvias, vel frigora; vel universa

secundum tempus, et secundum unamquamque regionem aptabilia, adduxerunt terrae? Quem autem calorem, et siccitatem econtrario apposuerunt eis? aut quae flumina abundare fecerunt? quos autem eduxerunt fontes? quibus autem floribus et arboribus adornaverunt eam, quae est sub coelo? vel quam multitudinem animalium formaverunt, partim quidem rationabilium, partim autem irrationabilium, universorum forma ornatorum? Et reliqua omnia, quae per virtutem Dei sunt constituta et per sapientiam ejus gubernantur, quis poterit per singula enumerare, vel investigare magnitudinem sapientiae ejus, qui fecit, Dei? Quid autem illa, quae super coelum, et quae non praetereant, quanta sunt, Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Potestates innumerabiles? Adversus quod igitur unum opus ex his semetipsos econtrario constituunt? Quid tale ostendere habent per semetipsos, vel a semetipsis factum, quando et ipsi hujus factura et plasmatio sint? Sive enim Salvator, sive Mater ipsorum (ut propria ipsorum dicamus, per sua ipsorum propria mendaces eos arguentes) usa est hoc, ut dicunt, ad faciendam imaginem eorum, quae intra Pleroma sunt, et contemplationis universae, quam vidit circa Salvatorem; tanquam meliori hoc, et aptabiliori ad faciendam voluntatem suam per eum, usa est: tantorum enim imagines nequaquam per inferiorem, sed per meliorem deformavit.

4. Erant enim et ipsi tunc, sicut ipsi dicunt, exsistentes conceptio spiritalis secundum contemplationem eorum, qui erga Pandoram sunt

satellites dispositi. Et hi quidem vacui perseverabant, [nihil per eos perficiente Matre per Salvatorem] inutilis conceptio et ad nihilum apta: nihil enim per eos apparet factum. Qui autem emissus est, secundum eos, Deus, inferior ipsis exsistens, secundum argumentationem eorum, (animalem enim eum esse volunt) in omnia operator, et efficax, et aptabilis fuit, uti per eum omnium imagines fierent: et non tantum quae videntur haec, sed et invisibilia, Angeli, Archangeli, Dominationes, Potestates, Virtutes, per hunc omnia facta sunt, videlicet velut per meliorem, et qui possit voluntati deservire. Nihil autem per hos Matrem apparet fecisse, quemadmodum et ipsi confitentur: uti juste quis aestimet eos abortum fuisse male parientis Matris ipsorum. Non enim obstetrices eam obstetricaverunt, et propterea velut abortum projecti sunt, in nihilum utiles, ad nullum opus facti Matri. Et semet meliores vocant eo, per quem tanta et talia facta sunt, et disposita; quando et per suam argumentationem perquam inferiores multum inveniuntur?

5. Ac velut duo ferramenta operaria, vel organa duo cum sint, ex quibus alterum quidem semper in manibus, et in usu artifex habeat, et per illud faciat quanta velit, et ostendat artem et sapientiam suam; alterum autem vacuum atque otiosum perseveret, et sine operatione, per quod nihil omnino apparet faciens artifex, et in nullam actionem eo utens: deinde dicat quis inutile hoc, et vacuum, atque otiosum melius esse et pluris illo quo utitur in opere, per quod et glorificatur ipse artifex: hic igitur hebes esse juste arbitrabi-

tur qui sit talis, et mentis suae non compos. Sic autem et hi, semet spiritales et meliores dicentes, et Demiurgum animalem, et propter hoc superascendere, et intra Pleroma penetrare ad viros suos; (sunt enim feminae, quemadmodum ipsi confitentur) Deum autem inferiorem, et propter hoc manere in medietate, et hujus nullam ostensionem afferentes: (qui enim melior est, ex operibus ostenditur: omnia enim opera a Demiurgo facta sunt; per semetipsos autem nihil dignum ratione factum ostendere habentes) insani sunt summa et insanabili insania.

6. Si autem contenderint dicere, quoniam quaecunque sunt quidem materialia, utputa coelum, et universus, qui infra eum continetur mundus, a Demiurgo facta sunt; quotquot autem spiritaliora his, illa quae sunt super coelum, utputa, Principia, Potestates, Angeli, Archangeli, Dominationes, Virtutes, per spiritalem enixionem (quod semetipsos esse dicunt) facta sunt: primo quidem ex Dominicis Scripturis ostendimus omnia, quae praedicta sunt, visibilia et invisibilia, ab uno Deo facta. Non enim sunt magis idonei hi quam Scripturae: nec relinquentes nos eloquia Domini, et Moysem, et reliquos prophetas, qui veritatem praeconaverunt, his credere oportet, sanum quidem nihil dicentibus, instabilia autem delirantibus. Deinde etiam si per ipsos ea, quae sunt super coelos, facta sunt, dicant nobis, quae sit invisibilium natura; enarrent numerum Angelorum et ordinem Archangelorum; demonstrent Thronorum sacramenta, et doceant diversitates Dominationum, Principatuum, et Potestatum at-

que Virtutum. Sed non habent dicere: non ergo per eos facta sunt. Si autem a Demiurgo facta sunt haec, sicut et facta sunt, et sunt spiritalia et sancta: non est ergo animalis hic, qui spiritalia perfecit; et soluta est illorum magna blasphemia.

7. Quoniam enim sunt in coelis spiritales conditiones, universae clamant Scripturae; et Paulus autem testimonium perhibet, quoniam sunt spiritalia, usque ad tertium coelum raptum se esse significans; et rursum, delatum esse in paradisum, et audisse verba inenarrabilia, quae non licet homini loqui. Et quid illi prodest aut in paradisum introitus, aut usque in tertium coelum assumptio, cum sint omnia illa sub potestate Demiurgi; si eorum, quae super Demiurgum dicuntur, mysteriorum speculator et auditor inciperet fieri, quemadmodum audent quidam dicere? Si enim uti eam, quae est super Demiurgum, disceret dispositionem, nequaquam in his quae sunt Demiurgi remansisset, ne ipsa quidem universa perspeculatus; (restabat enim ei adhuc secundum illorum sermonem quartum coelum, uti appropinquaret Demiurgo, et subjectam septenationem videret) sed reciperetur fortasse vel usque ad medietatem, id est ad Matrem, uti ab ea disceret quae sunt intra Pleroma. Poterat enim qui est intus homo ejus, qui et loquebatur in eo, invisibilis exsistens, quemadmodum dicunt, non tantum usque ad tertium coelum, sed usque ad Matrem illorum pervenire. Si enim se, hoc est, ipsorum hominem statim supergredi dicunt Demiurgum, et abire ad Matrem, multo magis utique Apostoli homini hoc evenisset: nec

enim prohibuisset illum Demiurgus, jam et ipse subjectus Salvatori, ut dicunt. Si autem et prohibuisset, nihil profecisset. Non enim possibile est, eum Patris providentia fortiorem esse, et haec cum interior homo invisibilis etiam a Demiurgo esse dicatur. Quoniam autem ille velut magnum aliquid et praeclarum, eam, quae fuit usque ad tertium coelum assumptionem, enarravit; non utique isti super septimum coelum ascendunt: non enim sunt meliores Apostolo. Si seipsos dicant differentiores, ex operibus arguentur: nihil enim ab illis tale jactitatum est. Et propter hoc adjecit: Sive in corpore, sive extra corpus; Deus scit; uti neque corpus particeps putaretur esse visionis ejus, quippe quasi et ipsum participaturum eorum quae vidisset et audisset: nec rursus propter pondus corporis dicat quis eum amplius non esse assumptum; sed ideo usque illuc permittatur etiam sine corpore sacramenta perspicere spiritalia, quae sunt Dei operationes, qui fecit coelos et terram, et plasmavit hominem, et posuit in paradiso, speculatores fieri eos, qui similiter, ut Apostolus, valde sunt perfecti in dilectione Dei.

8. Et spiritalia itaque hic fecit, quorum usque ad tertium coelum speculator factus est Apostolus, et inenarrabiles sermones, quos non licet homini loqui, quoniam sint spiritales; et ipse hic praestat dignis, quemadmodum vult; hujus enim est paradisus: et vere est Spiritus Dei, sed non animalis Demiurgus, alioquin nunquam spiritalia perfecisset. Si autem animalis hic, per quem facta sunt spiritalia, referant nobis. Sed neque per

enixionem Matris suae (quod semetipsos esse dicunt) factum esse quid ostendere habent. Hi enim non tantum aliquid de spiritalibus, sed ne quidem muscam, aut culicem, aut tale aliquid ex his, quae sunt contemptibilia animalia pusilla, perficere possunt, praeter eam rationem, quae ab initio a Deo per seminum demissionem in his, quae sunt ejusdem generis, naturaliter facta sunt, atque fiunt animalia. Sed ne quidem a sola Matre factum aliquid: dicunt emissum hunc Demiurgum et Dominum universae operationis. Et eum quidem, qui sit universae operationis Demiurgus et Dominus, animalem esse dicunt; se autem spiritales, qui nullius operationis fabricatores sunt aut domini, non solum eorum, quae sunt extra eos, sed ne quidem corporum suorum. Multa denique saepe secundum corpus patiuntur nolentes, vocantes se spiritales et meliores Demiurgo.

9. Juste igitur a nobis arguentur porro et longe divertisse a veritate. Sive enim per hunc, quae facta sunt, fecit Salvator; non inferior ipsis, sed melior esse ostenditur, quando et horum ipsorum invenitur factor: nam et ipsi sunt ex his quae facta sunt. Quomodo itaque consequens est, hos quidem spiritales esse, hunc autem ipsum, per quem et facti sunt, animalem? Sive (quod et solum est verum, quod et per plurima ostendimus, velut liquidissimis ostensionibus) ipse a semetipso fecit libere et ex sua potestate, et disposuit, et perfecit omnia, et est substantia omnium voluntas ejus; solus hic Deus invenitur, qui omnia fecit solus omnipotens, et solus Pater

condens et faciens omnia, et visibilia, et invisibilia, et sensibilia, et insensata, et coelestia, et terrena, Verbo virtutis suae; et omnia aptavit et disposuit sapientia sua, et omnia capiens, solus autem a nemine capi potest: ipse fabricator, ipse conditor, ipse inventor, ipse factor, ipse Dominus omnium: et neque praeter ipsum, neque super ipsum, neque Mater, quam illi admentiuntur; nec Deus alter, quem Marcion affinxit; nec Pleroma xxx Aeonum, quod vanum ostensum est; neque Bythus, nec Proarche, neque coeli; nec lumen virginale, nec Aeon innominabilis, nec in totum quidquam eorum, quae ab his et ab omnibus haereticis delirantur.

Sed solus unus Deus fabricator, hic qui est super omnem Principalitatem, et Potestatem, et Dominationem, et Virtutem: hic Pater, hic Deus, hic conditor, hic factor, hic fabricator, qui fecit ea per semetipsum, hoc est per Verbum et per Sapientiam suam, coelum, et terram, et maria, et omnia quae in eis sunt: hic justus, hic bonus: hic est qui formavit hominem, qui plantavit paradisum, qui fabricavit mundum, qui diluvium induxit, qui Noe salvavit: hic Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus vivorum, quem et lex annuntiat, quem prophetae praeconant, quem Christus revelat, quem apostoli tradunt, quem Ecclesia credit. Hic Pater Domini nostri Jesu Christi, per Verbum suum, qui est Filius ejus; per eum revelatur et manifestatur omnibus, quibus revelatur: cognoscunt enim eum hi quibus revelaverit Filius. Semper autem coexsistens Filius Patri, olim et ab initio semper revelat Patrem, et

Angelis, et Archangelis, et Potestatibus, et Virtutibus et omnibus, quibus vult revelare Deus.

CAPUT XXXI

Summatim perstringit ea fere omnia, quae toto hoc libro fuse disseruit, speciatim contra Valentinianos, eadem in reliquos etiam haereticos dici posse confirmans.

1. Destructis itaque his, qui a Valentino sunt, omnis haereticorum eversa est multitudo. Quae enim et quantum adversus Pleroma ipsorum, et ad ea quae extra sunt, diximus, ostendentes quoniam concludetur, et circumscribetur Pater universorum ab eo quod extra eum est (si tamen extra eum aliquid sit); et quoniam necesse est multos quidem Patres, multa autem Pleromata, et multas mundorum fabricationes, ab aliis quidem coeptas, ad alteros autem deficientes, esse secundum omnem partem; et universos perseverantes in suis propriis non curiose agere de aliis, in quibus neque participatio, neque communio aliqua est eis; et nullum alium omnium esse Deum, sed solam esse Omnipotentis appellationem; et adversus eos qui sunt a Marcione, et Simone, et Menandro, vel quicunque alii sunt, qui similiter dividunt eam, quae secundum nos est, conditionem a Patre, similiter erit ad eos aptatum. Quanta autem rursus diximus adversus eos, qui dicunt omnia quidem comprehendere Patrem universorum; eam autem, quae sit secundum nos, conditionem non ab eo esse factam, sed a Virtute quadam altera, vel ab angelis ignorantibus Propatorem, in immensa magnitudine universitatis

circumscriptum centri vice, velut maculam in pallio; ostendentes quoniam non est verisimile alium quemdam, eam quae secundum nos est, conditionem fecisse, quam Patrem universorum: et adversus eos qui sunt a Saturnino, et Basilide, et Carpocrate, et reliquos Gnosticorum, qui eadem similiter dicunt, idem dicetur. Quae autem de prolationibus dicta sunt, et Aeonibus, et deminoratione, et quemadmodum instabilis Mater ipsorum; similiter evertit Basilidem, et omnes qui falso cognominantur Agnitores, aliis nominibus eadem similiter dicentes; magis autem quam hi, [qui] ea quae sunt extra veritatem transferentes ad characterem suae doctrinae. Et quaecunque sunt quae de numeris diximus, adversus omnes, qui in hujusmodi speciem deducunt quae sunt veritatis, dicentur. Et quaecunque dicta sunt de Demiurgo, ostendentia quod hic solus est Deus et Pater universorum; et quaecunque adhuc dicentur in sequentibus libris, adversus omnes dico haereticos. Eos quidem, qui sunt mitiores eorum et humaniores, avertes et confundes, ut non blasphement suum conditorem, et factorem, et nutritorem, et Dominum, neque de labe et ignorantia genesim ejus affingere: feroces autem, et horribiles, et irrationabiles effugabis a te longe, ne amplius sustineas verbositates eorum.

2. Super haec arguentur qui sunt a Simone, et Carpocrate, et si qui alii virtutes operari dicuntur: non in virtute Dei, neque in veritate, neque ut benefici hominibus facientes ea, quae faciunt; sed in perniciem et errorem, per magicas elusiones, et universa fraude, plus laedentes quam utilita-

tem praestantes his, qui credunt eis, in eo quod seducant. Nec enim caecis possunt donare visum, neque surdis auditum, neque omnes daemones effugare, praeter eos qui ab ipsis immittuntur, si tamen et hoc faciunt; neque debiles, aut claudos, aut paralyticos curare, vel alia quadam parte corporis vexatos: quemadmodum saepe evenit fieri secundum corporalem infirmitatem, vel earum, quae a foris accidunt, infirmitatum bonas valetudines restaurare.

Tantum autem absunt ab eo, ut mortuum excitent (quemadmodum Dominus excitavit, et apostoli per orationem; et in fraternitate saepissime propter aliquid necessarium, ea, quae est in quoquo loco, Ecclesia universa postulante per jejunium et supplicationem multam, reversus est spiritus mortui, et donatus est homo orationibus sanctorum:) ut ne quidem credant hoc in totum posse fieri: esse autem resurrectionem a mortuis, agnitionem ejus, quae ab eis dicitur, veritatis.

3. Quando igitur apud eos quidem error, et seductio, et magica phantasia in speculatu hominum impie fiat; in Ecclesia autem miseratio, et misericordia, et firmitas, et veritas ad opitulationem hominum, non solum sine mercede et gratis perficiatur; sed et nobis ipsis quae sunt nostra erogantibus pro salute hominum, et ea quibus hi qui curantur, indigent, saepissime non habentes, a nobis accipiunt: vere et per hanc speciem arguuntur a divina substantia, et benignitate Dei, et virtute spiritali in totum extranei; fraude autem universa, et adinspiratione apostatica, et operatione daemoniaca, et phantasmate idolola-

triae per omnia repleti. Praecursores vero sunt draconis ejus, qui per hujusmodi phantasiam abscedere faciet in cauda tertiam partem stellarum, et dejiciet eas in terram; quos similiter atque illum devitare oportet, et quanto majore phantasmate operari dicuntur, tanto magis observare eos, quasi majorem nequitiae spiritum perceperint. Quam prophetiam si observaverit quis, eorum diurnam conversationis operationem inveniet unam et eamdem esse eis cum daemoniis conversationem.

CAPUT XXXII

Flagitiosa eorum dogmata confutat, qui nullum non operationis genus experiendum esse, actionesque sola opinione humana justas aut injustas, ac animam suam Jesu animae similem, imo interdum meliorem esse impie asserebant.

1. Et haec autem, quae est erga operationes, impia ipsorum sententia, quae dicit: oportere eos in omnibus operibus, etiam quibuslibet malis fieri, ex Domini doctrina dissolvetur; apud quem non solum qui moechatur, expellitur, sed et qui moechari vult; et non solum qui occidit, reus erit occisionis ad damnationem, sed et qui irascitur sine causa fratri suo; qui et non solum non odire homines, sed et inimicos diligere jussit; et non solum non perjurare, sed nec jurare praecepit; et non solum male loqui de proximis, sed ne quidem Racha et fatuum dicere aliquem; si quo minus, reos esse hujusmodi in ignem gehennae; et non tantum non percutere, sed et ipsos percussos etiam alteram praestare maxillam; et non solum

non abnegare quae sunt aliena, sed etiam si sua auferantur, illis non expostulare; et non solum non laedere proximos, neque facere quid eis malum, sed et eos qui male tractantur, magnanimes esse, et benignitatem exercere erga eos, et orare pro eis, uti poenitentiam agentes salvari possint; in nullo imitantes nos reliquorum contumeliam, et libidinem, et superbiam. Quando igitur ille, quem isti magistrum gloriantur, et eum multo meliorem et fortiorem reliquis animam habuisse dicunt, cum magna diligentia quaedam quidem jussit fieri quasi bona et egregia, quibusdam autem abstinere non solum operibus, sed etiam his cogitationibus, quae ad opera ducunt, quasi malis, et nocivis, et nequam; quemadmodum magistrum dicentes talem fortiorem et meliorem reliquis, deinde quae sunt contraria ejus doctrinae manifeste praecipientes, non confundantur? Et si quidem nihil esset mali, aut rursus boni; opinione autem sola humana, quaedam quidem injusta, quaedam autem justa putarentur, non utique dixisset dogmatizans, id est, docens: Justi autem fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum; injustos autem et qui non faciunt opera justitiae, mittet in ignem aeternum, ubi vermis ipsorum non morietur, et ignis non exstinguetur.

2. Adhuc etiam dicentes, oportere eos in omni opere et in omni conversatione fieri, ut, si fieri possit, in una vitae adventatione omnia perficientes, ad perfectum transgrediantur; eorum quidem, quae sunt ad virtutem pertinentia, et laboriosa, et gloriosa, et artificialia, quae etiam ab omnibus bona approbantur, nequaquam in-

veniuntur conati facere. Si enim oportet per omne opus, et per universam ire operationem; primo quidem oportebat omnes se discere artes; quaecunque illae sive in sermonum rationibus, sive in operibus consumantur, sive per continentiam edocentur, et per laborem, et meditationem, et perseverantiam percipiuntur; utputa omnem speciem musicae, et computationis, et geometriae, et astronomiae, et universa quae in sermonum rationibus occupantur: adhuc etiam medicinam universam, et herbarum scientiam, et eas quae ad salutem humanam sunt elaboratae; et picturam, et statuarum fabricationem, et aerariam artem, et marmorariam, et similes his: ab his autem omnem speciem rusticationis, et veterinariae, et pastoralis, et opificum artes, quae dicuntur pertransire universas artes, et eas quae erga mare vacant, et corpori student, et venatorias, et militares, et regales, et quotquot sunt, quarum nec decimam, nec millesimam partem in tota vita sua elaborantes ediscere possunt. Et horum quidem nihil conantur addiscere, qui in omni dicunt semetipsos oportere fieri opere; ad voluptates autem et libidinem, et turpia facta devergentes, a semetipsis judicati cum sint secundum doctrinam suam. Quoniam enim desunt eis quae praedicta sunt omnia, ad correptionem ignis adibunt. Qui quidem Epicuri philosophiam, et Cynicorum indifferentiam aemulantes, Jesum magistrum gloriantur, qui non solum a malis operibus avertit suos discipulos, sed etiam a sermonibus et cogitationibus, quemadmodum ostendimus.

3. Dicentes autem, se ex eadem circumlatione cum Jesu habere animas, et similes ei esse, aliquando autem et meliores; ad opera producti, quae ille ad utilitatem hominum et firmitatem fecit, nihil tale, nec simile, neque secundum aliquid in comparationem quod venire possit, perficere inveniuntur. Sed et si aliquid faciunt, per magicam (quemadmodum diximus) operati, fraudulenter seducere nituntur insensatos: fructum quidem et utilitatem nullam praestantes, in quos virtutes perficere se dicunt; adducentes autem pueros investes, et oculos deludentes, et phantasmata ostendentes statim cessantia, et ne quidem stillicidio temporis perseverantia, non Jesu Domino nostro, sed Simoni Mago similes ostenduntur. Et ex hoc autem quod Dominus surrexit a mortuis in tertia die, [firmum est] et discipulis se manifestavit, et videntibus eis receptus est in coelum; quod ipsi morientes, et non resurgentes, neque manifestati quibusdam, arguuntur in nullo similes habentes Jesu animas.

4. Si autem et Dominum per phantasmata hujusmodi fecisse dicunt, ad prophetica reducentes eos, ex ipsis demonstrabimus, omnia sic de eo et praedicta esse, et facta firmissime, et ipsum solum esse Filium Dei. Quapropter et in illius nomine, qui vere illius sunt discipuli ab ipso accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisque accepit donum ab eo. Alii enim daemones excludunt firmissime et vere, ut etiam saepissime credant ipsi, qui emundati sunt a nequissimis spiritibus; et sint in Ecclesia. Alii autem et praescientiam ha-

bent futurorum, et visiones, et dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliqua infirmitate per manus impositionem curant, et sanos restituunt. Jam etiam, quemadmodum diximus, et mortui resurrexerunt, et perseveraverunt nobiscum annis multis. Et quid autem? Non est numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum Ecclesia a Deo accipiens, in nomine Christi Jesu, crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem gentium perficit, neque seducens aliquem, nec pecuniam ei auferens. Quemadmodum enim gratis accepit a Deo, gratis et ministrat.

5. Nec invocationibus angelicis facit aliquid, nec incantationibus, nec reliqua prava curiositate; sed munde, et pure, et manifeste orationes dirigens ad Dominum, qui omnia fecit, et nomen Domini nostri Jesu Christi invocans, virtutes ad utilitates hominum, sed non ad seductionem perficit. Si itaque et nunc nomen Domini nostri Jesu Christi beneficia praestat, et curat firmissime et vere omnes ubique credentes in eum; sed non Simonis, neque Menandri, neque Carpocratis, nec alterius cujuscunque: manifestum est, quoniam homo factus, conversatus est cum suo plasmate, vere omnia fecit ex virtute Dei, secundum placitum Patris universorum, quomodo prophetae praedixerunt. Quae autem erant haec, in his, quae sunt ex prophetis, ostensionibus narrabuntur.

CAPUT XXXIII

Animas e corporibus in corpora migrare, absurdum dogma multiplici ratione impetitum.

1. De corpore autem in corpus transmigrationem ipsorum subvertamus ex eo, quod nihil omnino eorum, quae ante fuerint, meminerint animae. Si enim ob hoc emittebantur, uti in omni fierent operatione, oportebat eas meminisse eorum quae ante facta sunt, uti ea quae deerant, adimplerent, et non circa eadem semper volutantes continuatim, miserabiliter laborarent; (non enim poterat corporis admistio in totum universam ipsorum, quae ante habita erant, exstinguere memoriam et contemplationem) et maxime ad hoc venientes. Quomodo enim nunc soporati et requiescente corpore, quaecunque anima ipsa apud se videt, et in phantasmate agit, et horum plura reminiscens communicat cum corpore; et est quando et post plurimum temporis, quaecunque per somnium quis vidit, vigilans annuntiat: sic utique reminisceretur et illorum, quae antequam in hoc corpus veniret, egit. Si enim hoc, quod in brevissimo tempore visum est, vel in phantasmate conceptum est, ab ea sola per somnium, postquam commista sit corpori, et in universum membrum dispersa, commemoratur: multo magis illorum reminisceretur, in quibus temporibus tantis et universo praeteritae vitae saeculo immorata est.

2. Ad haec Plato, vetus ille Atheniensis, qui et primus sententiam hanc introduxit, cum excusare non posset, oblivionis induxit poculum, putans se per hoc aporiam hujusmodi effugere; ostensionem quidem nullam faciens, dogmatice autem respondens, quoniam introeuntes animae in hanc vitam, ab eo, qui est super introitum

daemone, priusquam in corpora intrent, potantur oblivione. Et latuit semetipsum in alteram majorem incidens aporiam. Si enim oblivionis poculum potest, posteaquam ebibitum est, omnium factorum oblitterare memoriam; hoc ipsum unde scis, o Plato, cum sit nunc in corpore anima tua, quoniam, priusquam in corpus introeat, a daemone potata est oblivionis medicamentum? Si enim daemonem, et poculum, et introitum reminisceris, et reliqua oportet cognoscas; si autem illa ignoras, neque daemon verus, neque artificiose compositum oblivionis poculum.

3. Adversus autem eos, qui dicunt ipsum corpus esse oblivionis medicamentum, occurret hoc. Quomodo igitur quodcunque per semetipsam anima videt, et in somniis, et secundum cogitationem, mentis intentionem, corpore quiescente, ipsa reminiscitur, et renuntiat proximis? Sed ne quidem ea, quae olim agnita sunt, aut per oculos, aut per auditum, meminisset anima in corpore exsistens, si esset corpus oblivio; sed simul atque ab inspectis abesset oculus, auferretur utique et ea, quae esset de his, memoria. In ipsa enim oblivione exsistens anima nihil aliud cognoscere poterat, nisi solum illud, quod in praesenti videbat. Quomodo autem et divina disceret, et meminisset ipsorum exsistens in corpore, quando sit (ut aiunt) ipsum corpus oblivio? Sed et prophetae ipsi, cum essent in terra, quaecunque spiritaliter secundum visiones coelestium vident, vel audiunt, ipsi quoque meminerunt in hominem conversi, et reliquis annuntiant; et non corpus oblivionem efficit animae eorum, quae

spiritaliter visa sunt, sed anima docet corpus, et participat de spiritali ei facta visione.

4. Non enim est fortius corpus quam anima, quod quidem ab illa spiratur, et vivificatur, et augetur, et articulatur; sed anima possidet et principatur corpori. Tantum autem impeditur a sua velocitate, quantum corpus participat de ejus motione; sed non amittit suam scientiam. Corpus enim organo simile est; anima autem artificis rationem obtinet. Quemadmodum itaque artifex velociter quidem operationem secundum se adinvenit, in organo autem tardius illam perficit, propter rei subjectae immobilitatem, et illius mentis velocitas admista tarditati organi temperatam perficit operationem; sic et anima participans suo corpori, modicum quidem impeditur, admista velocitate ejus in corporis tarditate; non amittit autem in totum suas virtutes; sed quasi vitam participans corpori, ipsa vivere non cessat. Sic et de reliquis ei communicans, neque scientiam ipsorum perdit, neque memoriam inspectorum.

5. Si itaque nullius praeteritorum meminit, sed exsistentium scientiam hic percipit; non igitur in aliis corporibus fuit aliquando, neque egit, quae ne quidem agnoscit; neque novit, quae quidem neque videt. Sed quemadmodum unusquisque nostrum suum corpus per artem Dei sumit, sic et suam habet animam. Neque enim sic pauper, neque indigens Deus, ut non unicuique corpori propriam donaret animam, quemadmodum et proprium characterem. Et ideo adimpleto numero, quem ipse apud se ante definiit, omnes

quicunque sunt scripti in vitam, resurgent, sua corpora et suas habentes animas et suos spiritus, in quibus placuerunt Deo. Qui autem poena sunt digni, abibunt in eam, et ipsi suas habentes animas, et sua corpora, in quibus abstiterunt a Dei bonitate. Et cessabunt utrique jam generare, et generari, et ducere uxorem, et nubere; ut commensurata multitudo ante praefinita a Deo generis humani perfectorum compago sive aptatio conservet Patris.

CAPUT XXXIV

Animas non modo quae in corpore gesserint meminisse, sed et immortales perseverare, tametsi initium habuerint.

1. Plenissime autem Dominus docuit, non solum perseverare, non de corpore in corpus transgredientes animas; sed et characterem corporis, in quo etiam adaptantur, custodire eumdem, et meminisse eas operum, quae egerunt hic, et a quibus cessaverunt, in ea relatione, quae scribitur de divite et de Lazaro eo, qui refrigerabat in sinu Abrahae: in qua ait, divitem cognoscere Lazarum post mortem, et Abraham autem similiter, et manere in suo ordine unumquemque ipsorum, et postulare mitti ei ad opem ferendam Lazarum, cui ne quidem de mensae suae micis communicabat: et de Abrahae responso, qui non tantum ea quae secundum se, sed et quae secundum divitem essent, sciebat; et praecipiebat Moysi assentire et prophetis eos, qui non mallent pervenire in illum locum poenae, et recipientes praeconium ejus, qui resurrexerit a mortuis. Per haec enim

manifeste declaratum est, et perseverare animas, et non de corpore in corpus transire, et habere hominis figuram, ut etiam cognoscantur, et meminerint eorum, quae sint hic; et propheticum quoque adesse Abrahae, et dignam habitationem unamquamque gentem percipere, etiam ante judicium.

2. Si qui autem hoc in loco dicant, non posse animas eas, quae paulo ante esse coeperint, in multum temporis perseverare, sed oportere eas aut innascibiles esse, ut sint immortales; vel si generationis initium acceperint, cum ipso corpore mori; discant, quoniam sine initio et sine fine, vere et semper idem, et eodem modo se habens solus est Deus, qui est omnium Dominus. Quae autem sunt ab illo omnia, quaecunque facta sunt, et fiunt, initium quidem suum accipiunt generationis, et per hoc inferiora sunt ab eo qui ea fecit, quoniam non sunt ingenita; perseverant autem et extenduntur in longitudinem saeculorum, secundum voluntatem factoris Dei; ita ut sic initio fierent, et postea, ut sint, eis donat.

3. Quemadmodum enim coelum, quod est super nos, firmamentum, et sol, et luna, et reliquae stellae, et omnia ornamenta ipsorum, cum ante non essent, facta sunt, et multo tempore perseverant secundum voluntatem Dei: sic et de animabus, et de spiritibus, et omnino de omnibus his, quae facta sunt, cogitans quis, minime peccabit: quando omnia, quae facta sunt, initium quidem facturae suae habeant, perseverant autem quoadusque ea Deus et esse, et perseverare voluerit. Testatur pro his sententiis etiam propheticus

spiritus, dicens: Quoniam ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt. Statuit ea in saeculum, et in saeculum saeculi. Et iterum de salvando homine sic ait: Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum saeculi; tanquam Patre omnium donante et in saeculum saeculi perseverantiam his, qui salvi fiunt. Non enim ex nobis, neque ex nostra natura vita est; sed secundum gratiam Dei datur. Et ideo qui servaverit datum vitae, et gratias egerit ei qui praestitit, accipiet et in saeculum saeculi longitudinem dierum. Qui autem abjecerit eam, et ingratus exstiterit factori, ob hoc quod factus est, et non cognoverit eum qui praestat, ipse se privat in saeculum saeculi perseverantia. Et ideo Dominus dicebat ingratis exsistentibus in eum: Si in modico fideles non fuistis, quod magnum est quis dabit vobis? significans quoniam qui in modica temporali vita ingrati exstiterunt ei, qui eam praestitit, juste non percipient ab eo in saeculum saeculi longitudinem dierum.

4. Sicut autem corpus animale, ipsum quidem non est anima, participatur autem animam, quoadusque Deus vult; sic et anima ipsa quidem non est vita, participatur autem a Deo sibi praestitam vitam. Unde et propheticus sermo de Protoplasto ait: Factus est in animam vivam; docens nos, quoniam secundum participationem vitae vivens facta est anima: ita ut separatim quidem anima intelligatur, separatim autem, quae erga eam est, vita. Deo itaque vitam et perpetuam perseverantiam donante, capit et animas primum non exsistentes dehinc perseverare, cum

eas Deus et esse et subsistere voluerit. Principari enim debet in omnibus, et dominari voluntas Dei; reliqua autem omnia huic cedere, et subdita esse, et in servitium dedita. Et de factura quidem et perseverantia animae hucusque dictum sit.

CAPUT XXXV

Basilidis hypothesim, Gnosticorumque, qui prophetas a diversis diis inspiratos oracula fudisse dicebant, errorem refellit.

1. Basilides autem et ipse super haec quae dicta sunt, cogetur dicere, secundum suam regulam, non solum CCCLXV secundum successionem alios ab aliis factos, sed immensam quamdam et innumerabilem multitudinem coelorum semper factam, et fieri, et futurum ut fiant, et nunquam deficere hujusmodi fabricam coelorum. Si enim ex defluxu prioris secundum factum est coelum ad illius speciem, et ad secundi tertium: et similiter omnes reliqui subsequentes: et de hujus, quod secundum nos est, quod et novissimum vocat necesse est (ex) defluxu aliud factum simile sibi, et ex illo iterum aliud: et nunquam deficere, neque defluxus eorum, qui jam facti sunt, neque facturas coelorum; sed in immensum, et non in praefinitum numerum coelorum incidere.

2. Et reliqui autem, qui falso nomine Gnostici dicuntur, qui prophetas ex diversis diis prophetias fecisse dicunt, facile destruentur ex hoc, quod omnes prophetae unum Deum et Dominum praedicaverint, et ipsum factorem coeli et terrae, et omnium quae in eis sunt, et quod adventum Filii ejus significaverint, secundum quod

ex ipsis demonstrabimus Scripturis in libris consequentibus.

3. Si autem quidam secundum Hebraeam linguam diverse dictiones positas in Scripturis opponant, quale est Sabaoth, et Eloe, et Adonai, et alia quaecunque sunt talia, ex his ostendere elaborantes diversas Virtutes atque deos; discant quoniam unius et ipsius significationes, et nuncupationes sunt omnia hujusmodi. Quod enim dicitur Eloe, secundum Judaicam vocem, Deum significat, et Eloe Verum, et Elloeuth, secundum Hebraicam linguam, Hoc quod continet omnia, significat. Quod autem ait Adonai, aliquando quidem nominabile, et admirabile significat, aliquando autem duplicata littera delta, cum aspiratione, utputa Addhonai, Praefinientem et separantem terram ab aqua, ne possit aqua insurgere in eam. Similiter autem et Sabaoth per ω quidem Graecam in syllaba novissima scribitur, Voluntarium significat: per o autem Graecam, utputa Sabaoth, primum coelum manifestat. Eodem modo et Jaωth, extensa cum aspiratione novissima syllaba, mensuram praefinitam manifestat; cum autem per o Graecam corripitur, utputa Jaoth, eum qui dat fugam malorum significat. Et caetera omnia unius ejusdemque nuncupationis sunt: sicut secundum Latinitatem Dominus virtutum, et Pater omnium, et Deus omnipotens, et Altissimus, et Dominus coelorum, et Creator, et Fabricator, et similia his, non alterius atque alterius haec sunt, sed unius ejusdemque nuncupationes, et pronomina, per quae unus Deus et

Pater ostenditur, qui continet omnia, et omnibus ut sint praestans.

4. Quoniam autem dictis nostris consonat praedicatio apostolorum, et Domini magisterium, et prophetarum annuntiatio, et apostolorum dictatio, et legislationis ministratio, unum eumdemque omnium Deum Patrem laudantium; et non alium atque alium, neque ex diversis diis aut virtutibus substantiam habentem: sed ex uno et eodem Patre omnia, (qui tamen aptat secundum subjacentium naturas, et dispositionem) et neque ab Angelis, neque ab alia quadam Virtute, sed a solo Deo Patre, visibilia atque invisibilia, et omnia omnino quaecunque facta sunt: arbitror quidem sufficienter ostensum et per haec, tanta, uno ostenso Deo Patre factore omnium. Sed ne putemur fugere illam, quae ex Scripturis Dominicis est probationem, ipsis Scripturis multo manifestius et clarius hoc ipsum praedicantibus, his tamen qui non prave intendunt eis proprium librum, qui sequitur has Scripturas, reddentes, ex Scripturis divinis probationes apponemus in medio omnibus amantibus veritatem.

Liber tertius

Praefatio

Tu quidem, dilectissime, praeceperas nobis, ut eas, quae a Valentino sunt, sententias absconditas, ut ipsi putant, in manifestum proderem; et ostenderem varietatem ipsorum, et sermonem destruentem eos inferrem. Aggressi sumus autem nos, arguentes eos a Simone, patre omnium haereticorum, et doctrinas et successiones manifestare et omnibus eis contradicere: propter quod cum sit unius operis traductio eorum, et destructio in multis, misimus tibi libros, ex quibus primus quidem omnium illorum sententias continet, et consuetudines, et characteres ostendit conversationis eorum. In secundo vero destructa et eversa sunt quae ab ipsis male docentur, et nudata et ostensa sunt talia qualia et sunt. In hoc autem tertio ex Scripturis inferemus ostensiones, ut nihil tibi ex his, quae praeceperas, desit a nobis; sed et, praeterquam opinabaris, ad arguendum et evertendum eos, qui quolibet modo male docent, occasiones a nobis accipias. Quae enim est in Deo charitas, dives et sine invidia exsistens, plura donat quam postulet quis ab ea. Memento igitur eorum quae diximus in prioribus duobus libris; et haec illis adjungens, plenissimam habebis a nobis adversus omnes haereticos

contradictionem, et fiducialiter ac instantissime resistes eis pro sola vera ac vivifica fide, quam ab apostolis Ecclesia percepit, et distribuit filiis suis. Etenim Dominus omnium dedit apostolis suis potestatem Evangelii, per quos et veritatem, hoc est, Dei Filii doctrinam, cognovimus; quibus et dixit Dominus: « Qui vos audit, me audit; et qui vos contemnit, me contemnit, et eum qui me misit. »

CAPUT PRIMUM

Apostolos non prius Evangelium praedicasse, scriptisque mandasse, quam Spiritus sancti donis ac virtutibus instructi essent. Ab illis unum Deum, coeli et terrae conditorem annuntiatum fuisse.

1. Non enim per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos: quod quidem tunc praeconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostrae futurum. Nec enim fas est dicere quoniam ante praedicaverunt, quam perfectam haberent agnitionem; sicut quidam audent dicere, gloriantes, emendatores se esse apostolorum. Postea enim quam surrexit Dominus noster a mortuis, et induti sunt supervenientis Spiritus sancti virtutem ex alto, de omnibus adimpleti sunt, et habuerunt perfectam agnitionem; exierunt in fines terrae, ea quae a Deo nobis bona sunt evangelizantes, et coelestem pacem hominibus annuntiantes, qui quidem et omnes pariter et singuli eorum habentes Evangelium

Dei. Ita Matthaeus in Hebraeis ipsorum lingua Scripturam edidit Evangelii, cum Petrus et Paulus Romae evangelizarent, et fundarent Ecclesiam. Post vero horum excessum, Marcus discipulus et interpres Petri, et ipse quae a Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit. Et Lucas autem sectator Pauli, quod ab illo praedicabatur Evangelium in libro condidit. Postea et Joannes discipulus Domini, qui et supra pectus ejus recumbebat, et ipse edidit Evangelium, Ephesi Asiae commorans.

2. Et omnes isti unum Deum factorem coeli et terrae, a lege et prophetis annuntiatum, et unum Christum Filium Dei tradiderunt nobis: quibus si quis non assentit, spernit quidem participes Domini, spernit autem et ipsum Christum Dominum, spernit vero et Patrem, et est a semetipso damnatus, resistens et repugnans saluti suae: quod faciunt omnes haeretici.

CAPUT II

Quod neque Scripturis, neque Traditionibus obsequantur haeretici.

1. Cum enim ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, et quia varie sint dictae, et quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant Traditionem. Non enim per litteras traditam illam, sed per vivam vocem: ob quam causam et Paulum dixisse: « Sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam autem non mundi hujus. » Et hanc sapientiam unusquisque eorum esse dicit,

quam a semetipso adinvenerit, fictionem videlicet, ut digne secundum eos sit veritas, aliquando quidem in Valentino, aliquando autem in Marcione, aliquando in Cerintho: postea deinde in Basilide fuit, aut et in illo qui contra disputat, qui nihil salutare loqui potuit. Unusquisque enim ipsorum omnimodo perversus, semetipsum, regulam veritatis depravans, praedicare non confunditur.

2. Cum autem ad eam iterum Traditionem, quae est ab apostolis, quae per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos; adversantur Traditioni, dicentes se non solum presbyteris, sed etiam apostolis exsistentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem. Apostolos enim admiscuisse ea quae sunt legalia Salvatoris verbis: et non solum apostolos, sed etiam ipsum Dominum, modo quidem a Demiurgo, modo autem a medietate, interdum autem a summitate fecisse sermones: et se vero indubitate, et intaminate, et sincere absconditum scire mysterium: quod quidem impudentissime est blasphemare suum factorem. Evenit itaque, neque Scripturis jam, neque Traditioni consentire eos.

3. Adversus tales certamen nobis est, o dilectissime, more serpentum lubricos undique effugere conantes. Quapropter undique resistendum est illis, si quos ex his retusione confundentes, ad conversionem veritatis adducere possimus. Etenim si non facile est ab errore apprehensam resipiscere animam, sed non omnimodo impossibile est errorem effugere, apposita veritate.

CAPUT III

Traditione apostolorum, continua episcoporum ab iis institutorum successione in Ecclesiis servata, haereticos invicte confutat.

1. Traditionem itaque apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre: et habemus annumerare eos qui ab apostolis instituti sunt episcopi, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent apostoli, quae seorsim et latenter a reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes: quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas.

2. Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae, et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab apostolis Traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per caecitatem et malam sententiam, praeterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est

omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quae est ab apostolis Traditio.

3. Fundantes igitur et instruentes beati apostoli Ecclesiam, Lino episcopatum administrandae Ecclesiae tradiderunt. Hujus Lini Paulus in his quae sunt ad Timotheum epistolis meminit. Succedit autem ei Anacletus: post eum tertio loco ab apostolis episcopatum sortitur Clemens, qui et vidit ipsos apostolos, et contulit cum eis, et cum adhuc insonantem praedicationem apostolorum et traditionem ante oculos haberet, non solus, adhuc enim multi supererant tunc ab apostolis docti. Sub hoc igitur Clemente, dissensione non modica inter eos qui Corinthi essent, fratres facta, scripsit quae est Romae Ecclesia potentissimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans, et reparans fidem eorum, et annuntians quam in recenti ab apostolis acceperat traditionem, annuntiantem unum Deum omnipotentem, factorem coeli et terrae, plasmatorem hominis, qui induxerit cataclysmum, et advocaverit Abraham, qui eduxerit populum de terra Aegypti, qui collocutus sit Moysi, qui legem disposuerit, et prophetas miserit, qui ignem praeparaverit diabolo et angelis ejus. Hunc Patrem Domini nostri Jesu Christi ab Ecclesiis annuntiari, ex ipsa Scriptura, qui velint discere possunt, et apostolicam Ecclesiae traditionem intelligere; cum sit vetustior epistola his qui nunc falso docent, et alterum Deum super Demiurgum et factorem horum omnium, quae sunt, commentiuntur. Huic autem

Clementi succedit Evaristus, et Evaristo Alexander, ac deinceps sextus ab apostolis constitutus est Sixtus, et ab hoc Telesphorus, qui etiam gloriosissime martyrium fecit: ac deinceps Hyginus, post Pius, post quem Anicetus. Cum autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco episcopatum ab apostolis habet Eleutherius. Hac ordinatione et successione, ea quae est ab apostolis in Ecclesia traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse, quae in Ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata, et tradita in veritate.

4. Et Polycarpus autem non solum ab apostolis edoctus, et conversatus cum multis ex eis qui Dominum nostrum viderunt; sed etiam ab apostolis in Asia, in ea quae est Smyrnis Ecclesia constitutus episcopus, quem et nos vidimus in prima nostra aetate (multum enim perseveravit, et valde senex gloriosissime et nobilissime martyrium faciens exivit de hac vita), haec docuit semper quae ab apostolis didicerat, quae et Ecclesiae tradidit, et sola sunt vera. Testimonium his perhibent quae sunt in Asia Ecclesiae omnes, et qui usque adhuc successerunt Polycarpo: qui vir multo majoris auctoritatis, et fidelior veritatis est testis, quam Valentinus et Marcion, et reliqui, qui sunt perversae sententiae. Is enim est, qui sub Aniceto cum advenisset in urbem, multos ex his quos praediximus, haereticos convertit in Ecclesiam Dei, unam et solam hanc veritatem annuntians ab apostolis percepisse se, quam et Ecclesiae tradidit. Et sunt qui audierunt eum

dicentem, quoniam Joannes Domini discipulus in Epheso iens lavari, cum vidisset intus Cerinthum, exsilierit de balneo non lotus; dicens, quod timeat ne balneum concidat, cum intus esset Cerinthus inimicus veritatis. Et ipse autem Polycarpus Marcioni aliquando occurrenti sibi, et dicenti: « Cognoscis nos? » respondit: « Cognosco te primogenitum Satanae. » Tantum apostoli et horum discipuli habuerunt timorem, ut ne verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem, quemadmodum et Paulus ait: « Haereticum autem hominem post unam correptionem devita, sciens quoniam perversus est qui est talis, et est a semetipso damnatus. » Est autem et epistola Polycarpi ad Philippenses scripta perfectissima, ex qua et characterem fidei ejus, et praedicationem veritatis, qui volunt et curam habent suae salutis, possunt discere. Sed et quae est Ephesi Ecclesia a Paulo quidem fundata, Joanne autem permanente apud eos usque ad Trajani tempora, testis est verus apostolorum traditionis.

CAPUT IV

A sola Ecclesia catholica, traditionis et doctrinae apostolicae custode, petendam esse veritatem. Haereses novas esse, nec originem apostolis acceptam referre posse.

1. Tantae igitur ostensiones cum sint, non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia quae sint veritatis: uti omnis

quicunque velit, sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus; omnes autem reliqui fures sunt et latrones. Propter quod oportet devitare quidem illos; quae autem sunt Ecclesiae, cum summa diligentia diligere, et apprehendere veritatis traditionem. Quid enim? Et si de aliqua modica quaestione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione sumere quod certum et re liquidum est? Quid autem si neque apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias?

2. Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes; in unum Deum credentes fabricatorem coeli et terrae, et omnium quae in eis sunt, per Christum Jesum Dei Filium. Qui propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionem, eam quae esset ex Virgine generationem sustinuit, ipse per se hominem adunans Deo, et passus sub Pontio Pilato, et resurgens, et in claritate receptus, in gloria venturus Salvator eorum qui salvantur, et judex eorum qui judicantur, et mittens in ignem aeternum transfiguratores veritatis, et contemptores Patris sui, et adventus ejus. Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt: quantum autem ad sententiam, et consuetudinem, et conversationem, propter fidem per

quam sapientissimi sunt, et placent Deo, conversantes in omni justitia, et castitate, et sapientia. Quibus si aliquis annuntiaverit ea, quae ab haereticis adinventa sunt, proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures, longo longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem apostolorum traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt, quodcunque eorum portentiloquium est: nequedum enim congregatio fuit apud eos, neque doctrina instituta.

3. Ante Valentinum enim non fuerunt, qui sunt a Valentino; neque ante Marcionem erant, qui sunt a Marcione; neque omnino erant reliqui sensus maligni, quos supra enumeravimus, antequam initiatores et inventores perversitatis eorum fierent. Valentinus enim venit Romam sub Hygino; increvit vero sub Pio, et prorogavit tempus usque ad Anicetum. Cerdon autem qui ante Marcionem, et hic sub Hygino, qui fuit octavus episcopus, saepe in Ecclesiam veniens, et exhomologesin faciens, sic consummavit, modo quidem latenter docens, modo vero exomologesim faciens, modo vero ab aliquibus traductus in his quae docebat male, et abstentus est a religiosorum hominum conventu.

Marcion autem illi succedens invaluit sub Aniceto, decimum locum episcopatus continente. Reliqui vero, qui vocantur Gnostici, a Menandro Simonis discipulo, quemadmodum ostendimus, accipientes initia, unusquisque eorum, cujus participatus est sententiae, ejus et pater, et antistes apparuit. Omnes autem hi multo posterius,

mediantibus jam Ecclesiae temporibus, insurrexerunt in suam apostasiam.

CAPUT V

Christum et apostolos sine ullo mendacio, fuco et hypocrisi, nec doctrinam suam ad auditorum opinionem componentes, unum Deum Patrem omnium conditorem annuntiasse.

1. Traditione igitur, quae est ab apostolis, sic se habente in Ecclesia, et permanente apud nos, revertamur ad eam, quae est ex Scripturis ostensionem eorum, qui Evangelium conscripserunt, apostolorum, ex quibus conscripserunt de Deo sententiam, ostendentes quoniam Dominus noster Jesus Christus veritas est, et mendacium in eo non est. Quemadmodum et David eam, quae est ex Virgine, generationem ejus, et eam, quae est ex mortuis, resurrectionem prophetans, ait: « Veritas de terra orta est. » Et apostoli autem discipuli veritatis exsistentes, extra omne mendacium sunt; non enim communicat mendacium veritati, sicut non communicant tenebrae luci; sed praesentia alterius excludit alterum. Veritas ergo Dominus noster exsistens, non mentiebatur: et quem sciebat labis esse fructum, non utique Deum confiteretur, et Deum omnium, et summum Regem et Patrem suum, perfectus imperfectum, spiritalis animalem, is qui in Pleromate esset, eum qui extra Pleroma. Neque discipuli ejus alium quemdam Deum nominarent, aut Dominum vocarent, praeter eum, qui vere esset Deus et Dominus omnium: quemadmodum dicunt hi, qui sunt vanissimi sophistae, quo-

niam apostoli cum hypocrisi fecerunt doctrinam secundum audientium capacitatem, et responsiones secundum interrogantium suspiciones, caecis caeca confabulantes secundum caecitatem ipsorum, languentibus autem secundum languorem ipsorum, et errantibus secundum errorem eorum, et putantibus Demiurgum solum esse Deum, hunc annuntiasse; his vero qui innominabilem Patrem capiunt, per parabolas et aenigmata inenarrabile fecisse mysterium: uti non quemadmodum habet ipsa veritas, sed in hypocrisi, et quemadmodum capiebat unusquisque, et apostolos edidisse magisterium.

2. Hoc autem non est sanantium, nec vivificantium; sed magis gravantium et augentium ignorantiam ipsorum: et multo verior his lex invenietur maledictum dicens omnem, qui in errorem mittat caecum in via. Qui enim ad inventionem missi erant errantium apostoli, et ad visionem eorum qui non videbant, et ad medicinam languentium, utique non secundum praesentem opinionem colloquebantur eis, sed secundum veritatis manifestationem. Nec enim quilibet homines recte facient, si caecos jamjamque per praecipitium ferri incipientes adhortentur insistere illi periculosissimae viae, quasi vere rectae, et quasi bene perventuri sint. Quis autem medicus volens curare aegrotum, faciat secundum concupiscentias aegrotantium, et non secundum quod aptum est medicinae? Quoniam autem Dominus medicus venit eorum qui male habent, ipse testificatur, dicens: « Non est opus sanis medicus, sed male habentibus. Non veni vocare justos, sed

peccatores ad poenitentiam. » Quomodo ergo qui male habent confirmabuntur? et quomodo peccatores poenitentiam agent? Utrum perseverantes in eisdem ipsis; an econtrario, magnam commutationem et transgressionem prioris conversationis accipientes, per quam et aegritudinem non modicam, et multa peccata sibimetipsis importaverunt? Ignorantia autem mater horum omnium per agnitionem evacuatur. Agnitionem ergo faciebat Dominus suis discipulis, per quam et curabat laborantes, et peccatores a peccando coercebat. Non igitur jam secundum pristinam opinionem loquebatur eis, neque secundum suspicionem interrogantium respondebat eis; sed secundum doctrinam salutarem, et sine hypocrisi, et sine personae acceptione.

3. Quod etiam ex Domini sermonibus ostenditur: qui quidem his, qui erant ex circumcisione, ostendebat Filium Dei, eum qui per prophetas praedicatus fuerat, Christum; hoc est, semetipsum manifestabat, qui libertatem hominibus restauraverit et attribuerit incorruptelae haereditatem. Gentes autem iterum docebant apostoli, ut relinquerent vana ligna et lapides, quae suspicabantur esse deos, et verum colerent Deum, qui constituisset et fecisset omne humanum genus, et per conditionem suam aleret et augeret, et constabiliret, et eis esse praestaret; et ut exspectarent Filium ejus Jesum Christum, qui redemit nos de apostasia sanguine suo, ad hoc ut essemus et nos populus sanctificatus, de coelis descensurum in virtute Patris, qui et judicium omnium facturus est, et ea quae a Deo sunt bona donaturus his,

qui servaverint praecepta ejus. Hic in novissimis temporibus apparens, lapis summus angularis, in unum collegit, et univit eos qui longe, et eos qui prope, hoc est, circumcisionem et praeputium, dilatans Japhet, et constituens eum in domo Sem.

CAPUT VI

Neque Spiritum sanctum in scripturis Veteris Testamenti alium Deum ac Dominum nominasse, nisi qui vere Deus est, Patrem scilicet et Filium ejus.

1. Neque igitur Dominus, neque Spiritus sanctus, neque apostoli eum, qui non esset Deus, definitive et absolute Deum nominassent aliquando, nisi esset vere Deus; neque Dominum appellassent aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium, Deum Patrem, et Filium ejus, qui dominium accepit a Patre suo omnis conditionis, quemadmodum habet illud: « Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos suppedaneum pedum tuorum. » Patrem enim Filio collocutum ostendit: qui dedit ei haereditatem gentium, et subjecit ei omnes inimicos. Vere igitur cum Pater sit Dominus, et Filius vere sit Dominus, merito Spiritus sanctus Domini appellatione signavit eos. Et iterum in eversione Sodomitarum Scriptura ait: « Et pluit Dominus super Sodomam et Gomorrham ignem et sulphur a Domino de coelo. » Filium enim hic significat, qui et Abrahae collocutus sit, a Patre accepisse potestatem ad judicandum Sodomitas, propter iniquitatem eorum. Similiter habet illud: « Sedes tua, Deus, in aeternum; virga

directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus. » Utrosque enim Dei appellatione signavit Spiritus, et eum qui ungitur, Filium, et eum qui ungit, id est Patrem. Et iterum: « Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit. » De Patre, et Filio, et de his qui adoptionem perceperunt, dicit: hi autem sunt Ecclesia. Haec enim est synagoga Dei, quam Deus, hoc est Filius ipse per semetipsum collegit. De quo iterum dicit: « Deus deorum, Dominus locutus est, et vocavit terram. » Quis Deus? de quo dixit: « Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit; » hoc est Filius, qui secundum manifestationem hominibus advenit, qui dicit: « Palam apparui his, qui me non quaerunt. » Quorum autem deorum? quibus dicit; « Ego dixi: Dii estis, et filii Altissimi omnes: » his scilicet, qui adoptionis gratiam adepti sunt, per quam « clamamus: Abba, Pater. »

2. Nemo igitur alius, quemadmodum praedixi, Deus nominatur, aut Dominus appellatur, nisi qui est omnium Deus et Dominus, qui et Moysi dixit: « Ego sum, qui sum. Et sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos; » et hujus Filius Jesus Christus Dominus noster, qui filios Dei facit credentes in nomen suum. Et iterum, loquente Filio ad Moysen: « Descendi, inquit, eripere populum hunc. » Ipse est enim qui descendit, et ascendit propter salutem hominum. Per Filium itaque, qui est in Patre, et habet in se Patrem, is qui est, manifestatus est Deus; Patre testimonium perhibente Filio, et Filio annuntiante Patrem. Quemadmodum et Isaias ait: « Et ego, inquit, testis, dicit

Dominus Deus, et puer quem elegi, uti cognoscatis, et credatis, et intelligatis, quoniam ego sum. »

3. Cum autem eos, qui non sunt dii, nominat, non in totum, quemadmodum praedixi, Scriptura ostendit illos deos; sed cum aliquo additamento et significatione, per quam ostenduntur non esse dii. Quemadmodum apud David: « Dii gentium, idola daemoniorum. » Et, « deos alienos non sectabimini. » Ex eo enim quod dicit, « dii gentium » (gentes autem verum Deum nesciunt), et « alienos deos » nominans eos, abstulit quod sint dii. A sua autem persona quod est, dicit de ipsis: Sunt enim « idola, » inquit, « daemoniorum. » Et Isaias: « Confundantur omnes qui blasphemant Deum, et sculpunt inutilia; et ego testis, dicit Dominus » Abstulit quod sint dii; solo autem utitur nomine, ad hoc ut sciamus de quo dicit. Hoc autem ipsum et Jeremias: « Dii, inquit, qui non fecerunt coelum et terram, pereant de terra, quae est sub coelo. » Ex eo enim quod perditionem eorum adjecit, ostendit non esse eos deos. Et Elias autem convocato universo Israel in Carmelum montem, volens eos ab idololatria avertere, ait eis: « Quousque claudicabitis vos in ambabus suffraginibus? Si unus est Dominus Deus, venite post eum. » Et iterum super holocaustum sic ait idolorum sacerdotibus: « Vos invocabitis in nomine deorum vestrorum, et ego invocabo in nomine Domini Dei mei; et Deus qui exaudiet hodie, ipse est Deus. » In eo enim quod haec dicebat propheta, qui quidem apud ipsos putabantur dii, arguit deos non esse. Convertit autem eos ad eum Deum, qui et credebatur ab eo,

et qui vere erat Deus, quem et invocans clamabat: « Domine, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, exaudi me hodie: et intelligat omnis populus hic, quoniam tu es Deus Israel. »

4. Et ego igitur invoco te, Domine, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, et Israel, qui es Pater Domini nostri Jesu Christi, Deus qui per multitudinem misericordiae tuae bene sensisti in nobis, ut te cognoscamus; qui fecisti coelum et terram, qui dominaris omnium, qui es solus et verus Deus, super quem alius Deus non est: per Dominum nostrum Jesum Christum dominationem quoque dona Spiritus sancti: da omni legenti hanc scripturam agnoscere te, quia solus Deus es, et confirmari in te, et absistere ab omni haeretica, et quae est sine Deo, et impia sententia.

5. Et apostolus autem Paulus, dicens: « Si enim his qui non erant dii servistis, nunc cognoscentes Deum, imo cogniti a Deo; » separavit eos qui non erant, ab eo qui est Deus. Et iterum de Antichristo dicens: « Qui adversatur et extollit se, inquit, super omne quod dicitur Deus, vel quod colitur; » eos qui ab ignorantibus Deum dii dicuntur, significat, id est idola. Etenim Pater omnium Deus dicitur, et est: et non super hunc extolletur Antichristus; sed super eos qui dicuntur quidem, non sunt autem dii. Quoniam autem hoc verum est, ipse Paulus ait: « Scimus autem, quoniam nihil est idolum, et quoniam nemo Deus, nisi unus. Etenim si sunt qui dicuntur dii, sive in coelo, sive in terra; nobis unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. » Distinxit enim,

et separavit eos qui dicuntur quidem, non sunt autem dii, ab uno Deo Patre, ex quo omnia; et unum Dominum Jesum Christum ex sua persona firmissime confessus est. Quod autem, « sive in coelo, sive in terra, » non quemadmodum exponunt hi, dicere eum mundi fabricatores; sed simile est ei quod a Moyse dictum est: « Non facies tibi omnem similitudinem in Deum, quaecunque in coelo sursum, et quaecunque in terra deorsum, et quaecunque in aquis sub terra. » Quae autem in coelo sunt, quae sint, ipse exponit: « Nequando, inquit, respiciens in coelum, et videns solem, et lunam, et stellas, et omne ornamentum coeli, errans adores ea, et servias eis. » Et ipse autem Moyses homo Dei exsistens, Deus quidem datus est ante Pharaonem: non autem vere Dominus appellatur, nec Deus vocatur a prophetis, sed « fidelis Moyses famulus et servus Dei, » dicitur a Spiritu; quod et erat.

CAPUT VII

Solvit objectionem petitam e Pauli verbis II Cor. iv, 5, probatque Apostolum hyperbatis frequenter uti.

1. Quod autem dicunt, aperte Paulum in secunda ad Corinthios dixisse: « In quibus Deus saeculi hujus excaecavit mentes infidelium; » et alterum quidem Deum esse saeculi hujus dicunt, alterum vero, qui sit super omnem principatum, et initium, et potestatem: non sumus nos in causa, si hi, qui quae super Deum sunt mysteria scire se dicunt, ne quidem legere Paulum sciunt. Si enim quis secundum Pauli consuetudinem,

quemadmodum ex multis et alibi ostendimus, hyperbatis eum utentem, sic legerit: « in quibus Deus; » deinde subdistinguens, et modicum diastematis faciens, simul et in unum reliqua legerit, « saeculi hujus excaecavit mentes infidelium, » inveniet verum, ut sit quod dicitur: « Deus excaecavit mentes infidelium hujus saeculi. » Et hoc per subdistinctionem ostenditur. Non enim Deum hujus saeculi dicit Paulus, quasi super illum alterum aliquem sciens; sed Deum quidem Deum confessus est; infideles autem saeculi hujus dicit, quoniam venturum incorruptelae non haereditabunt saeculum. Quemadmodum autem Deus excaecavit mentes infidelium, ex ipso Paulo ostendemus, proficiente nobis sermone, ut non nunc in multum avocemus mentem nostram a proposito.

2. Quoniam autem hyperbatis frequenter utitur Apostolus, propter velocitatem sermonum suorum, et propter impetum qui in ipso est Spiritus, ex multis quidem aliis est invenire. Sed et in ea quae est ad Galatas, sic ait: « Quid ergo lex factorum? Posita est, usquequo veniat semen, cui promissum est, disposita per angelos in manu Mediatoris. » Ordinatio enim sic est: « Quid ergo lex factorum? Disposita per angelos in manu Mediatoris posita est, usquedum veniat semen, cui promissum est: » ut sit homo interrogans, et Spiritus respondens. Et iterum in secunda ad Thessalonicenses, de Antichristo dicens, ait: « Et tunc revelabitur iniquus, quem Dominus Jesus Christus interficiet spiritu oris sui, et destruet praesentia adventus sui illum, cujus est adventus

secundum operationem Satanae, in omni virtute et signis, et portentis mendacii. » Etenim in his ordinatio dictorum sic est: « Et tunc revelabitur iniquus, cujus est adventus secundum operationem Satanae, in omni virtute, et signis, et portentis mendacii, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet praesentia adventus sui. » Non enim adventum Domini dicit secundum operationem Satanae fieri, sed adventum iniqui, quem et Antichristum dicimus. Si ergo non attendat aliquis lectioni, et intervalla aspirationis manifestet in quo dicitur; erunt non tantum incongruentia, sed et blasphema, legens quasi Domini adventus secundum operationem fiat Satanae. Sicut ergo in talibus oportet per lectionem hyperbaton ostendi, et consequentem Apostoli servari sensum; sic et ibi non Deum saeculi hujus legimus, sed Deum, quem vere Deum dicimus: incredulos autem et excaecatos saeculi hujus audiemus, quoniam venturum vitae non haereditabunt saeculum.

CAPUT VIII

Solvit alteram objectionem e Christi verbis Matth. vi. 24, et ostendit solum Deum, cum initio et fine careat, Deum ac Dominum vere dici posse; caetera omnia, cum per Verbum ejus facta sint, Dei ac Domini nomen sortiri non posse.

1. Soluta igitur et hac illorum calumnia, manifeste ostensum est, quoniam nunquam neque prophetae, neque apostoli alium Deum nominaverunt, vel Dominum appellaverunt, praeter verum et solum Deum. Multo magis ipse Domi-

nus, qui et « Caesari » quidem « quae Caesaris sunt reddi » jubet, « et quae Dei sunt Deo; » Caesarem quidem Caesarem nominans, Deum vero Deum confitens. Similiter et illud quod ait: « Non potestis duobus dominis servire; » ipse interpretatur, dicens: « Non potestis Deo servire, et Mammonae, » Deum quidem confitens Deum, Mammonam autem nominans hoc quod et est. Non Mammonam dominum vocat, dicens: « Non potestis duobus dominis servire; » sed discipulos docet servientes Deo, non subjici Mammonae, neque dominari ab eo. « Qui » enim, inquit, « facit peccatum, servus est peccati. » Quemadmodum igitur servientes peccato, servos peccati vocat, non tamen ipsum peccatum Deum appellat: sic et eos qui Mammonae serviunt, servos Mammonae appellat, non Deum appellans Mammonam. Mammonas autem est, secundum Judaicam loquelam, qua et Samaritae utuntur, « cupidus, et plus quam oportet habere volens, » (secundum autem Hebraicam, adjunctive dicitur « Mam ») vel significat « gulosum, » id est, qui non possit a gula continere; Secundum utraque igitur, quae significantur, non possumus Deo servire, et Mammonae.

2. Sed et diabolum cum dixisset fortem, non in totum, sed velut in comparatione nostra; semetipsum in omnia et vere fortem ostendit Dominus, dicens: « Non aliter aliquem posse diripere vasa fortis, si non prius ipsum alliget fortem; et tunc domum ejus diripiet. » (Vasa autem ejus et domus nos eramus, cum essemus in apostasia; utebatur enim nobis quemadmo-

dum volebat; et spiritus immundus habitabat in nobis.) Non enim adversus eum qui se alligabat, et domum ejus diripiebat, fortis erat; sed adversus eos, qui in usu ejus erant, homines; quoniam abscedere fecerat sententiam eorum a Deo. Quos eripuit Dominus, quemadmodum et Jeremias ait: « Redemit Dominus Jacob, et eripuit eum de manu fortioris ejus. » Si igitur non significasset eum qui alligat et diripit ejus vasa, hoc autem solum eum fortem dixisset, esset fortis invictus. Sed et adjecit obtinentem; tenet enim qui alligat, tenetur autem qui alligatus est. Et hoc sine comparatione fecit, ut non comparetur Domino servus apostata exsistens: non enim tantum hic, sed nec quidquam ex his quae constituta sunt, et in subjectione sunt, comparabitur Verbo Dei, per quem facta sunt omnia, qui est Dominus noster Jesus Christus.

3. Quoniam enim sive Angeli, sive Archangeli, sive Throni, sive Dominationes, ab eo qui super omnes est Deus, et constituta sunt, et facta per Verbum ejus, Joannes quidem sic significavit. Cum enim dixisset de Verbo Dei, quoniam erat in Patre, adjecit: « Omnia per eum facta sunt, et sine eo factum est nihil. » David quoque cum laudationes enumerasset, nominatim universa quaecunque diximus, et coelos, et omnes virtutes eorum adjecit: « Quoniam ipse praecepit, et creata sunt: ipse dixit, et facta sunt. » Cui ergo praecepit? Verbo scilicet: per quod, inquit, « Coeli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. » Quoniam autem ipse omnia fecit libere, et quemadmodum voluit, ait iterum David: « Deus

autem noster in coelis sursum, et in terra, omnia quaecunque voluit, fecit. » Altera autem sunt, quae constituta sunt, ab eo qui constituit, et quae facta sunt, ab eo qui fecit. Ipse enim infectus, et sine initio, et sine fine, et nullius indigens, ipse sibi sufficiens, et adhuc reliquis omnibus, ut sint, hoc ipsum praestans: quae vero ab eo sunt facta, initium sumpserunt. Quaecunque autem initium sumpserunt, et dissolutionem possunt percipere, et subjecta sunt, et indigent ejus qui se fecit; necesse est omnimodo, uti differens vocabulum habeant apud eos etiam, qui vel modicum sensum in discernendo talia habent: ita ut is quidem, qui omnia fecerit, cum Verbo suo juste dicatur Deus et Dominus solus; quae autem facta sunt, non jam ejusdem vocabuli participabilia esse, neque juste id vocabulum sumere debere, quod est Creatoris.

CAPUT IX

Unum et eumdem Deum coeli et terrae conditorem, qui a prophetis praedicatus est, et ab evangelistis annuntiatum esse. Id primum ex Matthaei Evangelio probatur.

1. Ostenso hoc igitur plane (et adhuc ostendetur manifestius) neminem alterum Dominum vel Deum, neque prophetas, neque apostolos, neque Dominum Christum confessum esse ex sua persona, sed praecipue Deum et Dominum: prophetis quidem et apostolis Patrem et Filium confitentibus; alterum autem neminem, neque Deum nominantibus, neque Dominum confitentibus: et ipso Domino Patrem tantum Deum et

Dominum eum, qui solus est Deus et dominator omnium, tradente discipulis; sequi nos oportet, si quidem illorum sumus discipuli, testimonia illorum ita se habentia. Matthaeus enim apostolus, unum et eumdem sciens Deum, qui promissionem fecerit Abrahae, facturum se semen ejus quasi stellas coeli, qui per Filium suum Christum Jesum a lapidum cultura in suam nos agnitionem vocaverit, uti fieret « qui non populus, populus; et non dilecta, dilecta; » ait Joannem praeparantem Christo viam, his qui in carnali quidem cognatione gloriabantur, varium autem et omni malitia completum sensum habebant, eam poenitentiam, quae a malitia revocaret, annuntiantem dixisse: « Progenies viperarum, quis vobis monstravit fugere ab ira ventura? Facite ergo fructum dignum poenitentiae. Et nolite dicere in vobis ipsis: Patrem habemus Abraham; dico enim vobis, quoniam potens est Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahae. » Poenitentiam igitur eis eam, quae esset a malitia, praeconabat; sed non alterum Deum annuntiabat, praeter eum qui fecisset promissionem Abrahae, ille praecursor Christi; de quo iterum ait Matthaeus, similiter autem et Lucas: « Hic enim est qui dictus est a Domino per prophetam: Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt tortuosa in directa, et aspera in vias planas: et videbit omnis caro salutare Dei. » Unus igitur et idem Deus est, Pater Domini nostri, qui et Praecursorem per prophetas missurum se promisit: et salutare

suum, id est Verbum suum, visibile effecit omni fieri carni, incarnatum et ipsum, ut in omnibus manifestus fieret rex eorum. Etenim ea quae judicantur, oportebat videre judicem, et scire hunc a quo judicantur: et ea quae gloriam consequuntur, oportebat scire eum, qui munus gloriae eis donat.

2. Iterum autem de angelo dicens Matthaeus, ait: « Angelus Domini apparuit Joseph in somnis. » Cujus Domini, ipse interpretatur: « Uti adimpleatur quod dictum est a Domino per prophetam: Ex Aegypto vocavi Filium meum. Ecce Virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus. » De hoc, qui est ex Virgine Emmanuel, dixit David: « Non avertas faciem Christi tui. Juravit Dominus David veritatem, et non spernet eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. » Et iterum: « Notus in Judaea Deus, et factus est in pace locus ejus, et habitaculum ejus in Sion. » Unus igitur et idem Deus, qui a prophetis praedicatus est, et ab Evangelio annuntiatus, et hujus Filius qui ex fructu ventris David, id est ex David Virgine, et Emmanuel: cujus et stellam Balaam quidem sic prophetavit: « Orietur stella ex Jacob, et surget dux in Israel. » Matthaeus autem Magos ab Oriente venientes ait dixisse: « Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum; » deductosque a stella in domum Jacob ad Emmanuel, per ea quae obtulerunt munera ostendisse, quis erat qui adorabatur: myrrham quidem quod ipse erat, qui pro mortali humano genere moreretur et sepeliretur: aurum vero, quoniam Rex « cujus regni finis non

est; » thus vero, quoniam Deus, qui et « notus in Judaea factus est, » et manifestus eis, qui non quaerebant eum.

3. Adhuc ait in baptismate Matthaeus: « Aperti sunt ei coeli, et vidit Spiritum Dei, quasi columbam venientem super eum. Et ecce vox de coelo, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. » Non enim Christus tunc descendit in Jesum; neque alius quidem Christus, alius vero Jesus; sed Verbum Dei, qui est Salvator omnium, et dominator coeli et terrae, qui est Jesus (quemadmodum ante ostendimus), qui et assumpsit carnem, et unctus est a Patre Spiritu, Jesus Christus factus est; sicut et Isaias ait: « Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Dei, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et implebit eum spiritus timoris Dei. Non secundum gloriam judicabit neque secundum loquelam arguet, sed judicabit humili judicium et arguet gloriosos terrae. » Et iterum ipse Isaias unctionem ejus, et propter quid unctus est, praesignificans ait: « Spiritus Dei super me, quapropter unxit me, evangelizare humilibus misit me, curare comminutos corde, praeconare captivis remissionem, et caecis visionem, vocare annum Domini acceptabilem, et diem retributionis, consolari omnes plangentes. » Nam secundum id quod Verbum Dei homo erat, ex radice Jesse, et filius Abrahae, secundum hoc requiescebat Spiritus Dei super eum, et ungebatur ad evangelizandum humilibus. Secundum autem quod Deus erat, non

secundum gloriam judicabat, neque secundum loquelam arguebat: « Non enim opus erat illi, ut quis testimonium diceret de homine, cum ipse sciret quid esset in homine. » Advocabat autem omnes homines plangentes, et remissionem his, qui a peccatis in captivitatem deducti erant, donans, solvebat eos a vinculis, de quibus ait Salomon: « Restibus autem peccatorum suorum unusquisque constringitur. » Spiritus ergo Dei descendit in eum, ejus qui [eum] per prophetas promiserat uncturum se eum, ut de abundantia unctionis ejus nos percipientes salvaremur. Et sic quidem Matthaeus.

CAPUT X

Argumenta ex Lucae et Marci Evangeliis.

1. Lucas autem sectator et discipulus apostolorum, de Zacharia et Elisabeth, ex quibus secundum repromissionem Dei Joannes natus est, referens ait: « Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justitiis Domini sine querela. » Et iterum de Zacharia dicens: « Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suae ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exivit ut incensum poneret, et venit uti sacrificaret intrans in templum Domini. » Qui praeest in conspectu Domini, simpliciter, et absolute, et firme Deum et Dominum confitens ex sua persona, eum qui elegerit Jerusalem, et legisdationem sacerdotii fecerit, cujus est et angelus Gabriel. Etenim alterum super hunc nesciebat: si enim intellectum perfectioris alicujus Dei et Domini, praeter hunc,

habuisset, non utique hunc, quem sciebat labis esse fructum, absolute, et in totum, Dominum et Deum confiteretur, sicut ante ostendimus. Sed et de Joanne dicens, sic ait: « Erit enim magnus in conspectu Domini, et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum, et ipse praecedet in conspectu ejus, in spiritu et virtute Eliae, praeparare Domino plebem perfectam. » Cui ergo populum praeparavit, et in cujus Domini conspectu magnus factus est?

Utique ejus qui dixit: « Quoniam et plus quam propheta habuit aliquid Joannes, et nemo in natis mulierum major est Joanne Baptista: » qui et populum praeparabat ad adventum Domini, conservis praenuntians, et poenitentiam ipsis praeconans, uti remissionem a Domino praesente perciperent, conversi ad eum, a quo propter peccata et transgressionem erant abalienati; quemadmodum et David ait: « Alienati sunt peccatores ab utero, erraverunt a ventre. » Et propter hoc convertens eos ad Dominum eorum, praeparabat Domino populum perfectum, in spiritu et virtute Eliae.

2. Et iterum de angelo referens ait: « In ipso autem tempore missus est angelus Gabriel a Deo, qui et dixit Virgini: Noli timere, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. » Et de Domino dicit: « Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur, et dabit ei Dominus Deus thronum David, patris sui, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis. » Quis est autem alius, qui regnat in domo Jacob sine intermissione in aeternum, nisi Christus Jesus Dominus noster, Filius

Dei altissimi, qui per legem et prophetas promisit salutarem suum facturum se omni carni visibilem, ut fieret filius hominis, ad hoc ut et homo fieret Filius Dei? Propter quod et exsultans Maria, clamabat pro Ecclesia prophetans: « Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Assumpsit enim Israel puerum suum, reminisci misericordiae: quemadmodum locutus est ad patres nostros, Abrahae et semini ejus in aeternum. »

Per haec igitur et tanta monstrat Evangelium, quoniam qui locutus est patribus Deus, hic est qui per Moysem legis donationem fecit, per quam legis donationem cognovimus, quoniam patribus locutus est. Hic idem Deus secundum magnam bonitatem suam effudit misericordiam in nos, in qua misericordia « conspexit nos Oriens ex alto, et apparuit his qui in tenebris et umbra mortis sedebant, et direxit pedes nostros in viam pacis; » quemadmodum et Zacharias desinens mutus esse, quod propter infidelitatem passus fuerat, novello Spiritu adimpletus, nove benedicebat Deum. Omnia enim nova aderant, Verbo nove disponente carnalem adventum, uti eum hominem qui extra Deum abierat, ascriberet Deo: propter quod et nove Deum colere docebantur; sed non alium Deum, quoniam quidem « unus Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et praeputium per fidem. »

Prophetans autem Zacharias dicebat: « Benedictus Dominus Deus Israel quia visitavit, et fecit redemptionem populo suo. Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui. Sicut locutus

est per os sanctorum prophetarum suorum, qui a saeculo sunt. Salutem ex inimicis nostris, et ex manu omnium qui oderunt nos. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et reminisci testamenti sancti sui. Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, uti det nobis sine timore ex manu inimicorum ereptos servire sibi in sanctitate et justitia, in conspectu suo omnes dies nostros. » Deinde ad Joannem dicit: « Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis: praeibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Ad dandum intellectum salutis populo ejus, in remissionem peccatorum eorum. » Haec enim est salutis agnitio, quae deerat eis, quae est Filii Dei, quam faciebat Joannes, dicens: « Ecce Agnus Dei, qui aufert peccatum mundi. Hic erat de quo dicebam: Post me venit vir, qui ante me factus est quoniam prior me erat; omnesque de plenitudine ejus accepimus. » Haec itaque salutis agnitio; sed non alter Deus, nec alter Pater, neque Bythus, neque Pleroma triginta Aeonum, nec mater ogdoados: sed agnitio salutis erat agnitio Filii Dei, qui et salus, et Salvator, et salutare vere et dicitur, et est. Salus quidem, sic: « In salutem tuam sustinui te, Domine. » Salvator autem iterum: « Ecce Deus meus Salvator meus, fidens ero in eum. » Salutare autem sic: « Notum fecit Deus salutare suum in conspectu gentium. » Est enim Salvator quidem, quoniam Filius et Verbum Dei; salutare autem, quoniam Spiritus: « Spiritus » enim, inquit, « faciei nostrae, Christus Dominus; » salus autem, quoniam caro: « Verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis. » Hanc igitur agnitionem

salutis faciebat Joannes poenitentiam agentibus, et credentibus in Agnum Dei, qui tollit peccatum mundi.

4. « Apparuit, inquit, et pastoribus angelus Domini annuntians gaudium eis, quoniam generatus est in domo David Salvator, qui est Christus Dominus. Deinde multitudo exercitus coelestis laudantium Deum et dicentium: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. » Hos angelos falsarii Gnostici dicunt ab ogdoade venisse, et descensionem superioris Christi manifestasse. Sed corruunt iterum dicentes, eum qui sursum sit, Christum et Salvatorem non natum esse, sed et post baptisma ejus qui sit de dispositione, Jesu, ipsum sicut columbam in eum descendisse. Mentiuntur ergo ogdoados angeli, secundum eos, dicentes: « Quoniam generatus est hodie vobis Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. » Neque enim Christus, neque Salvator tunc natus est secundum eos: sed ille, qui est de dispositione Jesus, qui est mundi fabricatoris, in quem post baptisma descendisse, hoc est post triginta annos, supernum Salvatorem dicunt.

Quid autem « in civitate David » apposuerunt, nisi ut eam pollicitationem, quae a Deo facta est David, quoniam ex fructu ventris ejus aeternus erit rex, adimpletam evangelizarent? Etenim Fabricator totius universitatis fecerat promissionem David, quemadmodum ipse David ait: « Adjutorium meum a Domino, qui fecit coelum et terram. » Et iterum: « In manu ejus fines terrae, et altitudines montium ipsius sunt. Quoniam

ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam manus ejus fundaverunt. Venite adoremus, et procidamus ante eum, et ploremus in conspectu Domini, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster. » Manifeste pronuntians Spiritus sanctus per David audientibus eum, quoniam erunt qui contemnant eum, qui plasmavit nos, qui et solus est Deus. Propter quod et dicebat quae praedicta sunt significans: Quoniam ne erraveritis; praeter hunc, aut super hunc, alius non est Deus, cui magis intendere oporteat; religiosos nos et gratos praeparans in eum qui fecerit, et constituerit, et enutriat. Quid ergo erit his, qui tantum blasphemiae adversus suum factorem adinvenerunt? Hoc idem autem et angeli. In eo enim quod dicunt: « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax; » eum qui sit altissimorum, hoc est, supercoelestium factor, et eorum quae super terram omnium conditor, his sermonibus glorificaverunt: qui suo plasmati, hoc est hominibus, suam benignitatem salutis de coelo misit. Propter quod et « Pastores, ait, revertebantur, glorificantes Deum in omnibus quae audierant, et viderant, quemadmodum et narratum est ad eos. » Non enim alterum Deum glorificabant Israelitae pastores, sed illum qui a lege et prophetis annuntiatus est, factorem omnium, quem et glorificabant angeli. Si autem alterum quidem angeli qui erant ab ogdoade, glorificabant, alterum vero pastores; errorem eis et non veritatem detulerunt hi qui ab ogdoade erant angeli.

5. Adhuc ait Lucas de Domino: « Cum impleti essent dies purgationis, imposuerunt eum

in Hierusalem, astare Domino, quemadmodum scriptum est in lege Domini: Quoniam omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domini vocabitur: et ut darent sacrificium, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum; » ex sua persona manifestissime Dominum appellans eum qui legisdationem fecerit. Et « Simeon » autem, inquit, « benedixit Deum, et ait: Nunc dimittis servum tuum, Domine, in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum; lumen ad revelationem gentium, et gloriam populi tui Israel. » Et « Anna » autem « prophetissa, » ait, similiter clarificabat Deum, videns Christum; « et loquebatur de eo omnibus, qui exspectabant redemptionem Hierusalem. » Per haec autem omnia unus Deus demonstratur, novam libertatis dispositionem per novum adventum Filii sui hominibus aperiens.

6. Quapropter et Marcus interpres et sectator Petri, initium evangelicae conscriptionis fecit sic: « Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei, quemadmodum scriptum est in prophetis: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ante Deum nostrum. » Manifeste initium Evangelii esse dicens sanctorum prophetarum voces; et eum, quem ipsi Dominum et Deum confessi sunt, hunc Patrem Domini nostri Jesu Christi praemonstrans, qui et promiserit ei angelum suum ante faciem ejus missurum; qui erat Joannes, « in spiritu et virtute Eliae » clamans in eremo:

« Parate viam Domini, rectas facite semitas ante Deum nostrum. » Quoniam quidem non alium et alium prophetae annuntiabant Deum, sed unum et eumdem, variis autem significationibus, et multis appellationibus: multus enim et dives Pater, quemadmodum in eo libro qui ante hunc est, ostendimus; et ex ipsis autem prophetis procedente nobis sermone ostendemus. In fine autem Evangelii ait Marcus: « Et quidem Dominus Jesus, postquam locutus est eis, receptus est in coelos, et sedet ad dexteram Dei; » confirmans quod a Propheta dictum est: « Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos suppedaneum pedum tuorum. » Sic quidem unus et idem Deus et Pater est, qui a prophetis quidem annuntiatus, ab Evangelio vero traditus, quem Christiani colimus, et diligimus ex toto corde, factorem coeli et terrae, et omnium quae in eis sunt.

CAPUT XI

Idem probat ex Joannis Evangelio, quod ex tribus aliis jam probavit. Tum concludit quatuor esse Evangelia, nec plura, nec pauciora, et hujus numeri mysticas rationes affert.

1. Hanc fidem annuntians Joannes Domini discipulus, volens per Evangelii annuntiationem auferre eum, qui a Cerintho inseminatus erat hominibus, errorem, et multo prius ab his qui dicuntur Nicolaitae, qui sunt vulsio ejus, quae falso cognominatur scientia, ut confunderet eos, et suaderet quoniam unus Deus qui omnia fecit per Verbum suum; et non, quemadmodum illi

dicunt, alterum quidem fabricatorem, alium autem Patrem Domini: et alium quidem fabricatoris filium, alterum vero de superioribus, Christum, quem et impassibilem perseverasse, descendentem in Jesum filium fabricatoris, et iterum revolasse in suum Pleroma: et initium quidem esse Monogenem, Logon autem verum filium Unigeniti: et eam conditionem, quae est secundum nos, non a primo Deo factam, sed a Virtute aliqua valde deorsum subjecta, et abscissa ab eorum communicatione, quae sunt invisibilia et innominabilia. Omnia igitur talia circumscribere volens discipulus Domini, et regulam veritatis constituere in Ecclesia, quia est unus Deus omnipotens, qui per Verbum suum omnia fecit, et visibilia, et invisibilia; significans quoque, quoniam per Verbum, per quod Deus perfecit conditionem, in hoc et salutem his qui in conditione sunt, praestitit hominibus; sic inchoavit in ea, quae est secundum Evangelium, doctrina: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Omnia, inquit, per ipsum facta sunt. » In omnibus ergo est et haec, quae secundum nos est, conditio: non enim concedetur eis, omnia dici ea, quae sunt infra Pleroma ipsorum. Si enim et haec Pleroma ipsorum continet, non extra est tanta ista conditio, quemadmodum ostendimus in eo libro qui ante hunc est; si autem extra Pleroma sunt haec,

quod quidem impossibile visum est, jam non est omnia Pleroma ipsorum: non est ergo extra haec tanta conditio.

2. Abstulit autem a nobis dissensiones omnes ipse Joannes, dicens: « In hoc mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In sua propria venit, et sui eum non receperunt, » Secundum autem Marcionem, et eos qui similes sunt ei, neque mundus per eum factus est, neque in sua venit, sed in aliena. Secundum autem quosdam Gnosticorum, ab angelis factus est iste mundus, et non per Verbum Dei. Secundum autem eos, qui sunt a Valentino, iterum non per eum factus est, sed per Demiurgum. Hic enim operabatur similitudines tales fieri, ad imitationem eorum quae sunt sursum, quemadmodum dicunt: Demiurgus autem perficiebat fabricationem conditionis. Emissum enim dicunt eum a Matre Dominum, et Demiurgum ejus dispositionis, quae est secundum conditionem, per quem hunc mundum factum volunt: cum Evangelium manifeste dicat, quoniam per Verbum, quod in principio erat apud Deum, omnia sunt facta: quod « Verbum, inquit, caro factum est, et inhabitavit in nobis. »

3. Secundum autem illos, neque Verbum caro factum est, neque Christus, neque qui ex omnibus factus est, Salvator. Etenim Verbum et Christum nec advenisse in hunc mundum volunt: Salvatorem vero non incarnatum, neque passum; descendisse autem quasi columbam in eum Jesum, qui factus esset ex dispositione, et cum annuntiasset incognitum Patrem, iterum ascen-

disse in Pleroma. Incarnatum autem et passum quidam quidem eum, qui ex dispositione sit, dicunt Jesum, quem per Mariam dicunt pertransisse, quasi aquam per tubum; alii vero Demiurgi filium, in quem descendisse eum Jesum, qui ex dispositione sit: alii rursum Jesum quidem ex Joseph et Maria natum dicunt, et in hunc descendisse Christum, qui de superioribus sit, sine carne et impassibilem exsistentem. Secundum autem nullam sententiam haereticorum, Verbum Dei caro factum est. Si enim quis regulas ipsorum omnium perscrutetur, inveniet quoniam sine carne, et impassibilis ab omnibus illis inducitur Dei Verbum, et qui est in superioribus Christus. Alii enim putant manifestatum eum, quemadmodum hominem transfiguratum; neque autem natum, neque incarnatum dicunt illum; alii vero neque figuram eum assumpsisse hominis; sed quemadmodum columbam descendisse in eum Jesum, qui natus est ex Maria. Omnes igitur illos falsos testes ostendens discipulus Domini, ait: « Et Verbum caro factum est, et inhabitavit in nobis. »

4. Et ut non inquiramus, cujus Dei Verbum caro factum est, ipse insuper docet, dicens: « Fuit homo missus a Deo; erat ei nomen Joannes: hic venit in testimonium, ut testaretur de lumine. Non erat ipse lumen, sed ut testaretur de lumine. » Praecursor igitur Joannes, qui testatur de lumine, a quo Deo missus est? Utique ab eo, cujus Gabriel est angelus, qui etiam evangelizavit generationem ejus: qui et per prophetas promisit angelum suum missurum ante faciem

Filii sui, et praeparaturum viam ejus, hoc est, testificaturum de lumine, « in spiritu et virtute Eliae. » Elias autem rursus cujus Dei servus et propheta fuit? ejus qui fecit coelum et terram, quemadmodum et ipse confitetur. A conditore igitur et fabricatore hujus mundi missus Joannes, quemadmodum poterat testificari de eo lumine, quod ex his quae sunt innominabilia et invisibilia descenderit? Omnes enim haeretici decreverunt Demiurgum ignorare eam quae sit super eum Virtutem, cujus testis et ostensor invenitur Joannes. Propter hoc Dominus « plus quam prophetam » dixit eum habuisse. Reliqui enim omnes prophetae annuntiaverunt adventum paterni luminis; concupierunt autem digni esse videre eum quem praedicabant: Joannes autem et praenuntiavit similiter sicut alii, et advenientem vidit, et demonstravit, et credere in eum suasit multis, ita ut ipse et prophetae et apostoli locum habuerit. Hic est enim plus quam propheta; quoniam « primo apostoli, secundo prophetae; » omnia autem ex uno et eodem ipso Deo.

5. Bonum enim et illud quod per conditionem a Deo in vinea factum est, et primo bibitum est vinum. Nemo enim illud vituperavit ex his qui biberunt; sed et Dominus accepit de eo: melius autem quod per Verbum compendialiter ac simpliciter ex aqua ad usum eorum, qui ad nuptias convocati erant, factum est vinum. Quamvis enim possit Dominus ex nullo subjacente eorum quae sunt conditionis, praebere epulantibus vinum, et esca complere esurientes, hoc quidem non fecit: accipiens autem eos qui a terra essent

panes, et gratias agens, et iterum aquam faciens vinum, saturavit eos qui recumbebant, et potavit eos qui invitati erant ad nuptias: ostendens quoniam Deus, qui fecit terram, et jussit eam fructus ferre, et constituit aquas, et edidit fontes, hic et benedictionem escae, et gratiam potus, in novissimis temporibus per Filium suum donat humano generi, incomprehensibilis per comprehensibilem, et invisibilis per visibilem; cum extra eum non sit, sed in sinu Patris exsistat.

6. « Deum enim, inquit, nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius Dei, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. » Patrem enim invisibilem exsistentem ille, qui in sinu ejus est, Filius omnibus enarrat. Propter hoc cognoscunt eum hi, quibus revelaverit Filius: et iterum Pater per Filium, Filii sui dat agnitionem his qui diligunt eum. A quo et Nathanael discens cognovit, cui et testimonium reddidit Dominus, quoniam « verus Israelita est, in quo dolus non est. » Cognovit Israelites suum regem; et ait ei: « Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel. » A quo et Petrus edoctus, cognovit Christum Filium Dei vivi, dicentis: « Ecce Filius meus dilectissimus, in quo bene sensi: ponam Spiritum meum super eum, et judicium gentibus annuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque quisquam audiet vocem ejus in plateis: calamum quassatum non confringet, et linum fumigans non exstinguet, usquequo emittat in contentionem judicium, et in nomine ejus gentes sperabunt. »

7. Et haec quidem sunt principia Evangelii, unum Deum fabricatorem hujus universitatis,

eum qui et per prophetas sit annuntiatus, et qui per Moysem legis dispositionem fecerit, Patrem Domini nostri Jesu Christi annuntiantia, et praeter hunc alterum Deum nescientia, neque alterum Patrem. Tanta est autem circa Evangelia haec firmitas, ut et ipsi haeretici testimonium reddant eis, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam. Ebionei etenim eo Evangelio, quod est secundum Matthaeum, solo utentes, ex illo ipso convincuntur, non recte praesumentes de Domino. Marcion autem id quod est secundum Lucam circumcidens, ex his quae adhuc servantur penes eum, blasphemus in solum exsistentem Deum ostenditur. Qui autem Jesum separant a Christo, et impassibilem perseverasse Christum, passum vero Jesum dicunt, id quod secundum Marcum est praeferentes Evangelium; cum amore veritatis legentes illud, corrigi possunt. Hi autem qui a Valentino sunt, eo quod est secundum Joannem plenissime utentes, ad ostensionem conjugationum suarum; ex ipso detegentur nihil recte dicentes, quemadmodum ostendimus in primo libro. Cum ergo hi, qui contradicunt, nobis testimonium perhibeant, et utantur his, firma et vera est nostra de illis ostensio.

8. Neque autem plura numero quam haec sunt, neque rursus pauciora capit esse Evangelia. Quoniam enim quatuor regiones mundi sunt in quo sumus, et quatuor principales spiritus, et disseminata est Ecclesia super omnem terram, columna autem et firmamentum Ecclesiae est Evangelium et spiritus vitae; consequens est,

quatuor habere eam columnas, undique flantes incorruptibilitatem, et vivificantes homines. Ex quibus manifestum est, quoniam qui est omnium artifex Verbum, qui sedet super cherubim, et continet omnia, declaratus hominibus, dedit nobis quadriforme Evangelium, quod uno spiritu continetur. Quemadmodum et David postulans ejus adventum, ait: « Qui sedes super cherubim, appare. » Etenim cherubim quadriformia, et formae ipsorum imagines sunt dispositionis Filii Dei. « Primum enim animal, inquit, simile leoni, » efficabile ejus, et principale, et regale significans: « secundum vero simile vitulo, » sacrificalem et sacerdotalem ordinationem significans: « tertium vero habens faciem quasi humanam, » eum, qui est secundum hominem, adventum ejus manifeste describens: « quartum vero simile aquilae volantis, » Spiritus in Ecclesiam advolantis gratiam manifestans.

Et Evangelia igitur his consonantia, in quibus insidet Christus Jesus. Aliud enim illam, quae est a Patre, principalem, et efficabilem, et gloriosam generationem ejus enarrat, dicens sic: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; » et: « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. » Propter hoc et omni fiducia plenum est Evangelium istud; talis est enim persona ejus. Id vero, quod est secundum Lucam, quoniam quidem sacerdotalis characteris est, a Zacharia sacerdote sacrificante Deo inchoavit. Jam enim saginatus parabatur vitulus, qui pro inventione minoris filii inciperet mactari. Matthaeus vero eam, quae est secundum homi-

nem generationem ejus enarrat: « Liber, dicens, generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. » Et iterum: « Christi autem generatio sic erat. » Humanae formae igitur hoc Evangelium: propter hoc et per totum Evangelium humiliter sentiens, et mitis homo servatus est. Marcus vero a prophetico Spiritu, ex alto adveniente hominibus, initium fecit: « Initium, dicens, Evangelii, quemadmodum scriptum est in Isaia propheta; » volatilem et pennatam imaginem Evangelii monstrans: propter hoc et compendiosam et praecurrentem annuntiationem fecit: propheticus enim character est hic.

Et ipsum autem Verbum Dei, illis quidem qui ante Moysem fuerunt patriarchis, secundum divinitatem et gloriam colloquebatur: his vero qui in lege, sacerdotalem et ministerialem actum praebebat: post deinde nobis homo factus, munus coelestis Spiritus in omnem misit terram, protegens nos alis suis. Qualis igitur dispositio Filii Dei, talis et animalium forma: et qualis animalium forma, talis et character Evangelii. Quadriformia autem animalia, et quadriforme Evangelium, et quadriformis dispositio Domini. Et propter hoc quatuor data sunt testamenta humano generi: unum quidem ante cataclysmum sub Adam; secundum vero, post cataclysmum sub Noe; tertium vero legislatio sub Moyse; quartum vero, quod renovat hominem, et recapitulat in se omnia, quod est per Evangelium, elevans et pennigerans homines in coeleste regnum.

9. His igitur sic se habentibus, vani omnes, et indocti, et insuper audaces, qui frustrantur

speciem Evangelii, et vel plures quam dictae sunt, vel rursus pauciores inferunt personas Evangelii: quidam ut plus videantur quam est veritatis adinvenisse: quidam vero, ut reprobent dispositiones Dei. Etenim Marcion totum rejiciens Evangelium; imo vere seipsum abscindens ab Evangelio, pariter gloriatur se habere Evangelium: alii vero ut donum Spiritus frustrentur, quod in novissimis temporibus secundum placitum Patris effusum est in humanum genus, illam speciem non admittunt, quae est secundum Joannis Evangelium, in qua Paracletum se missurum Dominus promisit; sed simul et Evangelium, et propheticum repellunt Spiritum. Infelices vere, qui pseudoprophetae quidem esse volunt; propheticam vero gratiam repellunt ab Ecclesia: similia patientes his qui propter eos qui in hypocrisi veniunt, etiam a fratrum communicatione se abstinent. Datur autem intelligi, quod hujusmodi neque apostolum Paulum recipiant. In ea enim Epistola quae est ad Corinthios, de propheticis charismatibus diligenter locutus est, et scit viros et mulieres in Ecclesia prophetantes. Per haec igitur omnia peccantes in Spiritum Dei, in irremissibile incidunt peccatum. Hi vero, qui sunt a Valentino, iterum exsistentes extra omnem timorem, suas conscriptiones proferentes, plura habere gloriantur, quam sint ipsa Evangelia. Siquidem in tantum processerunt audaciae, uti quod ab his non olim conscriptum est, veritatis Evangelium titulent, in nihilo conveniens apostolorum Evangeliis, ut nec Evangelium quidem sit apud eos sine blasphemia. Si enim quod ab

eis profertur, veritatis est Evangelium, dissimile est autem hoc illis, quae ab apostolis tradita sunt; qui volunt, possunt discere, quemadmodum ex ipsis Scripturis ostenditur, jam non esse id quod ab apostolis traditum est, veritatis Evangelium. Quoniam autem sola illa vera et firma, et non capit neque plura, praeterquam praedicta sunt, neque pauciora esse Evangelia, per tot et tanta ostendimus. Etenim cum omnia composita et apta Deus fecerit, oportebat et speciem Evangelii bene compositam, et bene compaginatam esse. Examinata igitur sententia eorum qui nobis tradiderunt Evangelium, ex ipsis principiis ipsorum, veniamus et ad reliquos apostolos, et perquiramus sententiam eorum de Deo: post deinde, ipsos Domini sermones audiamus.

CAPUT XII

Quae sit reliquorum apostolorum doctrina.

1. Petrus igitur apostolus post resurrectionem Domini, et assumptionem in coelos, volens adimplere duodecim apostolorum numerum, et allegere pro Juda alterum, qui electus esset a Deo, ex his qui aderant, dixit: « Viri fratres, oportebat impleri Scripturam hanc, quam praedixit Spiritus sanctus ore David de Juda, qui factus est dux his qui apprehenderunt Jesum, quoniam annumeratus fuit inter nos: Fiat habitatio ejus deserta, et non sit qui inhabitet in ea, et episcopatum ejus accipiat alter: » adimpletionem apostolorum ex his quae a David dicta sunt, faciens. Rursus cum Spiritus sanctus descendisset in discipulos, uti omnes prophetarent, et loquerentur linguis,

et quidam irriderent eos, quasi a musto ebrios, dixit Petrus, non ebrios quidem illos esse, cum sit hora tertia diei; esse autem hoc quod dictum est per prophetam: « Erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo in omnem carnem, et prophetabunt. » Deus igitur, qui per prophetam, promisit missurum se Spiritum suum in humanum genus, ipse et misit ei: et ipse Deus a Petro annuntiatur, suam promissionem adimplesse.

2. « Viri » enim, inquit Petrus, « Israelitae, audite sermones meos: Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis virtutibus, et prodigiis, et signis, quae fecit per ipsum Deus in medio vestrum, quemadmodum ipsi scitis: hunc definito consilio, et praescientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interfecistis: quem Deus excitavit, solutis doloribus inferorum, quoniam non erat possibile teneri eum ab eis. David enim dicit in ipsum: Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris meis est, ne movear. Propter hoc laetatum est cor meum, et exsultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem. » Dehinc rursum fiducialiter illis dicit de patriarcha David, quoniam mortuus est, et sepultus, et sepulcrum ejus sit apud eos usque in hunc diem. « Propheta autem, inquit, cum esset, et sciret quoniam jurejurando ei juravit Deus, de fructu ventris ejus sedere in throno ejus; providens locutus est de resurrectione Christi, quoniam neque derelictus est apud

inferos, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jesum, inquit, excitavit Deus, cujus nos omnes sumus testes: qui dextera Dei exaltatus, repromissionem sancti Spiritus accipiens a Patre, effudit donationem hanc, quam vos nunc videtis, et auditis. Non enim David ascendit in coelos; dicit autem ipse: Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam, quoadusque ponam inimicos tuos suppedaneum pedum tuorum. Certissime ergo sciat omnis domus Israel, quoniam et Dominum eum, et Christum Deus fecit hunc Jesum, quem vos crucifixistis. » Cum dixissent igitur turbae: « Quid ergo faciemus? » Petrus ad eos ait: « Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu, in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti. » Sic non alium Deum, nec aliam plenitudinem annuntiabant apostoli; nec alterum quidem passum et resurgentem Christum, alterum vero qui sursum volaverit, et impassibilis perseveraverit; sed unum et eumdem Deum Patrem, et Christum Jesum, qui a mortuis resurrexit; et eam, quae in eum est, fidem annuntiabant his qui non credebant in Filium Dei; et ex prophetis cohortabantur eos, quoniam eum, quem promisit se Deus missurum Christum, misit Jesum, quem ipsi crucifixerunt, quem Deus excitavit.

3. Rursus cum Petrus simul cum Joanne vidisset eum, qui a nativitate claudus erat, ante portam templi, quae dicitur speciosa, sedentem et petentem eleemosynam, dixit ei: « Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et

ambula. Et statim ejus confirmati sunt gressus, et plantae, et ambulabat, et introivit cum ipsis in templum, ambulans, et saliens, et glorificans Deum. »

Multitudine autem universa collecta ad eos propter inopinatum factum, Petrus dixit eis: « Viri Israelitae, quid miramini in hoc, et nos quid intuemini, quasi nostra virtute fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum, glorificavit Filium suum, quem vos quidem tradidistis in judicium, et negastis ante faciem Pilati, cum remittere eum vellet. Vos autem sanctum et justum aggravastis, et petistis virum homicidam donari vobis; ducem autem vitae occidistis, quem Deus excitavit a mortuis, cujus nos testes sumus. Et in fide nominis ejus hunc quem videtis et scitis, confirmavit nomen ejus, et fides, quae est per ipsum, dedit ei incolumitatem coram vobis omnibus. Et nunc, fratres, scio quoniam secundum ignorantiam fecistis nequam. Deus autem quae praedixit ore omnium prophetarum, pati Christum suum, adimplevit. Poenitentiam igitur agite, et convertimini, uti deleantur peccata vestra, et veniant vobis tempora refrigerii a facie Domini, et mittat praeparatum vobis Jesum Christum, quem oportet quidem coelum suscipere usque ad tempora dispositionis omnium, quae locutus est Deus per sanctos prophetas suos. Moyses quidem dicit ad patres nostros: Quoniam prophetam excitabit vobis Dominus Deus vester ex fratribus vestris, quemadmodum me; ipsum audietis in omnibus quaecunque locutus fuerit ad vos. Erit autem:

Omnis anima quaecunque non audierit prophetam illum, peribit de populo. Et omnes a Samuel et deinceps, quotquot locuti sunt, et annuntiaverunt dies istos. Vos estis filii prophetarum, et testamenti quod Deus disposuit ad patres nostros, dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur omnes tribus terrae. Vobis primum Deus excitans Filium suum misit benedicentem vos, ut convertat se unusquisque a nequitiis suis. » Manifestam ergo praeconationem Petrus cum Joanne praeconavit eis, repromissionem, quam fecit Deus patribus, per Jesum adimpletam evangelizans: non quidem alterum Deum annuntians, sed Filium Dei, qui et homo factus est, et passus, in agnitionem adducens Israel; et in Jesu resurrectionem, quae est a mortuis, annuntians, et significans, quoniam omnia, quae prophetae annuntiaverunt de passione Christi, haec adimplevit Deus.

4. Propter quod rursus convocatis principibus sacerdotum, fiducialiter Petrus dixit ad eos: « Principes populi, et seniores Israelitae, si nos hodie redarguimur a vobis in benefacto hominis infirmi, in quo hic salvatus est; cognitum sit omnibus vobis, et omni populo Israel, quoniam in nomine Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus excitavit a mortuis, in hoc hic astat in conspectu vestro sanus. Hic est lapis spretus a vobis aedificantibus, qui factus est in caput anguli. Et non est aliud nomen sub coelo, quod datum sit hominibus, in quo oporteat salvari nos. » Sic apostoli non Deum mutabant, sed Christum annuntiabant populo esse Jesum qui

crucifixus est, quem Deus excitavit. Qui prophetas misit, idem Deus excitavit, et salutem in eo dedit hominibus.

5. Confusi igitur et per curationem (« annorum enim, inquit Scriptura, plus quam xl, erat homo in quo factum est signum curationis ») et per doctrinam apostolorum et prophetarum expositionem, cum remisissent summi sacerdotes Petrum et Joannem, et reversi essent ad reliquos coapostolos, et discipulos Domini, id est in Ecclesiam, et enarrassent quae fuerant facta, et quemadmodum fiducialiter egissent in nomine Jesu: « Audientes, inquit, tota Ecclesia, unanimes extulerunt vocem ad Deum, et dixerunt: Domine, tu es Deus qui fecisti coelum, et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt, qui per Spiritum sanctum ore David patris nostri, pueri tui, dixisti: Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae, et principes congregati sunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus. Convenerunt enim vere in hac civitate adversus sanctum Filium tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus, cum gentibus et populis Israel, facere quaecunque manus tua, et voluntas tua praedestinaverat fieri. » Hae voces Ecclesiae ex qua habuit omnis Ecclesia initium: hae voces civitatis magnae, Novi Testamenti civium: hae voces apostolorum, hae voces discipulorum Domini, eorum qui post assumptionem Domini per Spiritum et perfecti exstiterunt, et invocaverunt Deum, qui fecit coelum et terram, et mare, qui per prophetas annuntiatus est, et ejus Filius Jesus, quem unxit Deus,

et alterum autem nescientes. Non enim erat ibi tunc Valentinus, nec Marcion, nec reliqui sui, vel eorum qui assentiunt eis, eversores. Propter quod et exaudivit eos factor omnium Deus. « Commotus est enim, inquit, locus, in quo erant collecti, et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia, » omni volenti credere. « Virtute enim magna, inquit, reddebant testimonium apostoli resurrectionis Domini Jesu, » dicentes ad eos: « Deus patrum nostrorum excitavit Jesum, quem vos apprehendistis, et interfecistis suspendentes in ligno. Hunc Deus principem, et Salvatorem exaltavit gloria sua, dare poenitentiam Israel, et remissionem peccatorum: et nos in eo testes sumus sermonum horum, et Spiritus sanctus, quem dedit Deus credentibus ei. Omni quoque die, inquit, in templo et in domo non cessabant docentes et evangelizantes Christum Jesum » Filium Dei. Haec enim erat salutis agnitio, quae perfectos ad Deum efficit eos, qui cognoscunt Filii ejus adventum.

6. Quoniam autem impudenter quidam eorum dicunt: Apud Judaeos praeconantes apostoli non poterant alterum eis Deum annuntiare, praeter eum, qui creditus fuerat ab ipsis; dicimus ad eos, quoniam si secundum olim insitam opinionem hominibus loquebantur apostoli, nemo ab his cognovit veritatem, multo autem prius a Domino; etenim ipsum sic locutum dicunt. Nec hi ergo ipsi veritatem sciunt, sed sententia eorum de Deo cum esset talis, exceperant doctrinam, quemadmodum audire poterant. Secundum hunc igitur sermonem apud neminem erit

regula veritatis, sed omnes discipuli omnibus imputabunt, quoniam quemadmodum unusquisque sentiebat, et quemadmodum capiebat, sic et sermo ad eum factus est. Superfluus autem et inutilis adventus Domini parebit, si quidem venit permissurus, et servaturus uniuscujusque olim insitam de Deo opinionem. Adhuc etiam et multo durius erat, quem hominem viderant Judaei, et cruci affixerant, annuntiari hunc esse Christum Filium Dei, aeternum ipsorum regem. Non igitur jam secundum pristinam eorum opinionem loquebantur ad eos. Qui enim in faciem interfectores eos esse Domini dicebant, multo magis fiducialiter eum Patrem, qui super Demiurgum est, et ipsis annuntiarent, et non in quod putabat unusquisque; et multo minus erat peccatum, siquidem superiorem Salvatorem, ad quem ascendere eos oporteret, quoniam esset impassibilis, non affixissent cruci. Quemadmodum enim gentibus non secundum sententiam illorum loquebantur, sed cum fiducia dicebant, quoniam dii ipsorum non essent dii, sed idola daemoniorum; simili modo et Judaeis annuntiassent, si alterum majorem et perfectiorem scissent Patrem, non adnutrientes, neque augentes eorum non veram de Deo opinionem. Ethnicorum autem solventes errorem, et auferentes eos a suis diis, non utique alterum eis inferebant errorem; sed auferentes eos qui non erant dii, eum, qui solus erat Deus et verus Pater, ostenderunt.

7. Ex verbis Petri igitur, quae fecit in Caesarea ad Cornelium centurionem, et eos qui cum eo erant gentiles, quibus primo enarratus est sermo

Dei, cognoscendum est nobis, quae annuntiabant apostoli, et qualis fuit praedicatio ipsorum, et quam habuerunt de Deo sententiam. « Erat enim, inquit, Cornelius hic religiosus et timens Deum cum tota domo sua, et faciens eleemosynas multas in populo, et orans Deum semper. Vidit ergo, circa horam nonam diei, angelum Dei intrantem ad se, et dicentem: Eleemosynae tuae ascenderunt in recommemorationem in conspectu Dei. Propter quod mitte ad Simonem, qui vocatur Petrus. » Petrus autem cum vidisset revelationem, in qua respondit ad eum coelestis vox: « Quae Deus emundavit, tu ne commune dixeris; » hoc ideo, quoniam qui per legem inter munda et immunda distinxit Deus hic emundavit gentes per sanguinem Filii sui, quem et Cornelius colebat. Ad quem Petrus veniens dixit: « In veritate comperi, quoniam non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptabilis ei est. » Manifeste significans, quoniam quem antea Deum timebat Cornelius, quem per legem et prophetas audierat, propter quem et eleemosynas faciebat, hic in veritate est Deus. Deerat autem ei agnitio. Propter quod adjecit: « Vos scitis quod factum est verbum per omnem Judaeam: incipiens enim a Galilaea post baptismum, quod praedicavit Joannes: Jesum a Nazareth, quemadmodum unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute; ipse circuivit benefaciens et curans omnes qui oppressi erant a diabolo, quoniam Deus erat cum eo. Et nos testes sumus omnium eorum, quae fecit et in regione Judaeorum, et in Hierusalem: quem interfecerunt

suspendentes in ligno. Hunc Deus excitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus nobis praedestinatis a Deo, qui cum eo et manducavimus, et bibimus post resurrectionem a mortuis. Et praecepit nobis annuntiare populo, et testificari, quoniam ipse est praedestinatus a Deo judex vivorum et mortuorum. Huic omnes prophetae testimonium reddunt remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnem credentem in eum. »

Filium ergo Dei, quem ignorabant homines, annuntiabant apostoli, et adventum ejus, his qui ante instructi erant de Deo; sed non alterum Deum inferebant. Si enim tale aliquid sciret Petrus, libere gentibus praedicasset, alterum quidem Judaeorum, alterum autem Christianorum esse Deum; qui quidem propter visionem angeli conterriti omnes, quodcunque eis dixisset, credidissent. Ex verbis autem Petri manifestum est, quoniam praecognitum quidem eis Deum custodivit; Filium autem Dei Jesum Christum esse testificatus est ipsis, judicem vivorum et mortuorum, in quem et baptizari eos jussit in remissionem peccatorum: et non tantum hoc, sed et Jesum ipsum esse Filium Dei testificatus est, qui et unctus Spiritu sancto, Jesus Christus dicitur. Et est hic idem ex Maria natus, quemadmodum Petri continet testificatio. An nunquid perfectam tunc cognitionem nondum habebat Petrus, quam postea adinvenerunt hi? Imperfectus igitur secundum hos Petrus, imperfecti autem et reliqui apostoli: et oportebit eos reviviscentes, horum fieri discipulos, ut et ipsi perfecti fiant. Sed hoc

quidem ridiculum est. Arguuntur vero isti non quidem apostolorum, sed suae malae sententiae esse discipuli. Propter hoc autem et variae sententiae sunt uniuscujusque eorum, recipientis errorem quemadmodum capiebat. Ecclesia vero per universum mundum ab apostolis firmum habens initium, in una et eadem de Deo et de Filio ejus perseverat sententia.

8. Philippus autem rursus spadoni reginae Aethiopum revertenti a Hierosolymis, et legenti Isaiam prophetam, solus soli, quem annuntiavit? Nonne eum, de quo dixit propheta: « Tanquam ovis ad victimam ductus est, quemadmodum agnus ante tondentem se sine voce, sic non aperuit os? Nativitatem autem ejus quis enarrabit? quoniam tolletur a terra vita ejus. » Hunc esse Jesum, et impletam esse in eo Scripturam; quemadmodum ipse eunuchus credens, et statim postulans baptizari dicebat: « Credo Filium Dei esse Jesum. » Qui et missus est in regiones Aethiopiae, praedicaturus hoc quod ipse crediderat, Deum quidem unum per prophetas praedicatum; hujus vero Filium fecisse secundum hominem adventum, et ut ovem ad victimam ductum, et reliqua quaecunque prophetae dicunt de eo.

9. Paulus quoque et ipse, posteaquam de coelo locutus est ad eum Dominus, et ostendit quoniam suum Dominum persequeretur, persequens discipulos ejus, et misit Ananiam ad eum, ut iterum videret et baptizaretur: « In synagogis, ait, in Damasco praedicabat cum omni fiducia Jesum, quoniam hic est Christus Filius Dei. » Hoc est mysterium, quod dicit per revelationem

manifestatum sibi, quoniam qui passus est sub Pontio Pilato, hic Dominus est omnium, et Rex, et Deus, et judex; ab eo qui est omnium Deus, accipiens potestatem, quoniam « subjectus factus est usque ad mortem, mortem autem crucis. »

Et quoniam hoc verum est, Atheniensibus evangelizans in Areopago, ubi Judaeis non assistentibus, licebat ei cum fiducia verum praedicare Deum, dixit eis: « Deus, qui fecit mundum, et omnia quae in eo sunt, hic coeli et terrae Dominus exsistens, non in manufactis templis inhabitat, nec a manibus humanis tractatur, tanquam alicujus indigens, cum ipse omnibus dederit vitam et spiritum, et omnia fecerit, qui fecit ex uno sanguine omne genus hominum inhabitare super faciem totius terrae, praefiniens tempora secundum determinationem inhabitationis eorum, quaerere illud quod est divinum, si quo modo tractare possint illud, aut invenire, quamvis etiam non longe sit ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, et movemur, et sumus; et quemadmodum quidam secundum vos dixerunt: Hujus enim et genus sumus. Genus igitur cum simus Dei, non oportet nos putare, id quod est divinum simile esse auro vel argento, vel lapidi per artem, vel concupiscentiam hominis deformato. Tempora ergo ignorantiae despiciens Deus, nunc praecepit hominibus omnibus ubique poeniteri in ipsum, quoniam constituit diem judicari orbem terrae in justitia, in viro Jesu, in quo statuit fidem, excitans eum a mortuis. » Hoc autem in loco non solum factorem mundi Deum eis annuntiat, non assistentibus Judaeis, sed et

quoniam unum genus humanum fecit inhabitare super omnem terram, quemadmodum et Moyses ait: « Quando divisit Altissimus gentes, quemadmodum dispersit filios Adam, statuit terminos gentium secundum numerum angelorum Dei; » populum autem qui credit Deo, jam non esse sub angelorum potestate, sed sub Domini: « Facta est enim portio Domini populus ejus Jacob, funiculum haereditatis ejus Israel. »

Et iterum Lystris Lyciae cum esset Paulus cum Barnaba, et a nativitate claudum in nomine Domini nostri Jesu Christi ambulare fecisset, et cum turba honorare eos vellet quemadmodum deos, propter admirabile factum, ait eis: « Nos similes vobis sumus homines, evangelizantes vobis Deum, uti ab eis vanis simulacris convertamini ad Deum vivum, qui fecit coelum, et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt: qui in praeteritis temporibus permisit omnes gentes abire vias suas, quanquam non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens, de coelo dans vobis pluvias et tempora fructifera, adimplens cibo et hilaritate corda vestra. » Quoniam autem his annuntiationibus ejus omnes epistolae consonant, ex ipsis epistolis ostendimus apto in loco, exponentes Apostolum. Nobis autem collaborantibus his ostensionibus, quae ex Scripturis sunt, et quae multifarie dicta sunt, breviter et compendiose annuntiantibus, et tu cum magnanimitate intende eis, et non longiloquium putare: hoc intelligens quoniam ostensiones, quae sunt in Scripturis, non possunt ostendi, nisi ex ipsis Scripturis.

10. Stephanus autem iterum qui electus est ab apostolis primus diaconus, qui et primus ex omnibus hominibus sectatus est vestigia martyrii Domini, propter Christi confessionem primus interfectus, fiducialiter loquens in populo, et docens eos, dicens: « Deus gloriae visus est patri nostro Abrahae, et dixit ad eum: Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram, quam demonstrabo tibi: et transtulit illum in terram hanc, quam nunc et vos inhabitatis, et non dedit ei haereditatem in ea, nec gressum pedis; sed promisit dare in possessionem eam, et semini ejus post eum. Locutus est autem sic Deus ad eum: quoniam erit semen ejus peregrinans in terra aliena, et in servitutem redigentur, et vexabuntur annis quadringentis: et gentem, cui servient, judicabo ego, dicit Dominus. Et postea exient, et servient mihi in isto loco. Et dedit ei testamentum circumcisionis, et sic generavit Isaac. » Et reliqua autem verborum ejus eumdem Deum annuntiant, qui fuit cum Joseph, et cum patriarchis, qui et collocutus est Moysi.

11. Et omnem apostolorum doctrinam unum et eumdem Deum annuntiasse, qui transtulit Abraham, qui promissionem haereditatis ei fecit, qui testamentum circumcisionis apto tempore dedit, qui ex Aegypto vocavit semen ejus, servatum manifeste per circumcisionem (in signo enim dedit eam, ut non similes essent Aegyptiis); hunc factorem omnium, hunc Patrem Domini nostri Jesu Christi, hunc Deum claritatis, ex ipsis sermonibus et Actibus apostolorum volentes discere possunt, et contemplari, quoniam unus hic

Deus, super quem alius non est. Si autem et erat super hunc alius Deus, ex abundanti per comparationem diceremus: hic illo melior est. Melior enim ex operibus apparet, quemadmodum et praediximus: et cum illi nullum Patris sui opus habeant ostendere, hic solus ostenditur Deus. Si quis autem « aegrotans circa quaestiones, » ea quae ab apostolis de Deo dicta sunt, allegorizanda existimat; praedictos sermones nostros discutiat, in quibus unum Deum conditorem et factorem omnium ostendimus, et ea quae ab illis dicuntur, destruximus et denudavimus: et inveniet consonantes eos apostolorum doctrinae, et sic habere quemadmodum docebant et persuadebantur, quoniam unus est fabricator omnium Deus: et cum repulerit a sententia sua tantum errorem, et eam, quae est adversus Deum, blasphemiam; et a semetipso inveniet rationem, cognoscens et eam, quae est secundum Moysem legem, et gratiam Novi Testamenti, utraque apta temporibus, ad utilitatem humani generis ab uno et eodem praestita Deo.

12. Omnes enim, qui sunt malae sententiae, moti ab ea legisdatione, quae secundum Moysem, dissimilem eam et contrariam Evangelii doctrinae arbitrantes, jam non sunt conversi, uti differentiae utriusque Testamenti inquirerent causas. Deserti igitur cum sint a paterna dilectione, et inflati a Satana, conversi in Simonis Magi doctrinam, abstiterunt sententiis suis ab eo qui est Deus, et putaverunt semetipsos plus invenisse, quam apostoli, alterum Deum adinvenientes. Et apostolos quidem adhuc quae sunt

Judaeorum sentientes, annuntiasse Evangelium; se autem sinceriores, et prudentiores apostolis esse. Unde et Marcion, et qui ab eo sunt, ad intercidendas conversi sunt Scripturas, quasdam quidem in totum non cognoscentes, secundum Lucam autem Evangelium, et Epistolas Pauli decurtantes, haec sola legitima esse dicunt, quae ipsi minoraverunt. Nos autem etiam ex his, quae adhuc apud eos custodiuntur, arguemus eos, donante Deo, in altera conscriptione. Reliqui vero omnes falso scientiae nomine inflati, Scripturas quidem confitentur, interpretationes vero convertunt, quemadmodum ostendimus in primo libro. Et quidem hi qui a Marcione sunt statim blasphemant fabricatorem, dicentes eum malorum factorem, propositum initii sui tolerabiliorem habentes, duos naturaliter dicentes deos, distantes ab invicem, alterum quidem bonum, alterum autem malum: hi autem qui sunt a Valentino, nominibus honestius utentes, et Patrem, et Dominum, et Deum, hunc qui est fabricator, ostendentes, propositum sive sectam blasphemiorem habent, neque ab aliquo ex his, quae sunt intra plenitudinem, Aeonibus dicentes eum emissum, sed ab ea labe, quae extra Pleroma expulsa est. Haec autem omnia contulit eis Scripturarum et dispositionis Dei ignorantia. Nos et causam differentiae Testamentorum, et rursum unitatem et consonantiam ipsorum, in his quae deinceps futura sunt, referemus.

13. Quoniam autem et apostoli, et discentes ipsorum sic docebant, quemadmodum Ecclesia praedicat, et sic docentes perfecti fuerunt, prop-

ter quod et evocabantur ad perfectum; Stephanus haec docens, adhuc cum super terram esset, vidit gloriam Dei, et Jesum ad dexteram, et dixit: « Ecce video coelos apertos, et Filium hominis ad dexteram astantem Dei. » Et haec dixit, et lapidatus est, et sic perfectam doctrinam adimplevit, per omnia martyrii magistrum imitans, et postulans pro eis qui se interficiebant, et dicens: « Domine, ne statuas illis hoc peccatum. » Sic erant perfecti, qui unum et eumdem Deum, ab initio usque ad finem variis dispositionibus assistentem humano generi, sciebant; quemadmodum ait Osee propheta: « Ego visiones implevi, et in manibus prophetarum similatus sum. » Qui ergo usque ad mortem tradiderunt animas propter Evangelium Christi, quomodo poterant secundum insitam opinionem hominibus loqui? Quod ipsum si fecissent, non paterentur: sed quoniam contraria his, qui non assentiebant veritati, praedicabant, ideo et passi sunt. Manifestum est ergo, quoniam non derelinquebant veritatem, sed cum omni fiducia Judaeis et Graecis praedicabant: Judaeis quidem, Jesum eum qui ab ipsis crucifixus est, esse Filium Dei, judicem vivorum et mortuorum, a Patre accepisse aeternum regnum in Israel, quemadmodum ostendimus; Graecis vero unum Deum qui omnia fecit, et hujus Filium Jesum Christum annuntiantes.

14. Manifestius autem hoc ostenditur ex apostolorum epistola quam neque Judaeis, neque Graecis, sed his qui ex gentibus in Christum credebant, confirmantes fidem ipsorum, miserunt. Cum enim descendissent quidam a Judaea in

Antiochiam, in qua et primum omnium discipuli Domini pro fide quam in Christo habebant, vocati sunt Christiani, et suaderent eis qui crediderant in Dominum, circumcidi, et reliqua secundum legis observationem perficere; et ascendissent Paulus et Barnabas Hierosolymam ad alteros apostolos propter hanc quaestionem, et universa Ecclesia convenisset in unum, Petrus dixit eis: « Viri fratres, vos scitis quoniam a diebus antiquis in vobis Deus elegit, ut ex ore meo audirent gentes verbum Evangelii, et crederent: et cordis inspector Deus testimonium perhibuit eis, dans eis Spiritum sanctum, sicut et nobis, et nihil discrevit inter nos et ipsos, emundans per fidem corda illorum. Nunc igitur quid tentatis Deum, imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos valuimus portare? Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus nos posse salvari quomodo et illi. »

Post quem Jacobus dixit: « Viri fratres, Simon retulit quemadmodum Deus excogitavit accipere ex gentibus populum nomini suo. Et sic conveniunt sermones prophetarum, sicut scriptum est: Post haec revertar, et reaedificabo tabernaculum David quod cecidit, et disturbata ejus aedificabo, et erigam illud, uti requirant reliqui hominum Dominum, et omnes gentes, in quibus invocatum est nomen meum super eos, dicit Dominus, faciens haec. Cognitum a saeculo est Deo opus ejus: propterea ego secundum me judico, non molestari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum; sed praecipiendum eis, uti abstineant a vanitatibus idolorum, et a fornicatione, et a sanguine: et

quaecunque nolunt sibi fieri, aliis ne faciant. » Et cum haec dicta essent, et omnes consensissent, scripserunt eis sic: « Apostoli, et presbyteri fratres, his qui sunt in Antiochia, et Syria, et Cilicia, fratribus ex gentibus, salutem. Quoniam audivimus, quia ex nobis quidam exeuntes turbaverunt vos sermonibus, destruentes animas vestras, quibus non praecepimus, dicentes: Circumcidimini et servate legem; placuit nobis convenientibus in unum, electos viros mittere ad vos cum dilectissimis nostris Barnaba et Paulo, hominibus qui tradiderunt animam suam pro nomine Domini nostri Jesu Christi. Misimus igitur Judam et Silam, et ipsos per sermonem annuntiantes nostram sententiam. Placuit enim sancto Spiritui, et nobis, nullum amplius vobis pondus imponere, quam haec, quae sunt necessaria: ut abstineatis ab idolothytis, et sanguine, et fornicatione; et quaecunque non vultis fieri vobis, aliis ne faciatis: a quibus custodientes vos ipsos, bene agetis, ambulantes in Spiritu sancto. » Manifestum est igitur ex his omnibus, quoniam non alterum Patrem esse docebant, sed libertatis Novum Testamentum dabant his, qui nove in Deum per Spiritum sanctum credebant. Ipsi autem ex eo quod quaererent: An oporteret circumcidi adhuc discipulos, necne? manifeste ostenderunt, non habuisse se alterius Dei contemplationem.

15. Caeterum non talem timorem circa primum habuissent Testamentum, ut nec cum ethnicis quidem convesci vellent. Nam et Petrus, quamvis ad catechizandos eos missus esset, et tali visione conterritus fuisset, cum timore tamen

multo locutus est ad eos, dicens: « Ipsi scitis quoniam non est fas viro Judaeo adjungi, aut convenire cum allophylo: mihi autem Deus ostendit, neminem communem, aut immundum dicere hominem: quapropter sine contradictione veni; » his sermonibus significans, quoniam non abisset ad eos, nisi jussus fuisset. Sic aeque ne baptisma quidem facile dedisset, nisi, Spiritu sancto requiescente super eos, prophetantes eos audisset. Et propter hoc dixit: « Nunquid aliquis aquam vetare potest ad baptizandum hos, qui Spiritum sanctum acceperunt, quemadmodum et nos? » Suadens simul his qui secum erant, et significans, quoniam nisi Spiritus sanctus super eos requievisset, exsisteret qui eos prohiberet a baptismate.

Hi autem qui circa Jacobum apostoli, gentibus quidem libere agere permittebant, concedentes nos Spiritui Dei. Ipsi vero eumdem scientes Deum, perseverabant in pristinis observationibus: ita ut et Petrus quoque, timens ne culparetur ab ipsis, ante manducans cum gentibus, propter visionem et propter Spiritum qui requieverat super eos; cum tamen advenissent quidam a Jacobo, separavit se, et non manducavit cum eis. Hoc ipsum autem dixit Paulus et Barnabam fecisse. Sic apostoli, quos universi actus, et universae doctrinae Dominus testes fecit, (ubique enim simul cum eo assistentes inveniuntur Petrus et Jacobus et Joannes) religiose agebant circa dispositionem legis, quae est secundum Moysem, ab uno et eodem significantes esse Deo. Quod quidem non fecissent secundum quae praediximus,

si praeter eum qui legis dispositionem fecit, alterum patrem a Domino didicissent.

CAPUT XIII

Adversus eos qui dicunt, tantum Paulum ex apostolis cognovisse veritatem.

1. Eos autem qui dicunt, solum Paulum veritatem cognovisse, cui per revelationem manifestatum est mysterium, ipse Paulus convincat eos, dicens, unum et ipsum Deum et operatum Petro in apostolatum circumcisionis, et sibi in gentes. Ipsius ergo Dei Petrus erat apostolus, cujus et Paulus: et quem Petrus in circumcisione annuntiabat Deum, et Dei Filium, hunc et Paulus in gentes. Neque enim solum Paulum salvare venit Dominus noster; nec sic pauper Deus, ut unum solum haberet apostolum, qui dispositionem Filii sui cognosceret. Et Paulus autem dicens: « Quam speciosi pedes evangelizantium bona, evangelizantium pacem! » manifestum fecit, quoniam non unus, sed plures erant, qui veritatem evangelizabant. Et rursus in ea Epistola quae est ad Corinthios, cum praedixisset omnes qui Deum post resurrectionem viderunt, intulit: « Sive autem ego, sive illi, sic annuntiamus, et sic credidistis: » unam et eamdem praedicationem confitens omnium eorum, qui Deum viderunt post resurrectionem a mortuis.

2. Et Dominus autem Philippo volenti Patrem videre, respondit: « Tanto tempore vobiscum sum, et me non cognovisti? Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Ego enim in Patre, et Pater in me,

et amodo cognovistis eum, et vidistis. » Quibus ergo Dominus testimonium dixit, quoniam et cognoverunt in ipso, et viderunt Patrem, (Pater autem veritas) hos dicere non cognovisse veritatem, est hominum falsa testantium, et eorum qui alienati sunt a Christi doctrina. Ad quid enim mittebat Dominus duodecim apostolos ad oves quae perierant domus Israel, si veritatem non cognoverunt? Quomodo autem septuaginta praedicabant, nisi ipsi prius virtutem praedicationis cognovissent? Aut quomodo Petrus ignorare potuit, cui Dominus testimonium dedit, quoniam caro et sanguis non revelavit ei, sed Pater qui in coelis est? Sicut ergo « Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum, et Deum Patrem; » Filio quidem adducente eos ad Patrem, Patre vero revelante eis Filium.

3. Quoniam autem his, qui ad apostolos vocaverunt eum de quaestione, acquievit Paulus, et ascendit ad eos cum Barnaba in Hierosolymam, non sine causa, sed ut ab ipsis libertas gentilium confirmaretur, ipse ait in ea quae ad Galatas est Epistola: « Deinde post xiv annos ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumens et Titum. Ascendi autem secundum revelationem, et contuli cum eis Evangelium, quod praedico inter gentes. » Et iterum ait: « Ad horam cessimus subjectioni, uti veritas Evangelii perseveret apud vos. » Si quis igitur diligenter ex Actibus apostolorum scrutetur tempus, de quo scriptum est, « Ascendi Hierosolymam, » propter praedictam quaestionem, inveniet eos, qui praedicti sunt a Paulo, annos concurrentes. Sic est consonans, et

velut eadem tam Pauli annuntiatio, quam et Lucae de apostolis testificatio.

CAPUT XIV

Si quae occultiora mysteria prae aliis scivisset Paulus, ea Lucas assiduus illius comes, laborumque consors ac particeps, ignorare non potuisset: nec veritas eum latere potuit, per quem solum plura ac maxime necessaria evangelicae historiae capita novimus.

1. Quoniam autem is Lucas inseparabilis fuit a Paulo, et cooperarius ejus in Evangelio, ipse facit manifestum, non glorians, sed ab ipsa productus veritate. Separatis enim, inquit, a Paulo, et Barnaba, et Joanne, qui vocabatur Marcus, et cum navigassent Cyprum, « nos venimus in Troadem; » et cum vidisset Paulus per somnium virum Macedonem, dicentem: « Veniens in Macedoniam opitulare nobis, Paule; statim, ait, quaesivimus proficisci in Macedoniam, intelligentes quoniam provocavit nos Dominus evangelizare eis. Navigantes igitur a Troade, direximus navigium in Samothracen; » et deinceps reliquum omnem ipsorum usque ad Philippos adventum diligenter significat, et quemadmodum primum sermonem locuti sunt: « Sedentes enim, inquit, locuti sumus mulieribus quae convenerant; » et quinam crediderunt, et quam multi. Et iterum ait: « Nos autem navigavimus post dies azymorum a Philippis, et venimus Troadem, ubi et commorati sumus diebus septem. » Et reliqua omnia ex ordine cum Paulo refert, omni diligentia demonstrans et loca, et civitates, et quantitatem dierum,

quoadusque Hierosolymam ascenderent: et quae illic contigerint Paulo, quemadmodum vinctus Romam missus est, et nomen centurionis qui suscepit eum, et parasema navium, et quemadmodum naufragium fecerunt, et in qua liberati sunt insula, et quemadmodum humanitatem ibi perceperunt, Paulo curante principem ipsius insulae, et quemadmodum inde Puteolos navigaverunt, et inde Romam pervenerunt, et quanto tempore Romae commorati sunt. Omnibus his cum adesset Lucas, diligenter conscripsit ea, uti neque mendax, neque elatus deprehendi possit, eo quod omnia haec constarent, et seniorem eum esse omnibus qui nunc aliud docent, neque ignorare veritatem. Quoniam non solum prosecutor, sed et cooperarius fuerit apostolorum, maxime autem Pauli, et ipse autem Paulus manifestavit in epistolis, dicens: « Demas me dereliquit, et abiit Thessalonicam, Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam; Lucas est mecum solus. » Unde ostendit quod semper junctus ei et inseparabilis fuerit ab eo. Et iterum in Epistola quae est ad Colossenses, ait: « Salutat vos Lucas medicus dilectus. » Si autem Lucas quidem, qui semper cum Paulo praedicavit, et dilectus ab eo est dictus, et cum eo evangelizavit, et creditus est referre nobis Evangelium, nihil aliud ab eo didicit, sicut ex verbis ejus ostensum est; quemadmodum hi qui nunquam Paulo adjuncti fuerunt, gloriantur abscondita et inenarrabilia didicisse sacramenta?

2. Quoniam autem Paulus simpliciter quae sciebat, haec et docuit, non solum eos qui cum eo erant, verum omnes audientes se, ipse facit ma-

nifestum. In Mileto enim convocatis episcopis et presbyteris, qui erant ab Epheso et a reliquis proximis civitatibus, quoniam ipse festinaret Hierosolymis Pentecosten agere, multa testificans eis, et dicens quae oportet ei Hierosolymis evenire, adjecit: « Scio quoniam jam non videbitis faciem meam: testificor igitur vobis hac die, quoniam mundus sum a sanguine omnium. Non enim subtraxi, uti non annuntiarem vobis omnem sententiam Dei. Attendite igitur et vobis, et omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus praeposuit episcopos, regere Ecclesiam Domini, quam sibi constituit per sanguinem suum. » Deinde significans futuros malos doctores, dixit: « Ego scio quoniam advenient post discessum meum lupi graves ad vos, non parcentes gregi. Et ex vobisipsis exsurgent viri loquentes perversa, uti convertant discipulos post se. Non subtraxi, inquit, uti non annuntiarem omnem sententiam Dei vobis. » Sic apostoli simpliciter, et nemini invidentes, quae didicerant ipsi a Domino, haec omnibus tradebant. Sic igitur et Lucas nemini invidens, ea quae ab eis didicerat, tradidit nobis, sicut ipse testificatur dicens: « Quemadmodum tradiderunt nobis qui ab initio contemplatores, et ministri fuerunt verbi. »

3. Si autem quis refutet Lucam, quasi non cognoverit veritatem, manifestus erit projiciens Evangelium, cujus dignatur esse discipulus. Plurima enim et magis necessaria Evangelii per hunc cognovimus, sicut Joannis generationem, et de Zacharia historiam, et adventum angeli ad Mariam, et exclamationem Elisabeth, et angelorum ad pastores descensum, et ea quae ab illis dicta

sunt, et Annae et Simeonis de Christo testimonium, et quod duodecim annorum in Hierusalem relictus sit, et baptismum Joannis, et quot annorum Dominus baptizatus sit, et quia in quintodecimo anno Tiberii Caesaris. Et in magisterio illud quod ad divites dictum est: « Vae vobis, divites, quoniam percipitis consolationem vestram; » et: « Vae vobis qui satiati estis, quoniam esurietis; et qui ridetis nunc, quia plorabitis; » et: « Vae vobis cum benedixerint vos homines omnes. Secundum haec enim faciebant et pseudoprophetis patres vestri; » et omnia hujusmodi per solum Lucam cognovimus, et plurimos actus Domini per hunc didicimus, quibus et omnes utuntur: ut multitudinem piscium, quam concluserunt hi qui cum Petro erant, jubente Domino ut mitterent retia; et illa quae per octodecim annos passa, curata fuerat mulier die Sabbatorum; et de hydropico, quem curavit Dominus die Sabbatorum, et quemadmodum disputavit quod curavit in hac die; et quemadmodum docuit discipulos primos discubitus non appetere: et quoniam pauperes et debiles vocare oportet, qui non habent retribuere.

Et qui pulsat nocte sumere panes, et propter instantiam importunitatis sumit; et quoniam apud Pharisaeum recumbente eo, peccatrix mulier osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat, et quaecunque propter eam dixit ad Simonem Dominus de duobus debitoribus; et de parabola divitis illius qui reclusit quae ei nata fuerant, cui et dictum est: « In hac nocte expostulabunt animam tuam a te: quae autem praeparasti, cujus erunt? » similiter autem et divitis qui vestieba-

tur purpura, et jocundabatur nitide: et egenum Lazarum: et eam quam ad discentes suos dixit responsionem, quando dixerunt ei: « Adjice nobis fidem; » et eam quae ad Zacchaeum publicanum facta est, confabulationem; et de Pharisaeo et de Publicano, qui simul adorabant in templo. Et de decem leprosis, quos simul emundavit in via; et quoniam de vicis et plateis claudos et luscos jussit colligi ad nuptias; et parabolam judicis qui Deum non timebat, quem instantia viduae fecit ut vindicaret eam. Et de arbore fici, quae erat in vinea, quae non faciebat fructum. Et alia multa sunt, quae inveniri possunt a solo Luca dicta esse, quibus et Marcion et Valentinus utuntur. Et super haec omnia, post resurrectionem, in via ad discipulos suos quae locutus est, et quemadmodum cognoverunt eum in fractione panis.

4. Necesse est igitur et reliqua quae ab eo dicta sunt, recipere eos, aut et his renuntiare. Non enim conceditur eis, ab his qui sensum habent, quaedam quidem recipere ex his quae a Luca dicta sunt, quasi sint veritatis; quaedam vero refutare, quasi non cognovisset veritatem. Et si quidem refutaverint hi qui a Marcione sunt, non habebunt Evangelium: (hoc enim quod est secundum Lucam, quemadmodum praediximus, decurtantes, gloriantur se habere Evangelium) hi vero qui a Valentino sunt, cessabunt a plurimo vaniloquio suo: (ex hoc enim multas occasiones subtililoquii sui acceperunt, interpretari audentes male, quae ab hoc bene sunt dicta) si autem et reliqua suscipere cogentur, intendentes perfecto

Evangelio, et apostolorum doctrinae, oportet eos poenitentiam agere, ut salvari a periculo possint.

CAPUT XV

Ebionaeos perstringit, qui Pauli auctoritatem elevabant, hancque confirmat ex Lucae scriptis, quae universa atque integra admitti necesse est. Tum Gnosticorum hypocrisi, dolis ac superbia castigatis, concludit ex hactenus dictis, apostolos, eorumque discipulos unicum Deum mundi creatorem novisse ac praedicasse.

1. Eadem autem dicimus iterum et his, qui Paulum apostolum non cognoscunt, quoniam aut reliquis verbis Evangelii, quae per solum Lucam in nostram venerunt agnitionem, renuntiare debent, et non uti eis; aut si illa recipiunt omnia, habent necessitatem recipere etiam eam testificationem, quae est de Paulo, dicente ipso, primum quidem Dominum ei de coelo locutum: « Saule, Saule, quid me persequeris? Ego sum Jesus Christus, quem tu persequeris: » deinde Ananiae, de eo dicentem: « Vade, quoniam vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum in gentibus, et regibus, et filiis Israel. Ego enim demonstrabo ei ex ipso, quanta oporteat eum pati propter nomen meum. » Qui igitur non recipiunt eum qui sit electus a Deo ad hoc, ut fiducialiter portet nomen ejus, quod sit missus ad quas praediximus gentes, electionem Domini contemnunt, et seipsos segregant ab apostolorum conventu. Neque enim contendere possunt Paulum non esse apostolum, quando in hoc sit electus: neque Lucam mendacem esse possunt ostendere, veri-

tatem nobis cum omni diligentia annuntiantem. Fortassis enim et propter hoc operatus est Deus plurima Evangelii ostendi per Lucam, quibus necesse haberent omnes uti: ut sequenti testificationi ejus, quam habet de actibus et doctrina apostolorum, omnes sequentes, et regulam veritatis inadulteratam habentes, salvari possint. Igitur testificatio ejus vera, et doctrina apostolorum manifesta, et firma et nihil subtrahens, neque alia quidem in abscondito, alia vero in manifesto docentium.

2. Hoc enim fictorum, et prave seducentium, et hypocritarum est molimen, quemadmodum faciunt hi, qui a Valentino sunt. Hi enim ad multitudinem, propter eos, qui sunt ab Ecclesia, quos communes ecclesiasticos ipsi dicunt, inferunt sermones, per quos capiunt simpliciores, et illiciunt eos, simulantes nostrum tractatum, ut saepius audiant; qui etiam queruntur de nobis, quod cum similia nobiscum sentiant, sine causa abstineamus nos a communicatione eorum, et cum eadem dicant, et eamdem habeant doctrinam, vocemus illos haereticos, et cum dejecerint aliquos a fide per quaestiones, quae fiunt ab eis, et non contradicentes auditores suos fecerint, his separatim inenarrabile Plenitudinis suae enarrant mysterium. Decipiuntur autem omnes, qui quod est in verbis verisimile, se putant posse discernere a veritate. Suasorius enim et verisimilis est, et exquirens fucos error: sine fuco autem est veritas, et propter hoc pueris credita est. Et si aliquis quidem ex his qui audiunt eos, quaerat solutiones, vel contradicat eis, hunc quasi non

capientem veritatem, et non habentem de superioribus a Matre sua semen affirmantes, in totum nihil dicunt ei, mediarum partium dicentes esse illum, hoc est psychicorum. Si autem aliquis, quasi parvam ovem, deditum semetipsum ipsis praebeat, imitatione illorum et redemptionem illorum consecutus; est inflatus iste talis, neque in coelo, neque in terra putat se esse, sed intra Pleroma introisse, et complexum jam angelum suum; cum institorio, et supercilio incedit, gallinacei elationem habens. Sunt autem apud eos, qui dicunt, oportere bonam conversationem assequi eum hominem, qui sit desuper adveniens: propter hoc et fingunt quodam supercilio gravitatem. Plurimi autem et contemptores facti, quasi jam perfecti, sine reverentia, et in contemptu viventes, semetipsos spiritales vocant, et se nosse jam dicunt eum, qui sit intra Pleroma ipsorum, refrigerii locum.

3. Nos autem revertamur ad eumdem tractatum. Cum enim declaratum sit manifeste, quoniam neminem alium Deum vocaverunt, vel Dominum nominaverunt, qui veritatis fuerunt praedicatores, et apostoli libertatis, nisi solum verum Deum Patrem et Verbum ejus, qui in omnibus principatum habet; manifeste erit ostensum, factorem coeli et terrae, qui locutus sit cum Moyse, et legis dispositionem ei dederit, qui convocaverit patres, Dominum Deum confiteri eos, et alterum neminem nosse. Manifesta igitur et apostolorum, et discentium eorum ex verbis ipsorum de Deo facta est sententia.

CAPUT XVI

Ex apostolorum scriptis demonstrat, unum et eumdem esse Jesum Christum, unigenitum Dei Filium, verum Deum ac verum hominem.

1. Quoniam autem sunt qui dicunt, Jesum quidem receptaculum Christi fuisse, in quem desuper quasi columbam descendisse Christum, et cum indicasset innominabilem Patrem, incomprehensibiliter et invisibiliter intrasse in Pleroma: (non enim solum ab hominibus, sed ne ab his quidem, quae in coelo sunt, Potestatibus et Virtutibus apprehensum eum) et esse quidem Filium Jesum, Patrem vero Christum, et Christi Patrem, Deum: alii vero putative eum passum, naturaliter impassibilem exsistentem; qui autem a Valentino sunt, Jesum quidem, qui sit ex dispositione, ipsum esse, qui per Mariam transierit, in quem illum de superiori Salvatorem descendisse, quem et Christum dici, quoniam omnium qui emisissent eum, haberet vocabula: participasse autem cum eo, qui esset ex dispositione, de sua virtute et de suo nomine, ut mors per hunc evacuaretur, cognosceretur autem Pater per eum Salvatorem quidem qui desuper descendisset, quem et ipsum receptaculum Christi et universae Plenitudinis esse dicunt, lingua quidem unum Christum Jesum confitentes, divisi vero sententia: (etenim haec est ipsorum regula, quemadmodum praediximus, ut alterum quidem Christum fuisse dicant, qui ab Unigenito ad correctionem Plenitudinis praemissus est; alterum vero Salvatorem esse in glorificationem Patris missum; alterum

vero ex dispositione, quem et passum dicunt, recurrente in Pleroma Salvatore, qui Christum portabat) necesse habemus, universam apostolorum de Domino nostro Jesu Christo sententiam adhibere et ostendere, eos non solum nihil tale sensisse de eo, verum amplius et significasse per Spiritum sanctum, qui inciperent talia docere, submissi a Satana, uti quorumdam fidem everterent, et abstraherent eos a vita.

2. Et quoniam Joannes unum et eumdem novit Verbum Dei, et hunc esse Unigenitum, et hunc incarnatum esse pro salute nostra, Jesum Christum Dominum nostrum, sufficienter ex ipsius Joannis sermone demonstravimus. Sed et Matthaeus unum et eumdem Jesum Christum cognoscens, eam quae est secundum hominem generationem ejus ex Virgine exponens, sicut promisit Deus David, ex fructu ventris ejus excitaturum se aeternum Regem, multo prius Abrahae eamdem faciens promissionem, ait: « Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. » Dehinc ut liberaret mentem nostram a suspicione, quae est circa Joseph, ait: « Christi autem generatio sic erat. Cum esset desponsata mater ejus Joseph, priusquam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. » Dehinc cum Joseph cogitaret dimittere Mariam, quoniam praegnans erat, assistentem ei angelum Dei, dicentem: « Ne timueris assumere Mariam conjugem tuam: quod enim habet in utero, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum: hic enim salvabit populum suum a peccatis suis. Hoc autem factum est, ut impleretur quod dictum est

a Domino per prophetam: Ecce, virgo accipiet in utero, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est, Nobiscum Deus; » manifeste significans, et eam promissionem, quae fuerat ad patres, impletam, ex virgine natum Filium Dei, et hunc ipsum esse Salvatorem Christum, quem prophetae praedicaverunt: non, sicut ipsi dicunt, Jesum quidem ipsum esse, qui ex Maria sit natus, Christum vero qui desuper descendit. Caeterum potuerat dicere Matthaeus: « Jesu vero generatio sic erat, » sed praevidens Spiritus sanctus depravatores, et praemuniens contra fraudulentiam eorum, per Matthaeum ait: « Christi autem generatio sic erat; » et quoniam hic est Emmanuel, ne forte tantum eum hominem putaremus, (« non enim ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex voluntate Dei, Verbum caro factum est ») neque alium quidem Jesum, alterum autem Christum suspicaremur fuisse, sed unum et eumdem sciremus esse.

3. Hoc ipsum interpretatus est Paulus, scribens ad Romanos: « Paulus apostolus Jesu Christi, praedestinatus in Evangelium Dei, quod promisit per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute, per Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum, Jesu Christi Domini nostri. » Et iterum ad Romanos scribens de Israel, dicit: « Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus super omnes benedictus in saecula. » Et iterum in Epistola quae est ad Galatas, ait: « Cum autem venit plenitudo

temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem percipiamus; » manifeste significans unum quidem Deum, qui per prophetas promissionem de Filio fecerit; unum autem Jesum Christum Dominum nostrum, qui de semine David secundum eam generationem, quae est ex Maria; hunc destinatum Filium Dei Jesum Christum in virtute secundum Spiritum sanctitatis, ex resurrectione mortuorum, ut sit primogenitus mortuorum, quemadmodum et primogenitus in omni conditione; Filius Dei, hominis filius factus, ut per eum adoptionem percipiamus, portante homine, et capiente, et complectente Filium Dei. Propter hoc et Marcus ait: « Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei, quemadmodum scriptum est in prophetis; » unum et eumdem sciens Filium Dei Jesum Christum, qui a prophetis annuntiatus est, qui ex fructu ventris David Emmanuel, « magni consilii » Patris « nuntius, » per quem oriri fecit Deus domui David Orientem et justum, et erexit ei cornu salutis, et « suscitavit testimonium in Jacob, » quemadmodum David causas generationis ejus disserens ait, « et legem posuit in Israel, ut cognoscat generatio altera: filii qui nascentur ex his, et ipsi exsurgentes enarrabunt filiis suis, ut ponant in Deum spem suam, et praecepta ejus exquirant. » Et rursus angelus evangelizans Mariae, ait: « Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit ei Dominus thronum David patris sui; » eum qui sit Filius Altissimi, hunc eumdem et David filium confitens. Cujus et David dispositionem

adventus per Spiritum cognoscens, per quam dominans est omnium vivorum et mortuorum, Dominum eum confessus est, sedentem ad dextram Patris altissimi.

4. Et Simeon autem ille, qui responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum eum mortem, nisi prius videret Christum Jesum, hunc manibus accipiens Virginis primogenitum, benedixit Deum, et dixit: « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, et gloriam populi tui Israel; » infantem, quem in manibus portabat Jesum, natum ex Maria, ipsum confitens esse Christum Filium Dei, lumen hominum, et gloriam ipsius Israel, et pacem et refrigerium eorum qui in dormitionem ierunt. Jam enim spoliabat homines, auferens ignorantiam ipsorum, suam autem agnitionem eis donans, et dispartitionem faciens eorum qui cognoscebant eum, quemadmodum Isaias: « Voca, inquit, nomen ejus, Velociter spolia, celeriter dispartire. » Haec sunt autem opera Christi. Ipse igitur erat Christus, quem portans Simeon benedicebat Altissimum; quem pastores cum vidissent, glorificabant Deum; quem Joannes, cum adhuc in ventre matris suae esset, et ille in vulva Mariae, Dominum cognoscens, exsultans salutabat; quem magi videntes, et adorantes, et afferentes munera, quae praediximus, et substernentes semetipsos aeterno Regi, per alteram abierant viam, non jam per Assyriorum revertentes viam. « Priusquam enim cognoscet

puer vocare patrem, aut matrem, accipiet virtutem Damasci, et spolia Samariae, contra regem Assyriorum; » occulte quidem, sed potenter manifestans, quoniam absconsa manu expugnabat Dominus Amalech. Propter hoc et pueros eripiebat, qui erant in domo David, bene sortiti illo tempore nasci, ut eos praemitteret in suum regnum; ipse infans cum esset, infantes hominum martyres parans, propter Christum, qui in Bethleem natus est Judae, in civitate David, interfectos secundum Scripturas.

5. Propter quod et Dominus discipulis post resurrectionem dicebat: « O insensati, et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt prophetae! Nonne haec oportebat pati Christum, et introire in claritatem suam? » Et iterum ait eis: « Hi sunt sermones, quos locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam oportet impleri omnia scripta in lege Moysi et prophetis, et psalmis de me. Tunc adaperuit eorum sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit ad eos: Quoniam sic scriptum est, Christum pati, et resurgere a mortuis, et praedicari in nomine ejus remissionem peccatorum in omnes gentes. » Hic autem est, qui ex Maria natus est. « Oportet enim, inquit, Filium hominis multa pati, et reprobari, et crucifigi, et die tertio resurgere. » Non ergo alterum filium hominis novit Evangelium, nisi hunc qui ex Maria, qui et passus est; sed neque Christum avolantem ante passionem a Jesu; sed hunc qui natus est, Jesum Christum novit Dei Filium, et eumdem hunc passum resurrexisse, quemadmodum Joannes Domini discipulus confirmat,

dicens: « Haec autem scripta sunt, ut credatis quoniam Jesus est, Filius Dei, et ut credentes vitam aeternam habeatis in nomine ejus; » providens has blasphemas regulas, quae dividunt Dominum, quantum ex ipsis attinet, ex altera et altera substantia dicentes eum factum. Propter quod et in epistola sua sic testificatus est nobis: « Filioli, novissima hora est, et quemadmodum audistis quoniam Antichristus venit, nunc Antichristi multi facti sunt: unde cognoscimus quoniam novissima hora est. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifestarentur quoniam non sunt ex nobis. Cognoscite ergo quoniam omne mendacium extraneum est, et non est de veritate. Quis est mendax, nisi qui negat quoniam Jesus non est Christus? hic est Antichristus. »

6. Quia autem omnes, qui praedicti sunt, etsi lingua quidem confitentur unum Jesum Christum, semetipsos derident, aliud quidem sentientes, aliud vero dicentes; (etenim argumenta illorum varia, quemadmodum ostendimus) alterum quidem passum, et natum hunc esse Christum annuntiant, et esse alterum eorum Demiurgi, (autem) qui sit ex dispositione, vel eum qui sit ex Joseph, quemque passibilem argumentantur; alterum vero eorum ab invisibilibus et inenarrabilibus descendisse, quem et invisibilem, et incomprehensibilem, et impassibilem esse confirmant, errantes a veritate, eo quod absistat sententia eorum ab eo qui est vere Deus: nescientes quoniam hujus Verbum unigenitus,

qui semper humano generi adest, unitus et consparsus suo plasmati secundum placitum Patris, et caro factus, ipse est Jesus Christus Dominus noster, qui passus est pro nobis, et surrexit propter nos; et rursus venturus in gloria Patris, ad resuscitandum universam carnem, et ad ostensionem salutis, et regulam justi judicii ostendere omnibus, qui sub ipso facti sunt. Unus igitur Deus Pater, quemadmodum ostendimus, et unus Christus Jesus Dominus noster, veniens per universam dispositionem, et omnia in semetipsum recapitulans. In omnibus autem est et homo, plasmatio Dei: et hominem ergo in semetipsum recapitulans est, invisibilis visibilis factus, et incomprehensibilis factus comprehensibilis, et impassibilis passibilis, et Verbum homo, universa in semetipsum recapitulans: uti sicut in supercoelestibus, et spiritalibus, et invisibilibus princeps est Verbum Dei; sic et in visibilibus, et corporalibus principatum habeat, in semetipsum primatum assumens, et apponens semetipsum caput Ecclesiae, universa attrahat ad semetipsum apto in tempore.

7. Nihil enim incomptum atque intempestivum apud eum, quomodo nec incongruens est apud Patrem. Praecognita sunt enim omnia a Patre, perficiuntur autem a Filio, sicut congruum et consequens est, apto tempore. Propter hoc properante Maria ad admirabile vini signum, et ante tempus volente participare compendii poculo, Dominus repellens ejus intempestivam festinationem, dixit: « Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea; » exspectans eam

horam quae est a Patre praecognita. Propter hoc cum saepe vellent eum homines apprehendere: « Nemo, inquit, immisit manus ei: nondum enim venerat hora apprehensionis, » nec tempus passionis, quod praecognitum fuerat a Patre; quemadmodum et Habacuc propheta ait: « In eo cum appropinquarint anni, cognosceris, in adventu temporis ostenderis, in eo quod turbetur anima mea in ira, misericordiae tuae memoraberis. » Sed et Paulus ait: « Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum. » Per quod manifestum est, quoniam omnia quae praecognita erant a Patre, ordine, et tempore, et hora praecognita et apta perfecit Dominus noster, unus quidem et idem exsistens, dives autem et multus. Diviti enim et multae voluntati Patris deservit, cum sit ipse Salvator eorum qui salvantur, et Dominus eorum qui sunt sub dominio, et Deus eorum quae constituta sunt, et Unigenitus Patris, et Christus qui praedicatus est, et Verbum Dei incarnatus, cum advenisset plenitudo temporis, in quo filium hominis fieri oportebat Filium Dei.

8. Igitur omnes extra dispositionem sunt, qui sub obtentu agnitionis alterum quidem Jesum intelligunt, alterum autem Christum, et alterum Unigenitum (ab hoc autem rursum esse Verbum); et alterum Salvatorem, quem etiam eorum qui in deminoratione facti sunt Aeones, emissionem esse dicunt hi qui sunt erroris discipuli: qui a foris quidem oves, (per eam enim quam habent extrinsecus loquelam, similes nobis apparent, eadem nobiscum loquentes) intrinsecus vero lupi. Sententia enim eorum homicidialis,

deos quidem plures confingens, et patres multos simulans; comminuens autem et per multa dividens Filium Dei: quos et Dominus nobis cavere praedixit, et discipulus ejus Joannes in praedicta Epistola fugere eos praecepit dicens: « Multi seductores exierunt in hunc mundum; qui non confitentur Jesum Christum in carne venisse. Hic est seductor et Antichristus. Videte eos, ne perdatis quod operati estis. » Et rursus in Epistola ait: « Multi pseudo-prophetae exierunt de saeculo. In hoc cognoscite Spiritum Dei: Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus qui solvit Jesum, non est ex Deo, sed de Antichristo est. » Haec autem similia sunt illi, quod in Evangelio dictum est, quoniam « Verbum caro factum est, et inhabitavit in nobis. » Propter quod rursus in Epistola clamat: « Omnis qui credit quia Jesus est Christus, ex Deo natus est; » unum et eumdem sciens Jesum Christum, cui apertae sunt portae coeli, propter carnalem ejus assumptionem: qui etiam in eadem carne in qua passus est, veniet, gloriam revelans Patris.

9. Et Paulus autem his consentiens, Romanos alloquens, ait: « Multo magis hi, qui abundantiam gratiae et justitiae accipiunt in vitam, regnabunt per unum Jesum Christum. » Nescit ergo eum qui evolavit Christum a Jesu; neque eum novit Salvatorem qui sursum est, quem impassibilem dicunt. Si enim alter quidem passus est, alter autem impassibilis mansit; et alter quidem natus est, alter vero in eum, qui natus est, descendit, et rursus reliquit eum; non unus, sed duo

monstrantur. Quoniam autem unum eum, et qui natus est, et qui passus est, Christum Jesum novit Apostolus, in eadem Epistola iterum dicit: « An ignoratis, quoniam quotquot baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ejus baptizati sumus? ut quemadmodum resurrexit Christus a mortuis, sic et nos in novitate vitae ambulemus. »

Rursus autem significans Christum passum, et ipsum esse Filium Dei, qui pro nobis mortuus est, et sanguine suo redemit nos in praefinito tempore, ait: « Utquid enim Christus, cum adhuc essemus infirmi, secundum tempus pro impiis mortuus est? Commendat autem suam dilectionem Deus in nobis, quoniam cum adhuc essemus peccatores, pro nobis Christus mortuus est: multo magis justificati nunc in sanguine ejus, salvi erimus per ipsum ab ira. Si enim cum essemus inimici, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ejus. » Hunc eumdem qui apprehensus, et passus est, et effudit sanguinem suum pro nobis, hunc Christum, hunc Filium Dei manifestissime annuntians, qui etiam surrexit, et assumptus est in coelos, quemadmodum ipse ait: « Simul autem Christus mortuus est, imo et resurrexit, qui est in dextera Dei. » Et iterum: « Scientes quoniam Christus resurgens a mortuis, jam non moritur. » (Praevidens enim et ipse per Spiritum subdivisiones malorum magistrorum, et omnem ipsorum occasionem dissensionis volens abscindere, ait quae praedicta sunt.) « Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, inhabitat in vobis; qui suscitavit Christum a mortuis, vivifica-

bit et mortalia corpora vestra. » Unum quod non exclamat ad eos, qui volunt audire: Nolite errare; unus et idem est Christus Jesus Filius Dei, qui per passionem reconciliavit nos Deo, et resurrexit a mortuis, qui est in dextera Patris, et perfectus in omnibus: qui cum vapularet, non repercutiebat; « qui cum pateretur, non est minitatus; » et cum tyrannidem pateretur, rogabat Patrem ut ignosceret his qui se crucifixerant. Ipse enim vere salvavit: ipse est Verbum Dei, ipse Unigenitus a Patre, Christus Jesus Dominus noster.

CAPUT XVII

Non Christum aut Salvatorem, sed Spiritum sanctum in Jesum descendisse docent apostoli. Cur descenderit, explicatur.

1. Etenim potuerunt dicere apostoli, Christum descendisse in Jesum; aut illum superiorem Salvatorem, in eum qui sit dispositionis; aut illum qui est ab invisibilibus, in eum qui est Demiurgi: sed nihil quidem tale neque scierunt, neque dixerunt; si enim scissent et dixissent utique: quod autem erat, hoc et dixerunt, Spiritum Dei sicut columbam descendisse in eum, hunc Spiritum, de quo ab Isaia dictum est: « Et requiescet super eum Spiritus Dei; » sicut praediximus. Et iterum: « Spiritus Domini super me, propter quod unxit me. » Iste Spiritus, de quo ait Dominus: « Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. » Et iterum potestatem regenerationis in Deum dans discipulis, dicebat eis: « Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus

sancti. » Hunc enim promisit per prophetas effundere in novissimis temporibus super servos et ancillas, ut prophetent: unde et in Filium Dei, filium hominis factum, descendit, cum ipso assuescens habitare in genere humano, et requiescere in hominibus, et habitare in plasmate Dei, voluntatem Patris operans in ipsis, et renovans eos a vetustate in novitatem Christi.

2. Hunc Spiritum petiit David humano generi, dicens: « Et Spiritu principali confirma me. » Quem et descendisse Lucas ait post ascensum Domini super discipulos in Pentecoste, habentem potestatem omnium gentium ad introitum vitae et adapertionem Novi Testamenti: unde et omnibus linguis conspirantes hymnum dicebant Deo, Spiritu ad unitatem redigente distantes tribus, et primitias omnium gentium offerente Patri. Unde et Dominus pollicitus est mittere se Paracletum, qui nos aptaret Deo. Sicut enim de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis: ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poteramus, sine aqua quae de coelo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat; sic et nos, lignum aridum exsistentes primum nunquam fructificaremus vitam, sine superna voluntaria pluvia. Corpora enim nostra per lavacrum illam, quae est ad incorruptionem, unitatem acceperunt; animae autem per Spiritum. Unde et utraque necessaria, cum utraque proficiunt in vitam Dei, miserante Domino nostro Samaritanae illi praevaricatrici, quae in uno viro non mansit, sed fornicata est in multis nuptiis, et ostendente ei, et pollicente

aquam vivam, ut ulterius non sitiret, neque occuparetur ad humectationem aquae laboriosae, habens in se potum salientem in vitam aeternam. Quod Dominus accipiens munus a Patre, ipse quoque his donavit qui ex ipso participantur, in universam terram mittens Spiritum sanctum.

3. Hanc muneris gratiam praevidens Gedeon ille Israelita, quem elegit Deus, ut salvaret populum Israel de potentatu alienigenarum, demutavit petitionem, et super vellus lanae, in quo tantum primum ros fuerat, quod erat typus populi, ariditatem futuram prophetans; hoc est, non jam habituros eos a Deo Spiritum sanctum, sicut Isaias ait: « Et nubibus mandabo ne pluant super eam; » in omni autem terra fieri ros, quod est Spiritus Dei, qui descendit in Dominum, « spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et virtutis, spiritus scientiae et pietatis, spiritus timoris Dei; » quem ipsum iterum dedit Ecclesiae, in omnem terram mittens de coelis Paracletum, ubi et diabolum, tanquam fulgur, projectum ait Dominus. Quapropter necessarius nobis est ros Dei, ut non comburamur, neque infructuosi efficiamur, et ubi accusatorem habemus, illic habeamus et Paracletum: commendante Domino Spiritui sancto suum hominem, qui inciderat in latrones, cui ipse misertus est, et ligavit vulnera ejus, dans duo denaria regalia, ut per Spiritum imaginem et inscriptionem Patris et Filii accipientes, fructificemus creditum nobis denarium, multiplicatum Domino annumerantes.

4. Spiritu itaque descendente super praedictam dispositionem, et Filio Dei unigenito, qui

et Verbum est Patris, veniente plenitudine temporis, incarnato in homine propter hominem, et omnem secundum hominem dispositionem implente Jesu Christo Domino nostro, uno et eodem exsistente, sicut et ipse Dominus testatur, et apostoli confitentur, et prophetae annuntiant; mendaces ostensae sunt universae doctrinae eorum, qui octonationes et quaternationes putativas adinvenerunt, et subdivisiones excogitaverunt: qui Spiritum quidem interimunt, alium autem Christum, et alium Jesum intelligunt, et non unum Christum, sed plures fuisse docent: et si unitos eos dixerint, iterum ostendunt eum quidem participasse passionem, hunc autem impassibilem perseverasse; et hunc quidem ascendisse in Pleroma, hunc autem in medietate remansisse; et hunc quidem in invisibilibus et innominabilibus epulari et oblectari, hunc autem assidere Demiurgo, evacuantem eum virtute. Unde oportebit et te, et omnes qui intendunt huic scripturae, et solliciti sunt pro sua salute, non, cum audiunt forinsecus eorum sermones, sponte succumbere. Similia enim loquentes fidelibus, sicut praediximus, non solum dissimilia sapiunt, sed et contraria, et per omnia plena blasphemiis, per quae interficiunt eos, qui per similitudinem verborum dissimile affectionis eorum in se attrahunt venenum: sicut quis aquae mistum gypsum dans pro lacte, seducat per similitudinem coloris, sicut quidam dixit superior nobis, de omnibus qui quolibet modo depravant quae sunt Dei, et adulterant veritatem. In Dei lacte gypsum male miscetur.

CAPUT XVIII

Redit ad susceptum argumentum, probatque tum ex Pauli, tum ex ipsius Domini verbis, Christum a Jesu dividendum non esse, nec Filium Dei specie tenus, sed vere hominem factum esse.

1. Ostenso manifeste, quod in principio Verbum exsistens apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper aderat generi humano, hunc in novissimis temporibus secundum praefinitum tempus a Patre, unitum suo plasmati, passibilem hominem factum; exclusa est omnis contradictio dicentium: Si ergo tunc natus est, non erat ergo ante Christus. Ostendimus enim, quia non tunc coepit Filius Dei, exsistens semper apud Patrem; sed quando incarnatus est, et homo factus, longam hominum expositionem in seipso recapitulavit, in compendio nobis salutem praestans, ut quod perdideramus in Adam, id est secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus.

2. Quia enim non erat possibile, eum hominem, qui semel victus fuerat, et elisus per inobedientiam, replasmare et obtinere bravium victoriae; iterum autem impossibile erat, ut salutem perciperet, qui sub peccato ceciderat: utraque operatus est Filius, Verbum Dei exsistens, a Patre descendens, et incarnatus, et usque ad mortem descendens, et dispensationem consummans salutis nostrae, cui credere nos indubitate adhortans, iterum dicit: « Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendit in coelum? hoc est Christum deducere. Aut, quis descendit in abyssum? hoc est Christum

a mortuis liberare. » Deinde infert: « Quoniam si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et credideris in corde tuo, quoniam Deus illum excitavit a mortuis, salvus eris. » Et rationem reddidit propter quam haec fecit Verbum Dei, dicens: « In hoc enim Christus et vixit, et mortuus est, et resurrexit, ut vivorum et mortuorum dominetur. » Et iterum ad Corinthios scribens ait: « Nos autem annuntiamus Christum Jesum crucifixum. » Et infert: « Calix benedictionis, quem benedicimus, nonne communicatio sanguinis est Christi? »

3. Quis est autem qui communicavit nobis de escis? Utrum is qui ab illis affingitur sursum Christus, superextensus Horo, id est fini, et formavit eorum Matrem: an vero qui ex virgine est Emmanuel, qui butyrum et mel manducavit, de quo ait propheta: « Et homo est, et quis cognoscet eum? » Hic idem a Paulo annuntiabatur: « Tradidi enim, inquit, vobis in primis, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, et quoniam sepultus est, et resurrexit tertia die secundum Scripturas. » Manifestum est igitur, quoniam Paulus alterum Christum nescit, nisi hunc solum, qui et passus est, et sepultus est, et resurrexit, qui et natus est, quem et hominem dixit. Cum enim dixisset: « Si autem Christus annuntiatur, quoniam a mortuis resurrexit; » intulit, rationem reddens incarnationis ejus: « Quoniam per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. » Et ubique in passione Domini nostri, et humanitate, et mortificatione ejus, Christi usus est nomine, quemadmodum in illo: « Noli esca tua perdere illum, pro

quo Christus mortuus est. » Et iterum: « Nunc autem in Christo vos, qui aliquando fuistis longe, facti estis proximi in sanguine Christi. » Et iterum: « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quoniam scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno. » Et iterum: « Et periet infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est, » significans quoniam non Christus impassibilis descendit in Jesum, sed ipse, Jesus Christus cum esset, passus est pro nobis, qui decubuit et resurrexit, qui descendit et ascendit, Filius Dei, filius hominis factus: quemadmodum et ipsum nomen significat. In Christi enim nomine subauditur qui unxit, et ipse qui unctus est, et ipsa unctio in qua unctus est. Et unxit quidem Pater, unctus est vero Filius, in Spiritu, qui est unctio; quemadmodum per Isaiam ait sermo: « Spiritus Dei super me, propter quod unxit me; » significans et ungentem Patrem, et unctum Filium, et unctionem, qui est Spiritus.

4. Et ipse autem Dominus manifestum facit eum, qui est passus. Cum enim interrogasset discipulos: « Quem me homines dicunt esse filium hominis? » Petrus cum respondisset: « Tu es Christus Filius Dei vivi; » et cum laudatus esset ab eo, « Quoniam caro et sanguis non revelavit ei, sed Pater qui est in coelis; » manifestum fecit, quoniam filius hominis hic est Christus Filius Dei vivi: « Ex eo enim, inquit, coepit demonstrare discentibus, quoniam oportet illum Hierosolymam ire, et multa pati a sacerdotibus, et reprobari, et crucifigi, et tertia die resurgere. » Ipse qui

agnitus est a Petro Christus, qui eum beatum dixit, quoniam Pater ei revelavit Filium Dei vivi, dixit, semetipsum oportere multa pati et crucifigi: et tunc Petro increpavit, secundum opinionem hominum putanti eum esse Christum, et passionem ejus aversanti, et dixit discipulis: « Si quis vult post me venire, neget se, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvare, perdet illam; et qui eam perdiderit propter me, salvabit eam. » Haec enim Christus manifeste dicebat, ipse exsistens Salvator eorum, qui propter suam confessionem in mortem traderentur, et perderent animas suas.

5. Si autem ipse non erat passurus, sed avolaret a Jesu, quid et adhortabatur discipulos tollere crucem, et sequi se, quam ipse non tollebat secundum ipsos, sed relinquebat dispositionem passionis? Quoniam enim non de agnitione superioris crucis dicit hoc, quemadmodum quidam audent exponere, sed de passione, quam oportebat illum pati, et ipsi discipuli ejus futurum erat ut paterentur, intulit: « Quicunque enim salvaverit animam suam perdet eam; et qui perdiderit, inveniet eam. » Et quoniam passuri erant discipuli ejus propter eum, dicebat Judaeis: « Ecce mitto ad vos prophetas, et sapientes, et doctores, et ex his interficietis, et crucifigetis. » Et discipulis dicebat: « Ante duces et reges stabitis propter me, et ex vobis flagellabunt, et interficient, et persequentur a civitate in civitatem. » Sciebat igitur et eos qui persecutionem passuri essent, sciebat et eos qui flagellari et occidi haberent propter eum. Et non altera de cruce, sed de passione,

quam passurus esset ipse prior, post deinde discipuli ejus, erat ergo sermo ejus, adhortantis etiam illos: « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; timete autem magis eum, qui habet potestatem, et corpus, et animam mittere in gehennam; » et servare eas quae essent ad eum confessiones. Etenim ipse confessurum se promittebat coram Patre suo eos, qui confiterentur nomen suum coram hominibus; negaturum autem eos qui negarent eum, et confusurum qui confunderentur confessionem ejus.

Et cum haec ita se habeant, ad tantam temeritatem progressi sunt quidam, ut etiam martyres spernant, et vituperent eos qui propter Domini confessionem occiduntur, et sustinent omnia a Domino praedicta, et secundum hoc conantur vestigia assequi passionis Domini, passibilis martyres facti; quos et concedimus ipsis martyribus. Cum enim inquiretur sanguis eorum, et gloriam consequentur, tunc a Christo confundentur omnes qui inhonoraverunt eorum martyrium. Et ex hoc autem quod Dominus in cruce dixerit: « Pater, remitte eis, non enim sciunt quid faciunt; » longanimitas, et patientia, et misericordia, et bonitas Christi ostenditur, ut et ipse pateretur, et ipse excusaret eos qui se male tractassent. Verbum enim Dei quod nobis dixit: « Diligite inimicos vestros, et orate pro eis qui vos oderunt; » ipse hoc fecit in cruce, in tantum diligens humanum genus, ut etiam pro his, qui se interficerent, postularet. Si quis autem, quasi duorum exsistentium, judicium de

his faciat, invenietur multo melior, et patientior, et vere bonus, qui in vulneribus ipsis, et plagis, et reliquis quae in eum commiserunt, beneficus est, nec memor est in se commissae malitiae, eo qui avolavit, nec ullam injuriam, neque opprobrium passus est.

6. Hoc autem idem et illis occurrit, qui dicunt eum putative passum. Si enim non vere passus est, nulla gratia ei, cum nulla fuerit passio: et nos, cum incipiemus vere pati, seducens videbitur, adhortans nos vapulare, et alteram praebere maxillam, si ipse illud non prior in veritate passus est: et quemadmodum illos seduxit, ut videretur eis ipse hoc quod non erat; et nos seducit, adhortans perferre ea, quae ipse non pertulit. Erimus autem et super magistrum, dum patimur et sustinemus, quae neque passus est, neque sustinuit magister. Sed quoniam solus vere magister Dominus noster; et bonus vere Filius Dei, et patiens, Verbum Dei Patris filius hominis factus. Luctatus est enim, et vicit: erat enim homo pro patribus certans, et per obedientiam inobedientiam persolvens: alligavit enim fortem, et solvit infirmos, et salutem donavit plasmati suo, destruens peccatum. Est enim piissimus et misericors Dominus, et amans humanum genus.

7. Haerere itaque fecit et adunivit, quemadmodum praediximus, hominem Deo. Si enim homo non vicisset inimicum hominis, non juste victus esset inimicus. Rursus autem, nisi Deus donasset salutem, non firmiter haberemus eam. Et nisi homo conjunctus fuisset Deo, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis. Oportuerat

enim mediatorem Dei et hominum, per suam ad utrosque domesticitatem, in amicitiam et concordiam utrosque reducere, et facere, ut et Deus assumeret hominem, et homo se dederet Deo.

Qua enim ratione filiorum adoptionis ejus participes esse possemus, nisi per Filium eam, quae est ad ipsum, recepissemus ab eo communionem; nisi Verbum ejus communicasset nobis, caro factum? Quapropter et per omnem venit aetatem, omnibus restituens eam, quae est ad Deum communionem. Igitur qui dicunt eum putative manifestatum, neque in carne natum, neque vere hominem factum, adhuc sub veteri sunt damnatione, advocationem praebentes peccato, non devicta secundum eos morte, quae « regnavit ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem transgressionis Adae. » Veniens autem lex, quae data est per Moysem, et testificans de peccato, quoniam peccator est, regnum quidem ejus abstulit, latronem et non regem eum detegens, et homicidam eum ostendit: oneravit autem hominem, qui habebat peccatum in se, reum mortis ostendens eum. Spiritalis enim cum lex esset, manifestavit tantummodo peccatum, non autem interemit: non enim Spiritui dominabatur peccatum, sed homini. Oportebat enim eum qui inciperet occidere peccatum, et mortis reum redimere hominem, id ipsum fieri quod erat ille, id est hominem: qui a peccato quidem in servitium tractus fuerat, a morte vero tenebatur, ut peccatum ab homine interficeretur, et homo exiret a morte. Quemadmodum enim per inobedientiam unius hominis, qui

primus de terra rudi plasmatus est, peccatores facti sunt multi, et amiserunt vitam; ita oportuit et per obedientiam unius hominis, qui primus de virgine natus est, justificari multos, et percipere salutem. Sic igitur Verbum Dei homo factus est, quemadmodum et Moyses ait: « Deus, vera opera ejus. » Si autem non factus caro, parebat quasi caro, non erat verum opus ejus. Quod autem parebat, hoc et erat; Deus hominis antiquam plasmationem in se recapitulans, ut occideret quidem peccatum, evacuaret autem mortem, et vivificaret hominem: et propter hoc vera opera ejus.

CAPUT XIX

Jesum Christum non merum hominem exstitisse ex Josephi satu progenitum; sed verum Deum ab altissimo Patre genitum, et verum hominem ex Virgine natum.

1. Rursus autem qui nude tantum hominem eum dicunt ex Joseph generatum, perseverantes in servitute pristinae inobedientiae moriuntur; nondum commisti Verbo Dei Patris, neque per Filium percipientes libertatem, quemadmodum ipse ait: « Si Filius vos manumiserit, vere liberi eritis. » Ignorantes autem eum, qui ex Virgine est Emmanuel, privantur munere ejus, quod est vita aeterna: non recipientes autem Verbum incorruptionis, perseverant in carne mortali, et sunt debitores mortis, antidotum vitae non accipientes. Ad quos Verbum ait, suum munus gratiae narrans: « Ego dixi: Dii estis, et filii Altissimi omnes: vos autem sicut homines moriemini. »

Ad eos indubitate dicit, qui non percipiunt munus adoptionis, sed contemnunt incarnationem purae generationis Verbi Dei, fraudantes hominem ab ea ascensione quae est ad Dominum, et ingrati exsistentes Verbo Dei, qui incarnatus est propter ipsos. Propter hoc enim Verbum Dei homo; et qui Filius Dei est, filius hominis factus est, commistus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat Filius Dei. Non enim poteramus aliter incorruptelam et immortalitatem percipere, nisi adunati fuissemus incorruptelae et immortalitati. Quemadmodum autem adunari possemus incorruptelae et immortalitati, nisi prius incorruptela et immortalitas facta fuisset id quod et nos; ut absorberetur, quod erat corruptibile, ab incorruptela, et quod erat mortale, ab immortalitate, ut filiorum adoptionem perciperemus?

2. Propter hoc « generationem ejus quis enarrabit? » quoniam « homo est, et quis agnoscet eum? » Cognoscit autem illum is, cui Pater qui est in coelis revelavit, ut intelligat, quoniam is qui « non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri natus est » filius hominis, hic est Christus Filius Dei vivi. Quoniam enim nemo in totum ex filiis Adae, Deus appellatur secundum eum, aut Dominus nominatur, ex Scripturis demonstravimus. Quoniam autem ipse proprie praeter omnes qui fuerunt tunc homines, Deus, et Dominus, et Rex aeternus, et Unigenitus, et Verbum incarnatum praedicatur et a prophetis omnibus, et apostolis, et ab ipso Spiritu, adest videre omnibus qui vel modicum de veritate attigerint. Haec autem non testificarentur Scripturae de eo, si, similiter ut

omnes, homo tantum fuisset. Sed quoniam praeclaram praeter omnes habuit in se eam, quae est ab altissimo Patre, genituram, praeclara autem functus est et ea, quae est ex Virgine, generatione; utraque Scripturae divinae de eo testificantur: et quoniam homo indecorus et passibilis, et super pullum asinae sedens, aceto et felle potatur, et spernebatur in populo, et usque ad mortem descendit; et quoniam Dominus sanctus, et mirabilis consiliarius, et decorus specie, et Deus fortis, super nubes veniens universorum judex, omnia de eo Scripturae prophetabant

3. Sicut enim homo erat, ut tentaretur; sic et Verbum, ut glorificaretur: requiescente quidem Verbo, ut posset tentari, et inhonorari, et crucifigi, et mori; absorpto autem homine in eo quod vincit, et sustinet, ... et resurgit, et assumitur. Hic igitur Filius Dei Dominus noster, exsistens Verbum Patris, et filius hominis: quoniam ex Maria, quae ex hominibus habebat genus, quae et ipsa erat homo, habuit secundum hominem generationem, factus est filius hominis. Propter hoc et ipse Dominus dedit nobis signum in profundum, in altitudinem sursum, quod non postulavit homo, quia nec speravit virginem praegnantem fieri posse, quae erat virgo, et parere filium, et hunc partum Deum esse nobiscum, et descendere in ea quae sunt deorsum terrae, quaerentem ovem quae perierat, quod quidem erat proprium ipsius plasma, et ascendere in altitudinem, offerentem et commendantem Patri eum hominem, qui fuerat inventus, primitias resurrectionis hominis in semetipso faciens: ut quemadmodum caput re-

surrexit a mortuis, sic et reliquum corpus omnis hominis, qui invenitur in vita, impleto tempore condemnationis ejus, quae erat propter inobedientiam, resurgat, per compagines et conjunctiones coalescens, et confirmatum augmento Dei, unoquoque membrorum habente propriam et aptam in corpore positionem. Multae enim mansiones apud Patrem, quoniam et multa membra in corpore.

CAPUT XX

Deum ex lapsu hominis patefecisse, quam sit patiens, benignus, misericors et potens ad salvandum; atque idcirco ingratissimum esse hominem, si suae sortis acceptique beneficii immemor gratiam non referat.

1. Magnanimus igitur fuit Deus deficiente homine, eam, quae per Verbum esset, victoriam reddendam ei praevidens. Cum enim perficiebatur virtus in infirmitate, benignitatem Dei et magnificentissimam ostendebat virtutem. Sicut enim patienter sustinuit absorberi Jonam a ceto, non ut absorberetur, et in totum periret, sed ut evomitus magis subjiceretur Deo, et plus glorificaret eum, qui insperabilem salutem ei donasset, et firmam poenitentiam faceret Ninivitis, ut converterentur ad Dominum, qui eos liberaret a morte, conterritos ab eo signo, quod factum erat circa Jonam, quemadmodum Scriptura de his dicit: « Et reversi sunt unusquisque a via sua mala, et injustitia, quae erat in manibus eorum, dicentes: Quis scit si poenitebit Deus, et avertat iram suam a nobis, et non peribimus? » Sic et

ab initio fuit patiens Deus hominem absorberi a magno ceto, qui fuit auctor praevaricationis, non ut absorptus in totum periret, sed praestruens et praeparans adinventionem salutis, quae facta est a Verbo per signum Jonae, his qui eamdem cum Jona de Domino sententiam habuerunt, et confessi fuerunt, et dixerunt: « Servus Domini ego sum, et Dominum Deum coeli ego colo, qui fecit mare et aridam: » ut insperabilem homo a Deo percipiens salutem, resurgat a mortuis, et clarificet Deum, et eam quae a Jona prophetata est, dicat vocem: « Clamavi ad Dominum Deum meum in tribulatione mea, et exaudivit me de ventre inferni; » et semper permaneat glorificans Deum, et sine intermissione gratias referens pro ea salute quam consecutus est ab eo: « ut non glorietur in conspectu Domini omnis caro, » nec unquam de Deo contrarium sensum accipiat homo, propriam naturaliter arbitrans eam, quae circa se esset, incorruptelam, et non tenens veritatem, inani supercilio jactaretur, quasi naturaliter similis esset Deo. Ingratum enim magis eum hoc ei, qui eum fecerat, perficiens et dilectionem quam habebat Deus in hominem offuscabat, et excaecabat sensum suum ad non sentiendum, quod sit de Deo dignum, comparans et aequalem se judicans Deo.

2. Haec ergo fuit magnanimitas Dei, ut per omnia pertransiens homo, et morum agnitionem percipiens, dehinc veniens ad resurrectionem quae est a mortuis, et experimento discens unde liberatus est, semper gratus exsistat Domino, munus incorruptelae consecutus ab eo, ut plus

diligeret eum (cui enim plus dimittitur plus diligit): cognoscat autem semetipsum, quoniam mortalis et infirmus est; intelligat autem et Deum, quoniam in tantum immortalis et potens est, uti et mortali immortalitatem et temporali aeternitatem donet: intelligat autem et reliquas virtutes Dei omnes in semetipsum ostensas, per quas edoctus sentiat de Deo, quantus est Deus. Gloria enim hominis, Deus; operationes vero Dei, et omnis sapientiae ejus, et virtutis receptaculum, homo. Quemadmodum medicus in his, qui aegrotant, probatur; sic et Deus in hominibus manifestatur. Quapropter et Paulus ait: « Conclusit autem Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur; » non de spiritalibus Aeonibus dicens hoc, sed de homine qui fuit inobediens Deo, et projectus de immortalitate, dehinc misericordiam consecutus est, per Filium Dei eam, quae est per ipsum, percipiens adoptionem. Hic enim tenens sine inflatione et jactantia veram gloriam de his quae facta sunt, et de eo qui fecit, qui est potentissimus omnium Deus, quique omnibus ut sint praestitit; et manens in dilectione ejus, et subjectione, et gratiarum actione, majorem ab eo gloriam percipiet, provectus accipiens, dum consimilis fiat ejus qui pro eo mortuus est; quoniam et ipse in similitudinem carnis peccati factus est, uti condemnaret peccatum, et jam quasi condemnatum projiceret illud extra carnem; provocaret autem in similitudinem suam hominem, imitatorem eum assignans Deo, et in paternam imponens regulam, ad videndum Deum; et capere Patrem donans Verbum Dei

quod habitavit in homine, et Filius hominis factus est, ut assuesceret hominem percipere Deum, et assuesceret Deum habitare in homine, secundum placitum Patris.

3. Propter hoc ergo signum salutis nostrae eum, qui ex Virgine Emmanuel, est ipse Dominus: quoniam ipse Dominus erat qui salvabat eos, quia per semetipsos non habebant salvari. Et propter hoc Paulus infirmitatem hominis annuntians, ait: « Scio enim quoniam non habitat in carne mea bonum; » significans, quoniam non a nobis, sed a Deo est bonum salutis nostrae. Et iterum: « Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » Deinde infert liberatorem: « Gratia Jesu Christi Domini nostri. » Hoc autem et Isaias: « Confortamini, inquit, manus resolutae, et genua debilia: adhortamini, pusillanimes sensu, confortamini, ne timeatis: ecce, Deus noster judicium retribuit, et retributurus est: ipse veniet, et salvabit nos. » Hoc, quoniam non a nobis, sed a Dei adjumento habuimus salvari.

4. Rursus, quoniam neque homo tantum erit, qui salvat nos, neque sine carne (sine carne enim angeli sunt), praedicavit enim, dicens: « Neque senior, neque angelus, sed ipse Dominus salvabit eos, quoniam diligit eos, et parcet eis, ipse liberabit eos. » Et quoniam hic ipse homo verus visibilis incipiet esse, cum sit Verbum salutare, rursus Isaias ait: « Ecce, Sion civitas, salutare nostrum oculi tui videbunt. » Et quoniam non solum homo erat, qui moriebatur pro nobis, Isaias ait: « Et commemoratus est Dominus sanctus

Israel mortuorum suorum, qui dormierant in terra sepultionis: et descendit ad eos evangelizare salutem quae est ab eo, ut salvaret eos. » Hoc autem idem et Amos propheta ait: « Ipse convertetur, et miserebitur nostri: dissolvet injustitias nostras, et projiciet in altitudinem maris peccata nostra. » Et rursus significans locum adventus ejus, ait: « Dominus ex Sion locutus est, et ex Hierusalem dedit vocem suam. » Et quoniam ex ea parte, quae est secundum Africum haereditatis Judae, veniet Filius Dei, qui Deus est, et qui erat ex Bethleem, ubi natus est Dominus, in omnem terram emittet laudationem ejus, sicut ait Habacuc propheta: « Deus ab Africo veniet, et sanctus de monte Ephrem. Cooperuit coelum virtus ejus, et laudatione ejus plena est terra. Ante faciem ejus praeibit Verbum, et progredientur in campis pedes ejus. » Manifeste significans, quoniam Deus, et quoniam in Bethleem adventus ejus, et ex monte Ephrem, qui est secundum Africum haereditatis, et quoniam homo. « Progredientur enim, inquit, in campis pedes ejus: » hoc autem signum proprium hominis.

CAPUT XXI

Prophetiam Isaiae vii, 14, a prava interpretatione Theodotionis, Aquilae, Ebionitarum, ac Judaeorum vindicat, auctoritatemque versionis Septuaginta interpretum commendat, ac demum pluribus argumentis confirmat Christum e virgine natum esse.

1. Deus igitur homo factus est, et ipse Dominus salvabit nos, ipse dans Virginis signum. Non ergo

vera est quorumdam interpretatio, qui ita audent interpretari Scripturam: « Ecce adolescentula in ventre habebit, et pariet filium; » quemadmodum Theodotion Ephesius est interpretatus, et Aquila Ponticus, utrique Judaei proselyti; quos sectati Ebionei, ex Joseph generatum eum dicunt: tantam dispositionem Dei dissolventes, quantum ad ipsos est; frustrantes prophetarum testimonium, quod operatus est Deus. Prophetatum est quidem, priusquam in Babylonem fieret populi transmigratio, id est, antequam Medi et Persae acciperent principatum: interpretatum vero in Graeco ab ipsis Judaeis multum ante tempora adventus Domini nostri, ut nulla relinquatur suspicio, ne forte morem nobis gerentes Judaei, haec ita sint interpretati. Qui quidem si cognovissent nos futuros, et usuros his testimoniis quae sunt ex Scripturis, nunquam dubitassent ipsi suas comburere Scripturas, quae et reliquas omnes gentes manifestant participare vitae, et eos qui gloriantur domum se esse Jacob, et populum Israel, et exhaereditatos ostendunt a gratia Dei.

2. Prius enim quam Romani possiderent regnum suum, adhuc Macedonibus Asiam possidentibus, Ptolemaeus Lagi filius, cupiens eam bibliothecam, quae a se fabricata esset in Alexandria, omnium hominum dignis conscriptionibus ornare, petiit ab Hierosolymitis in Graecum sermonem interpretatas habere Scripturas eorum. Illi vero (obediebant enim tunc adhuc Macedonibus), eos quos habebant perfectiores Scripturarum intellectores et utriusque loquelae, septuaginta seniores miserunt Ptolemaeo, facturos

hoc quod ipse voluisset. Ille autem experimentum eorum sumere volens, et metuens ne forte consentientes, eam veritatem, quae esset in Scripturis, absconderent per interpretationem; separans eos ab invicem, jussit omnes eamdem interpretari Scripturam: et hoc in omnibus libris fecit. Convenientibus autem ipsis in unum apud Ptolemaeum, et comparantibus suas interpretationes, Deus glorificatus est, et Scripturae vere divinae creditae sunt, omnibus eadem, et eisdem verbis, et eisdem nominibus, recitantibus ab initio usque ad finem, uti et praesentes gentes cognoscerent, quoniam per aspirationem Dei interpretatae sunt Scripturae. Et non esse mirabile Deum hoc in eis operatum, quando in ea captivitate populi, quae facta est a Nabuchodonosor, corruptis Scripturis, et post septuaginta annos Judaeis descendentibus in regionem suam, post deinde temporibus Artaxerxis Persarum regis inspiravit Esdrae sacerdoti tribus Levi, praeteritorum prophetarum omnes rememorare sermones, et restituere populo eam legem, quae data est per Moysem.

3. Cum tanta igitur veritate et gratia Dei interpretatae sint Scripturae, ex quibus praeparavit et reformavit Deus fidem nostram, quae in Filium ejus est, et servavit nobis simplices Scripturas in Aegypto, in qua adolevit et domus Jacob, effugiens famem, quae fuit in Chanaan, in qua et Dominus noster servatus est effugiens eam persecutionem quae erat ab Herode; et haec earum Scripturarum interpretatio priusquam Dominus noster descenderet, facta sit, et antequam Chri-

stiani ostenderentur, interpretata sit (natus est enim Dominus noster circa primum et quadragesimum annum Augusti imperii, multo autem vetustior fuit Ptolemaeus, sub quo interpretatae sunt Scripturae); vere impudorati et audaces ostenduntur, qui nunc volunt aliter interpretationes facere, quando ex ipsis Scripturis arguantur a nobis, et in fidem adventus Filii Dei concludantur. Firma est autem, et non ficta, et sola vera, quae secundum nos est fides, manifestam ostensionem habens ex his Scripturis, quae interpretatae sunt illo modo, quo praediximus; et Ecclesiae annuntiatio sine interpolatione. Etenim apostoli, cum sint his omnibus vetustiores, consonant praedictae interpretationi, et interpretatio consonat apostolorum traditioni. Etenim Petrus, et Joannes, et Matthaeus, et Paulus, et reliqui deinceps, et horum sectatores, prophetica omnia ita annuntiaverunt, quemadmodum seniorum interpretatio continet.

4. Unus enim et idem Spiritus Dei, qui in prophetis quidem praeconavit, quis et qualis esset adventus Domini, in senioribus autem interpretatus est bene quae bene prophetata fuerant; ipse et in apostolis annuntiavit plenitudinem temporum adoptionis venisse, et proximasse regnum coelorum, et inhabitare intra homines credentes in eum, qui ex Virgine natus est, Emmanuel, quemadmodum ipsi testificantur, quoniam priusquam convenisset Joseph cum Maria (manente igitur ea in virginitate), « inventa est in utero habens de Spiritu sancto; » et quoniam dixit ei Gabriel angelus: « Spiritus sanctus adveniet in te, et

virtus Altissimi obumbrabit te: quapropter quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei; » et quoniam angelus in somnis dixit ad Joseph: « Hoc autem factum est, ut adimpleretur quod dictum est ab Isaia propheta: Ecce virgo in utero concipiet. » Seniores autem sic interpretati sunt dixisse Isaiam: « Et adjecit Dominus loqui ad Achaz: Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum deorsum, aut in altitudinem sursum. Et dixit Achaz: Non postulabo, nec tentabo Dominum. Et dixit: Non pusillum vobis agonem praebere hominibus, et quemadmodum Dominus praestat agonem? Propter hoc Dominus ipse dabit vobis signum. Ecce virgo in ventre accipiet, et pariet filium, et vocabitis nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel manducabit: priusquam cognoscat aut eligat mala, commutabit bonum: quoniam priusquam cognoscat infans bonum vel malum, non consentiet nequitiae, uti eligat bonum. » Diligenter igitur significavit Spiritus sanctus per ea quae dicta sunt, generationem ejus, quae est ex Virgine, et substantiam, quoniam Deus (Emmanuel enim nomen hoc significat): et manifestat quoniam homo, in eo quod dicit: « Butyrum et mel manducabit; » et in eo quod infantem nominat eum, et, « priusquam cognoscat bonum et malum: » haec enim omnia signa sunt hominis infantis. Quod autem « non consentiet nequitiae, ut eligat bonum, » proprium hoc est Dei, uti non per hoc quod manducabit butyrum et mel, nude solummodo eum hominem intelligeremus, neque rursus per nomen Emmanuel, sine carne eum Deum suspicaremur.

5. Et in eo quod dicit: « Audite domus David; » significantis erat, quoniam quem promisit Deus David, de fructu ventris ejus aeternum suscitaturum se regem, hic est qui ex Virgine quae fuit de genere David, generatus est.

Propter hoc enim et de fructu ventris ejus regem promisit, quod erat proprium Virginis praegnantis; et non de fructu lumborum ejus, nec de fructu renum ejus, quod est proprium viri generantis, et mulieris ex viro conceptionem facientis. Circumscripsit igitur genitalia viri in promissione Scriptura: imo vero nec commemoratur, quoniam non ex voluntate viri erat, qui nascebatur. Statuit autem et confirmavit fructum ventris, ut generationem ejus, qui erat futurus ex virgine, pronuntiaret, quemadmodum Elizabeth impleta Spiritu sancto testificata est, dicens ad Mariam: « Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui; » significante Spiritu sancto audire volentibus, repromissionem quam repromisit Deus, de fructu ventris ejus suscitare regem, impletam esse in Virginis, hoc est in Mariae partu. Qui igitur transmutant id quod apud Isaiam: « Ecce adolescentula in ventre concipiet; » et Joseph filium eum volunt esse, illud transmutent quod est repromissionis, quod apud David positum est ubi promisit illi Deus, de fructu ventris ejus suscitare cornu, Christi regnum. Sed non intellexerunt: caeterum autem hoc quoque ausi fuissent demutare.

6. Quod autem dixerit Isaias: « In profundum deorsum, vel in altitudinem sursum; » significantis fuit, quoniam « qui descendebat, ipse erat

et qui ascendebat. » In eo autem quod dixerit: « Ipse Dominus dabit signum; » id quod erat inopinatum generationis ejus significavit, quod nec factum esset aliter, nisi Deus Dominus omnium Deus ipse dedisset signum in domo David. Quid enim magnum, aut quod signum fieret in eo, quod adolescentula concipiens ex viro peperisset, quod evenit omnibus quae pariunt mulieribus? Sed quoniam inopinata salus hominibus inciperet fieri, Deo adjuvante, inopinatus et partus Virginis fiebat, Deo dante signum hoc, sed non homine operante illud.

7. Propter hoc autem et Daniel praevidens ejus adventum, lapidem sine manibus abscissum advenisse in hunc mundum (hoc est enim quod, « sine manibus ») significabat; quod non operantibus humanis manibus, hoc est, virorum illorum qui solent lapides caedere, in hunc mundum ejus adventus erat, id est, non operante in eum Joseph, sed sola Maria cooperante dispositioni. Hic enim lapis a terra, ex virtute et arte constat Dei. Propter hoc autem et Isaias ait: « Sic dicit Dominus: Ecce, ego mitto in fundamenta Sion lapidem pretiosum, electum, summum, angularem, honorificum; » uti non ex voluntate viri, sed ex voluntate Dei, adventum ejus qui secundum hominem est, intelligamus.

8. Propter hoc autem et Moyses ostendens typum, projecit virgam in terram, ut ea incarnata omnem Aegyptiorum praevaricationem, quae insurgebat adversus Dei dispositionem, argueret et absorberet: et ut ipsi Aegyptii testificarentur, quoniam digitus est Dei, qui salutem operatur

populo, et non Josephi filius. Si enim Joseph filius esset, quemadmodum plus poterat quam Salomon, aut plus quam Jonas habere, aut plus esse David, cum esset ex eadem seminatione generatus, et proles exsistens ipsorum? Ut quid autem et beatum dicebat Petrum, quod eum cognosceret esse Filium Dei vivi?

9. Super haec autem nec rex esse posset, si quidem Joseph filius fuisset; nec haeres, secundum Jeremiam. Joseph enim Joachim et Jechoniae filius ostenditur, quemadmodum et Matthaeus generationem ejus exponit. Jechonias autem, et qui ab eo, omnes abdicati sunt a regno, Jeremia dicente sic: « Vivo ego, dicit Dominus, si factus fuerit Jechonias filius Joachim, rex Juda, signaculum in manu dextera mea, inde abstraham eum, et tradam eum in manu quaerentium animam tuam. » Et iterum: « Inhonoratus est Jechonias, quemadmodum vas quod non est opus, quoniam projectus est in terram, quam non sciebat. Terra, audi sermonem Domini: scribe virum hunc abdicatum hominem, quoniam non augebit de semine ejus sedens super thronum David, princeps in Juda. » Et iterum Deus ait super Joachim patrem ejus: « Propter hoc sic dicit Dominus super Joachim patrem ejus, regem Judaeae: Non enim erit ex eo sedens super thronum David, et mortificatum ejus erit projectum in aestu diei, et in glacie noctis, et respiciam super eum, et super filios ejus, et inferam super eos, et super inhabitantes Jerusalem, super terram Juda, omnia mala, quae locutus sum super eos. » Qui ergo eum dicunt ex Joseph generatum, et in eo habere spem,

abdicatos se faciunt a regno, sub maledictione et increpatione decidentes, quae erga Jechoniam et in semen ejus. Propter hoc enim dicta sunt haec de Jechonia, spiritu praesciente ea quae a malis doctoribus dicuntur: uti discant, quoniam ex semine ejus, id est ex Joseph, non erit natus, sed secundum repromissionem Dei de ventre David suscitatur rex aeternus, qui recapitulatur omnia in se, et antiquam plasmationem in se recapitulatus est.

10. Quia quemadmodum per inobedientiam unius hominis introitum peccatum habuit, et per peccatum mors obtinuit; sic et per obedientiam unius hominis justitia introducta vitam fructificet his, qui olim mortui erant, hominibus. Et quemadmodum protoplastus ille Adam de rudi terra, et de adhuc virgine (« nondum enim pluerat Deus, et homo non erat operatus terram ») habuit substantiam; et plasmatus est manu Dei, id est Verbo Dei (« omnia enim per ipsum facta sunt »), et sumpsit Dominus limum a terra, et plasmavit hominem: ita recapitulans in se Adam, ipse Verbum exsistens ex Maria, quae adhuc erat virgo, recte accipiebat generationem Adae recapitulationis. Si igitur primus Adam habuit patrem hominem, et ex semine viri natus est; merito dicerent, et secundum Adam ex Joseph esse generatum. Si autem ille de terra quidem sumptus est, et Verbo Dei plasmatus est, oportebat id ipsum Verbum recapitulationem Adae in semetipsum faciens, ejusdem generationis habere similitudinem. Quare igitur non iterum sumpsit limum Deus, sed ex Maria operatus est plasmationem

fieri? Ut non alia plasmatio fieret, neque alia esset plasmatio quae salvaretur, sed eadem ipsa recapitularetur, servata similitudine.

CAPUT XXII

Christum veram carnem ex Virgine conceptam et natam sumpsisse.

1. Errant igitur qui dicunt, eum nihil ex Virgine accepisse, ut abjiciant carnis haereditatem, abjiciant autem et similitudinem. Si enim ille quidem de terra, et manu et artificio Dei plasmationem et substantiam habuit, hic autem non manu et artificio Dei; jam non servavit similitudinem hominis, qui factus est secundum imaginem ipsius et similitudinem, et inconstans artificium videbitur, non habens circa quod ostendat sapientiam suam. Hoc autem dicere est, et putative apparuisse eum tanquam hominem, cum non esset homo: et factum eum hominem, nihil assumentem de homine. Si enim non accepit ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque filius hominis: et si hoc non factus est, quod nos eramus, non magnum faciebat, quod passus est et sustinuit. Nos autem quoniam corpus sumus de terra acceptum, et anima accipiens a Deo spiritum, omnis quicunque confitebitur. Hoc itaque factum est Verbum Dei, suum plasma in semetipsum recapitulans: et propter hoc filium hominis se confitetur, et beatificat mites, quoniam ipsi haereditabunt terram. Et apostolus autem Paulus in ea Epistola, quae est ad Galatas, manifeste ait: « Misit Deus Filium suum, factum de muliere. » Et rursus in ea quae est ad Romanos: « De Filio

autem, inquit, ejus, qui factus est ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum, Jesu Christi Domini nostri. »

2. Caeterum supervacua est in Mariam descensio ejus. Quid enim in eam descendebat, si nihil incipiebat sumere ab ea? Aut si nihil sumpsisset ex Maria, nunquam eas, quae a terra erant, percepisset escas, per quas id, quod a terra sumptum est, nutritur corpus: nec quadraginta diebus, quemadmodum Moyses et Elias, jejunans esurisset corpus ejus, suam quaerens escam: sed nec Joannes discipulus ejus de eo scribens dixisset: « Jesus autem fatigatus in itinere sedebat; » nec David praeclamasset in eum: « Et super dolorem vulnerum meorum apposuerunt; » nec lacrymasset super Lazarum; nec sudasset globos sanguinis; nec dixisset: « Tristis est anima mea; » nec percusso latere exisset sanguis et aqua. Haec enim omnia signa carnis, quae a terra sumpta est, quam in se recapitulatus est, suum plasma salvans.

3. Propter hoc Lucas genealogiam, quae est a generatione Domini nostri usque ad Adam, septuaginta duas generationes habere ostendit; finem conjungens initio, et significans, quoniam ipse est qui omnes gentes exinde ab Adam dispersas, et universas linguas, et generationem hominum cum ipso Adam in semetipso recapitulatus est. Unde et a Paulo « typus futuri » dictus est ipse Adam: quoniam futuram circa Filium Dei humani generis dispositionem in semetipsum fabricator

omnium Verbum praeformaverat, praeformante Deo primum animalem hominem, videlicet ut a spiritali salvaretur. Cum enim praeexsisteret salvans, oportebat et quod salvaretur fieri, uti non vacuum sit salvans.

4. Consequenter autem et Maria virgo obediens invenitur, dicens: « Ecce ancilla tua, Domine, fiat mihi secundum verbum tuum. » Eva vero inobediens: non obedivit enim, adhuc cum esset virgo. Quemadmodum illa virum quidem habens Adam, virgo tamen adhuc exsistens (« erant enim utrique nudi » in paradiso, « et non confundebantur, » quoniam paulo ante facti, non intellectum habebant filiorum generationis; oportebat enim illos primo adolescere dehinc sic multiplicari) inobediens facta, et sibi, et universo generi humano causa facta est mortis: sic et Maria habens praedestinatum virum, et tamen virgo, obediens, et sibi, et universo generi humano causa facta est salutis. Et propter hoc lex eam, quae desponsata erat viro, licet virgo sit adhuc, uxorem ejus, qui desponsaverat, vocat; eam quae est a Maria in Evam recirculationem significans: quia non aliter quod colligatum est solveretur, nisi ipsae compagines alligationis reflectantur retrorsus; ut primae conjunctiones solvantur per secundas, secundae rursus liberent primas. Et evenit primam quidem compaginem a secunda colligatione solvere, secundam vero colligationem primae solutionis habere locum. Et propter hoc Dominus dicebat, primos quidem novissimos futuros, et novissimos primos. Et Propheta autem hoc idem significat, dicens: « Pro

patribus nati sunt tibi filii. » « Primogenitus » enim « mortuorum » natus Dominus, et in sinum suum recipiens pristinos patres, regeneravit eos in vitam Dei, ipse initium viventium factus, quoniam Adam initium morientium factus est. Propter hoc et Lucas initium generationis a Domino inchoans, in Adam retulit, significans, quoniam non illi hunc, sed hic illos in Evangelium vitae regeneravit. Sic autem et Evae inobedientiae nodus solutionem accepit per obedientiam Mariae. Quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria solvit per fidem.

CAPUT XXIII

Contendit adversus Tatianum, divinae aequitati ac misericordiae consentaneum fuisse, ut Adam primus omnium salutem a Christo consequeretur.

1. Necesse ergo fuit, Dominum ad perditam ovem venientem, et tantae dispositionis recapitulationem facientem, et suum plasma requirentem, illum ipsum hominem salvare, qui factus fuerat secundum imaginem et similitudinem ejus, id est, Adam adimplentem tempora ejus condemnationis, quae facta fuerat propter inobedientiam, « quae Pater posuit in sua potestate; » quoniam et omnis dispositio salutis, quae circa hominem fuit, secundum placitum fiebat Patris, uti non vinceretur Deus, neque infirmaretur ars ejus. Si enim qui factus fuerat a Deo homo, ut viveret, hic amittens vitam laesus serpente qui depravaverat eum, jam non reverteretur ad vitam, sed in totum projectus esset morti; victus esset

Deus, et superasset serpentis nequitia voluntatem Dei. Sed quoniam Deus invictus et magnanimis est, magnanimem quidem se exhibuit ad correptionem hominis, et probationem omnium, quemadmodum praediximus; per secundum autem hominem alligavit fortem, et diripuit ejus vasa, et evacuavit mortem, vivificans eum hominem, qui fuerat mortificatus. Primum enim possessionis ejus vas Adam factus est, quem et tenebat sub sua potestate, hoc est, praevaricationem inique inferens ei, et per occasionem immortalitatis, mortificationem faciens in eum. Etenim promittens futuros eos tanquam deos (quod ei non est omnino possibile), mortem fecit in eis: unde et juste a Deo recaptivatus, qui hominem captivum duxerat; solutus est autem condemnationis vinculis, qui captivus ductus fuerat homo.

2. Hic est autem Adam, si oportet verum dicere, primiformis ille homo, de quo Scriptura ait dixisse Dominum: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; » nos autem omnes ex ipso: et quoniam sumus ex ipso, propterea quoque ipsius haereditavimus appellationem. Cum autem salvetur homo, oportet salvari eum qui prior formatus est homo. Quoniam nimis irrationabile est, illum quidem, qui vehementer ab inimico laesus est, et prior captivitatem passus est, dicere non eripi ab eo qui vicerit inimicum; ereptos vero filios ejus, quos in eadem captivitate generavit. Nec victus quidem adhuc parebit inimicus, ipsis veteribus spoliis manentibus apud eum. Quemadmodum si hostes expugnaverint quosdam, et vinctos duxerint captivos, et multo

tempore in servitute possederint eos, ita ut generent apud eos; et aliquis dolens pro his qui servi facti sunt, eosdem hostes expugnet: non tamen juste faciet, si filios quidem eorum qui captivi ducti sunt, liberet de potestate eorum, qui in servitutem deduxerant patres eorum; ipsos vero qui captivitatem sustinuerunt, subjectos relinquat inimicis, propter quos et tuitionem fecit: consecutis libertatem filiis ex causa paternae vindicationis, sed non relictis ipsis patribus, qui ipsam captivitatem sustinuerunt. Neque enim infirmus est Deus, neque injustus, qui opitulatus est homini, et in suam libertatem restauravit eum.

3. Propter hoc et in initio transgressionis Adae, sicut enarrat Scriptura, non ipsum maledixit Adam, sed terram in operibus ejus, quemadmodum ex veteribus quidam ait: quoniam quidem transtulit Deus maledictum in terram, ut non perseveraret in homine. Condemnationem autem transgressionis accepit homo taedia et terrenum laborem, et manducare panem in sudore vultus sui, et converti in terram, ex qua assumptus est; similiter autem mulier taedia, et labores, et gemitus, et tristitias partus, et servitium, id est ut serviret viro suo: ut neque maledicti a Deo in totum perirent, neque sine increpatione perseverantes Deum contemnerent. Omnis autem maledictio decurrit in serpentem, qui seduxerat eos. « Et dixit, inquit, Deus serpenti: Quoniam fecisti hoc, maledictus tu ab omnibus pecoribus, et ab omnibus bestiis terrae. » Hoc idem autem et Dominus in Evangelio his qui a sinistris inveniuntur, ait: « Abite, maledicti, in ignem aeternum, quem

praeparavit Pater meus diabolo et angelis ejus; » significans quoniam non homini principaliter praeparatus est aeternus ignis, sed ei qui seduxit, et offendere fecit hominem, et, inquam, qui princeps apostasiae est, principi abscessionis, et his angelis qui apostatae facti sunt cum eo: quem quidem juste percipient etiam hi, qui similiter ut illi, sine poenitentia et sine regressu in malitiae perseverant operibus.

4. Quemadmodum Cain, cum accepisset consilium a Deo, uti quiesceret in eo, quod non recte divisisset eam, quae erga fratrem erat, communicationem, sed cum zelo et malitia suspicatus est posse dominari ejus, non solum non acquievit, sed et adjecit peccatum super peccatum, manifestans sententiam suam per operationem suam. Quod enim cogitavit, hoc et operatus est, dominatus est, et interfecit eum, subjiciente Deo justum injusto, ut ille quidem ex iis, quae passus est, justus ostendatur; hic vero per ea, quae commisit, detegeretur injustus. Et ne sic quidem mitigatus est, nec quievit super factum malum; sed interrogatus ubi esset frater ejus? « Nescio, ait: nunquid custos fratris mei sum ego? » extendens et multiplicans malum per responsionem. Etenim si malum est occidere fratrem, multo pejus sic audacter et irreverenter respondere omnia scienti Deo, quasi possit frustrari eum. Propter hoc et ipse maledictionem portavit, quoniam a se peccatum tulit, non reveritus Deum, neque confusus in fratricidio.

5. Circa Adam autem nihil tale factum est, sed omnia in contrarium. Ab altero enim seductus

sub occasione immortalitatis, statim timore corripitur, et absconditur: non quasi possit effugere Deum, sed confusus, quoniam transgressus praeceptum ejus, indignus est venire in conspectum et colloquium Dei. « Timor » autem « Domini initium intelligentiae; » intellectus vero transgressionis fecit poenitentiam: poenitentibus autem largitur benignitatem suam Deus. Etenim per succinctorium in facto ostendit suam poenitentiam, foliis ficulneis semetipsum contegens, exsistentibus et aliis foliis multis, quae minus corpus ejus vexare potuissent: condignum tamen inobedientiae amictum fecit, conterritus timore Dei; et retundens petulantem carnis impetum, quoniam indolem et puerilem amiserat sensum, et in cogitationem pejorum venerat, frenum continentiae sibi et uxori suae circumdedit, timens Deum, et adventum ejus exspectans, et velut tale quid significans: Quoniam, inquit, eam quam habui a Spiritu, sanctitatis stolam amisi per inobedientiam, et nunc cognosco quod sim dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam praestat, mordet autem et pungit corpus. Et hoc videlicet semper habuisset indumentum, humilians semetipsum, nisi Dominus, qui est misericors, tunicas pelliceas pro foliis ficulneis induisset eos. Propter hoc autem et interrogat eos, uti ad mulierem veniret accusatio; et illam rursus interrogat, uti ad serpentem transmitteret causam. Dixit enim quod fuerat factum: « Serpens, ait, seduxit me, et manducavi. » Serpentem vero non interrogavit, sciebat enim eum principem transgressionis factum: sed maledictum primo

immisit in eum, uti secunda increpatio veniret in hominem. Eum enim odivit Deus, qui seduxit hominem; ei vero qui seductus est, sensim paulatimque misertus est.

6. Quapropter et ejecit eum de paradiso, et a ligno vitae longe transtulit: non invidens ei lignum vitae, quemadmodum quidam audent dicere, sed miserans ejus, ut non perseveraret semper transgressor; neque immortale esset quod esset circa eum peccatum, et malum interminabile et insanabile. Prohibuit autem ejus transgressionem, interponens mortem, et cessare faciens peccatum, finem inferens ei per carnis resolutionem, quae fieret in terra: uti cessans aliquando homo vivere peccato, et moriens ei, inciperet vivere Deo.

7. Quapropter inimicitiam posuit inter serpentem et mulierem, et semen ejus, observantes invicem: illo quidem cui morderetur planta, et potente, calcare caput inimici; altero vero mordente, et occidente et interpediente, ingressus hominis, quoadusque venit semen praedestinatum calcare caput ejus, quod fuit partus Mariae, de quo ait Propheta: « Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem; » significans quia illud quod erigeretur et dilataretur adversus hominem peccatum, et frigidum reddebat eum, evacuaretur cum regnante morte; et conculcaretur ab eo in novissimis temporibus insiliens humano generi leo, hoc est Antichristus; et draconem illum, serpentem vetustum, alligans et subjiciens potestati hominis, qui fuerat victus, ad calcandam omnem

ejus virtutem. Victus autem erat Adam, ablata ab eo omni vita: propter hoc victo rursus inimico recepit vitam Adam; « novissima » autem « inimica evacuatur mors, » quae primum possederat hominem. Quapropter liberato homine, « fiet quod scriptum est: Absorpta est mors in victoria; ubi est mors victoria tua? Ubi est mors aculeus tuus? » Quod non poterit juste dici, si non ille liberatus fuerit, cui primum dominata est mors. Illius enim salus, evacuatio est mortis. Domino igitur vivificante hominem, id est Adam, evacuata est et mors.

8. Mentiuntur ergo omnes qui contradicunt ejus saluti, semper seipsos excludentes a vita, in eo quod non credant inventam ovem quae perierat. Si autem illa non est inventa, adhuc possidetur in perditione omnis hominis generatio. Mendax ergo is, qui prior hanc sententiam, imo hanc ignorantiam et caecitatem induxit, Tatianus; connexio quidem factus omnium haereticorum, quemadmodum ostendimus: hoc autem a semetipso adinvenit, uti novum aliquid praeter reliquos inferens, vacuum loquens, vacuos a fide auditores sibi praepararet, affectans magister haberi, tentans et subinde uti hujusmodi a Paulo assidue dictis: Quoniam « in Adam omnes morimur; » ignorans autem, quoniam « ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia. » Ostenso ergo hoc manifeste, erubescant omnes qui ab eo sunt, et concertant de Adam, quasi magnum aliquid lucrentur, si ille non salvetur, quando magis nihil proficiant; quemadmodum et serpens nihil profecit dissuadens homini, nisi illud quod eum

transgressorem ostendit, initium et materiam apostasiae suae habens hominem; Deum autem non vicit. Sic et hi, qui contradicunt saluti Adae, nihil proficiunt, nisi hoc, quod semetipsos haereticos et apostatas faciunt veritatis, et advocatos se serpentis et mortis ostendunt.

CAPUT XXIV

Summatim repetit quae hactenus adversus varias Gnosticorum impietates disseruit. Haereticis vero ad omnem doctrinae ventum fluctuantibus opponit unam, sibique semper et ubique constantem Ecclesiae doctrinam.

1. Traductis igitur omnibus, qui nefandas inferunt sententias de factore et plasmatore nostro, qui et hunc mundum fabricatus est, super quem alius Deus non est; et ipsis ostensionibus eversis his, qui de substantia Domini nostri, et de dispositione quam fecit propter hominem suum, falsa docent; praedicationem vero Ecclesiae undique constantem, et aequaliter perseverantem, et testimonium habentem a prophetis et ab apostolis, et ab omnibus discipulis, quemadmodum ostendimus per initia, et medietates, et finem, et per universam Dei dispositionem, et eam quae secundum salutem hominis est solitam operationem, quae est in fide nostra; quam perceptam ab Ecclesia custodimus, et quae semper a Spiritu Dei, quasi in vase bono eximium quoddam depositum juvenescens, et juvenescere faciens ipsum vas in quo est. Hoc enim Ecclesiae creditum est Dei munus, quemadmodum ad inspirationem plasmationi, ad hoc ut omnia membra percipien-

tia vivificentur: et in eo disposita est communicatio Christi, id est Spiritus sanctus, arrha incorruptelae, et confirmatio fidei nostrae, et scala ascensionis ad Deum. « In Ecclesia enim, inquit, posuit Deus apostolos, prophetas, doctores, » et universam reliquam operationem Spiritus: cujus non sunt participes omnes, qui non currunt ad Ecclesiam, sed semetipsos fraudant a vita, per sententiam malam et operationem pessimam. Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia, et omnis gratia: Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque a mammillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem: sed effodiunt sibi lacus detritos de fossis terrenis, et de coeno putidam bibunt aquam, effugientes fidem Ecclesiae, ne traducantur; rejicientes vero Spiritum, ut non erudiantur.

2. Alienati vero a veritate, digne in omni volutantur errore, fluctuati ab eo, aliter atque aliter per tempora de eisdem sentientes, et nunquam sententiam stabilitam habentes; sophistae verborum magis volentes esse quam discipuli veritatis. Non enim sunt fundati super unam petram, sed super arenam, habentem in seipsa lapides multos. Propter hoc et multos deos fingunt, et quaerere quidem semper in excusatione habent (caecutiunt enim) invenire vero nunquam possunt. Blasphemant enim fabricatorem, hoc est, eum qui est vere Deus, qui et praestat invenire; putantes se super Deum alterum invenisse Deum, vel alteram plenitudinem,

vel alteram dispositionem. Quapropter et lumen, quod est a Deo, non lucet eis, quoniam inhonoraverunt et spreverunt Deum, minimum arbitrantes eum, quoniam propter dilectionem suam, et immensam benignitatem, in agnitionem venit hominibus: (in agnitionem autem non secundum magnitudinem, nec secundum substantiam; nemo enim mensus est eam, nec palpavit; sed secundum illud, ut sciremus, quoniam qui fecit, et plasmavit, et insufflationem vitae insufflavit in eis, et per conditionem nutrit nos, Verbo suo confirmans, et Sapientia compingens omnia, hic est qui est solus verus Deus); eum vero, qui non est, somniantes super hunc, ut magnum Deum putentur adinvenisse, quem nemo possit cognoscere humano generi communicantem, nec terrena administrantem: Epicuri videlicet invenientes Deum, neque sibi, neque aliis aliquid praestantem, id est, nullius providentiam habentem.

CAPUT XXV

Regi hunc mundum providentia unius Dei qui infinita simul praeditus sit justitia, ut malos plectat, atque bonitate, ut piis benefaciat et salutem impertiatur.

1. Providentiam autem habet Deus omnium, propter hoc et consilium dat; consilium autem dans adest his, qui morum providentiam habent. Necesse est igitur ea, quae providentur et gubernantur, cognoscere suum directorem; quae quidem non sunt irrationabilia, neque vana, sed habent sensibilitatem perceptam de providentia Dei. Et propter hoc ethnicorum quidam, qui

minus illecebris ac voluptatibus servierunt, et non in tantum superstitione idolorum coabducti sunt, providentia ejus moti, licet tenuiter, tamen conversi sunt, ut dicerent fabricatorem hujus universitatis Patrem omnium providentem, et disponentem secundum nos mundum.

2. Rursus ut increpativum auferrent a Patre, et judiciale, indignum id Deo putantes, et sine iracundia et bonum arbitrantes se adinvenisse Deum, alterum quidem judicare, et alterum quidem salvare dixerunt; nescientes, utrorumque auferentes sensum et justitiam. Si enim judicialis non et bonus sit, ad donandum quidem his quibus debet, et ad exprobrandum his quibus oportet, neque justus neque sapiens videbitur judex. Rursus bonus, si hoc tantum sit bonus, non et probator, in quos immittat bonitatem; extra justitiam erit et bonitatem, et infirma bonitas ejus videbitur, non omnes salvans, si non cum judicio fiat.

3. Marcion igitur ipse dividens Deum in duo, alterum quidem bonum, et alterum judicialem dicens, ex utrisque interimit Deum. Hic enim qui judicialis, si non et bonus sit, non est Deus, quia Deus non est, cui bonitas desit: et ille rursus qui bonus, si non et judicialis, idem quod hic patietur, ut auferatur ei ne sit Deus. Quemadmodum autem et sapientem dicunt Patrem omnium, si non et judiciale ei assignent? Si enim sapiens, et probator est; probatori autem subest judiciale; judiciale autem assequitur justitia, ut juste probet; justitia provocat judicium; judicium autem, cum fit cum justitia, transmittet ad sapientiam.

Sapientia igitur praecellet Pater super omnem humanam et angelicam sapientiam, quoniam Dominus, et judex, et justus, et dominator super omnes. Est enim et bonus, et misericors, et patiens, et salvat quos oportet: neque bonum ei deficit juste effectum, neque sapientia deminoratur: salvat enim quos debet salvare, et judicat dignos judicio: neque justum immite ostenditur, praeeunte scilicet et praecedente bonitate.

4. Qui igitur solem suum oriri facit omnibus benigne Deus, et pluit super justos et injustos, judicabit eos, qui ex aequo benignitatem ejus percipientes, non similiter secundum dignationem munerationis ejus conversati sunt; sed in deliciis et luxuriis versati sunt adversus benevolentiam ejus, adhuc et blasphemantes eum, qui tanta beneficia in eos fecerit.

5. Quibus religiosior Plato ostenditur, qui eumdem Deum et justum, et bonum confessus est, habentem potestatem omnium, ipsum facientem judicium, sic dicens: « Et Deus quidem, quemadmodum et vetus sermo est, initium, et finem, et medietates omnium quae sunt habens, recte perficit, secundum naturam circumiens: hunc autem semper consequitur justitia ultrix in eos qui deficiunt a lege divina. » Et iterum factorem et fabricatorem hujus universitatis bonum ostendit. « Bono autem, inquit, nulla unquam de quoquam nascitur invidia: » hoc initium et causam fabricationis mundi constituens bonitatem Dei; sed non ignorantiam, nec Aeonem qui erravit, nec labis fructum, nec Matrem plorantem et lamentantem, nec alterum Deum, vel Patrem.

6. Juste autem eos Mater planget, talium excogitatores et adinventores: digna enim commentati, et commentiti sunt in capita sua, quoniam Mater ipsorum extra Plenitudinem est, id est extra Dei agnitionem, et collectio eorum abortio facta est, informis et sine specie: nihil enim de veritate apprehendit; in vacuum et in umbram decidit; vacua enim doctrina ipsorum et intenebrata: et Horus eam non permisit introire in Pleroma; non enim recepit eos Spiritus in refrigerium. Pater enim ipsorum ignorantiam generans, mortis passiones in eis operatus est. Haec non nos diffamamus, sed ipsi confirmant, ipsi docent, gloriantur in ipsis, altum sentiunt de Matre, quam sine patre dicunt genitam, hoc est sine Deo, feminam a femina, quod est ex errantia corruptelam.

7. Nos autem precamur non perseverare eos in fovea, quam ipsi foderunt, sed segregari ab hujusmodi Matre, et exire a Bytho, et absistere a Vacuo, et Umbram derelinquere: et legitime eos generari, conversos ad Ecclesiam Dei, et formari Christum in eis, et cognoscere eos fabricatorem et factorem hujus universitatis, solum verum Deum, et Dominum omnium. Haec precamur de illis, utilius eos diligentes, quam ipsi semetipsos putant diligere. Quae enim est a nobis dilectio, cum sit vera, salutaris est eis, si quidem eam recipiant. Est enim austero medicamini similis, absumens impropriorem ac superfluam vulneris carnem: elationem enim illorum et inflationem evacuat. Quapropter tentantes omni virtute manum porrigere eis, non taedebit nos. Proroga-

bimus autem super haec, quae dicta sunt, in sequenti libro Domini sermones inferre, si quos ex his per ipsam Christi doctrinam convincentes, suadere possimus cessare ab ejusmodi errore, et absistere ab ea blasphemia, quae est in fabricatorem ipsorum, qui et solus est Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi. Amen.

Liber quartus

Praefatio

1. Hunc quartum librum, dilectissime, transmittens tibi, operis quod est de detectione et eversione falsae cognitionis, quemadmodum promisimus, per Domini sermones ea quae praediximus, confirmabimus: uti et tu, sicut postulasti, undique a nobis accipias occasiones ad confutandos omnes haereticos, et eos omnimodis retusos non longius sinas in erroris procedere profundum, neque ignorantiae praefocari pelago; sed convertens eos in veritatis portum, facias suam percipere salutem.

2. Eum autem qui velit eos convertere, oportet diligenter scire regulas sive argumenta ipsorum. Nec enim possibile est alicui curare quosdam male habentes, qui ignorat passionem eorum qui male valent. Quapropter hi qui ante nos fuerunt, et quidem multo nobis meliores, non tamen satis potuerunt contradicere his qui sunt a Valentino, quia ignorabant regulam ipsorum, quam nos cum omni diligentia in primo libro tibi tradidimus; in quo et ostendimus doctrinam eorum recapitulationem esse omnium haereticorum. Quapropter et in secundo tanquam speculum habuimus eos totius eversionis. Qui enim his contradicunt secundum quod oportet, contradi-

cunt omnibus qui sunt malae sententiae; et qui hos evertent, evertunt omnem haeresim.

3. Super omnes est enim blasphema regula ipsorum: quandoquidem factorem et fabricatorem, qui est unus Deus, secundum quod ostendimus, de labe sive defectione eum emissum dicunt. Blasphemant autem et in Dominum nostrum, abscindentes et dividentes Jesum a Christo, et Christum a Salvatore, et Salvatorem rursum a Verbo, et Verbum ab Unigenito. Et quemadmodum fabricatorem ex labe sive defectione emissum dicunt; sic et Christum et Spiritum sanctum propter labem emissum docuerunt, et Salvatorem ab iis Aeonibus qui a labe emissi sunt, fructificationem esse; ut nihil sit apud eos sine blasphemia. In eo igitur, qui ante hunc est, libro ostensa est de his omnibus sententia apostolorum, quoniam non solum nihil tale senserunt « qui ab initio speculatores et ministri fuerunt verbi » veritatis; sed et praedicaverunt nobis fugere hujusmodi sententias, Spiritu providentes eos qui seducturi erant simpliciores.

4. Quemadmodum enim serpens Evam seduxit, promittens ei quod non habebat ipse; sic et hi praetendentes majorem agnitionem, et mysteria inenarrabilia, et promittentes eam, quam dicunt intra Pleroma esse, receptionem, in mortem demergunt sibi credentes; apostatas eos constituentes ab eo qui eos fecit. Et tunc quidem apostata angelus per serpentem inobedientiam hominum operatus, existimavit latere se Dominum: quapropter eamdem ei formam et appellationem tribuit Deus. Nunc autem, quo-

niam novissima sunt tempora, extenditur malum in homines, non solum apostatas eos faciens, sed et blasphemos in plasmatorem instituit multis machinationibus, id est, per omnes haereticos qui praedicti sunt. Hi enim omnes, quamvis ex differentibus locis egrediantur, et differentia doceant, in idem tamen blasphemiae concurrunt propositum, lethaliter vulnerantes, docendo blasphemiam in Deum factorem et nutritorem nostrum, et derogando salutem hominis. Homo est autem temperatio animae et carnis, qui secundum similitudinem Dei formatus est, et per manus ejus plasmatus est, hoc est per Filium et Spiritum, quibus et dixit: « Faciamus hominem. » Hoc ergo propositum est ejus qui vitae nostrae invidet, incredulos suae salutis efficere homines, et blasphemos in plasmatorem Deum. Quaecunque enim cum gravitate summa dixerint omnes haeretici, in ultimum ad hoc deveniunt, ut blasphement fabricatorem, et contradicant saluti plasmatis Dei, quod quidem est caro: propter quam omnem dispositionem fecisse Filium Dei, multis modis ostendimus, et manifestavimus neminem alium Deum appellari a Scripturis, nisi Patrem omnium, et Filium, et eos qui adoptionem habent.

CAPUT PRIMUM

Christum unum solum Deum ac Patrem et cognovisse et docuisse discipulos.

1. Cum sit igitur hoc firmum et constans, neminem alterum Deum et Dominum a Spiritu praedicatum, nisi eum qui dominatur omnium

Deus, cum Verbo suo, et eos qui adoptionis Spiritum accipiunt, hoc est, eos qui credunt in unum et verum Deum, et Christum Jesum Filium Dei; similiter et apostolos neminem alium a semetipsis Deum appellasse, aut Dominum cognominasse; multo autem magis Dominum nostrum, qui et nobis praecepit neminem Patrem confiteri, nisi eum qui est in coelis, qui est unus Deus et unus Pater: manifeste falsa ostenduntur ea quae dicunt circumventores et perversissimi sophistae, dicentes naturaliter et Deum et Patrem esse, quem ipsi adinvenerunt; Demiurgum vero naturaliter neque Deum, neque Patrem esse, sed verbo tenus dici, eo quod dominetur conditionis, sicut dicunt perversi grammatici, excogitantes in Deum: et doctrinam quidem Christi praetermittentes, et a semetipsis autem falsa divinantes, adversus universam Dei dispositionem argumentantur. Etenim Aeonas suos, et deos, et patres, et dominos, adhuc etiam et coelos vocari dicunt, cum Matre sua, quam et terram, et Jerusalem appellant, multisque aliis vocabulis eam cognominantes.

2. Cui autem non sit manifestum, quoniam si Dominus multos patres scisset et deos, non praecepisset discipulis suis unum scire Deum, et hunc eumdem solum vocare Patrem? Sed potius distinxit eos qui sunt verbo tenus dii, ab eo qui sit vere Deus, ut non errent secundum doctrinam ejus, neque alterum pro altero audiant. Si autem nobis quidem praecepit unum vocare Patrem et Deum, ipse autem interdum alteros confitetur patres et deos eodem modo, alia quidem praecipiens

videbitur discipulis, alia vero ipse faciens. Non est autem hoc magistri boni, sed seductoris et invidi. Et apostoli autem secundum eos transgressores ostenduntur praecepti, Demiurgum Deum, et Dominum, et Patrem confitentes, quemadmodum ostendimus, si non hic solus est Deus et Pater. Jesus ergo transgressionis auctor et magister erit eis, qui praecepit unum vocari Patrem, imponens eis necessitatem Demiurgum confiteri suum Patrem, quemadmodum ostensum est.

CAPUT II

Probat apertis tum Moysis, tum aliorum prophetarum, quorum sermones Christi sunt, testimoniis, eum et unum et solum Deum esse, mundi conditorem, quem Dominus annuntiabat, et quem Patrem suum esse dicebat.

1. Moyses igitur recapitulationem universae legis, quam acceperat a Demiurgo, in Deuteronomio faciens, sic ait: « Attende, coelum, et loquar: et audiat terra verba ex ore meo. » Rursum David adjutorium suum dicens a Domino fieri: « Adjutorium, inquit, meum a Domino, qui fecit coelum et terram. » Et Isaias confitetur a Deo, qui fecit coelum et terram, et dominatur eorum, fieri sermones: « Audi, inquit, coelum, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est. » Et iterum: « Sic ait Dominus Deus, qui fecit coelum, et affixit illud; qui confirmavit terram, et quae in ea sunt: et qui dat afflatum populo, qui est super eam, et spiritum his qui calcant illam. »

2. Rursum Dominus noster Jesus Christus eumdem hunc Patrem suum confitetur, in eo quod

dicit: « Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae. » Quem Patrem volunt nos audire hi, qui sunt Pandorae perversissimi sophistae? Utrumne Bythum, quem a semetipsis finxerunt; an Matrem eorum; an Unigenitum? An quem Marcionitae, vel caeteri adinvenerunt Deum? (quem quidem non esse Deum, per multa demonstravimus) an (quod est verum) fabricatorem coeli et terrae? quem et prophetae praedicaverunt, quem et Christus suum Patrem confitetur, quem et lex annuntiat, dicens: « Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est. »

3. Quoniam autem Moysi litterae verba sint Christi, ipse ait ad Judaeos, quemadmodum Joannes in Evangelio commemoratus est: « Si credidissetis Moysi, credidissetis et mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, neque meis sermonibus credetis. » Manifestissime significans, Moysi litteras suos esse sermones. Ergo si Moysi, et reliquorum sine dubio prophetarum sermones ipsius sunt, quemadmodum demonstravimus. Et iterum ipse Dominus ostendit, Abraham dixisse diviti de his omnibus, qui adhuc erant in vita: « Si Moysi et prophetis non obediunt, nec si quis a mortuis resurgens ad illos eat, credent ei. »

4. Non autem fabulam retulit nobis pauperis et divitis; sed primum quidem docuit, neminem oportere deliciis uti, neque in saecularibus oblectamentis, et multis epulis degentes, servire suis voluptatibus, et oblivisci Deum. « Erat enim, inquit, dives, qui vestiebatur purpuram et byssum, et delectabatur epulis splendidis. » De talibus

autem et per Isaiam dixit Spiritus: « Cum citharis, et tympanis, et psalteriis, et tibiis vinum bibunt: opera autem Dei non intuentur, et opera manuum ejus non considerant. » Ne ergo in eamdem poenam cum his veniamus, finem eorum ostendit Dominus; simul significans, quod obedientes Moysi et prophetis crederent in eum, quem ipsi praedicassent, Dei Filium qui resurrexit a mortuis, et vitam nobis donat; et demonstrat, ex una substantia esse omnia, id est Abraham et Moysem, et prophetas, etiam ipsum Dominum qui resurrexit a mortuis, in quem et credunt multi qui sunt ex circumcisione, qui et Moysem et prophetas audiunt praedicantes adventum Filii Dei. Qui autem spernunt, ab altera substantia eos esse dicunt, neque primogenitum mortuorum sciunt; separatim Christum intelligentes, tanquam impassibilem perseverantem, et separatim eum, qui passus est, Jesum.

5. Non enim a Patre accipiunt cognoscere Filium, nec a Filio discunt Patrem, manifeste et sine parabolis eum Deum, qui est vere, docente. « Ne, inquit, juraveritis in totum, neque in coelum, quoniam thronus est Dei: neque in terram, quoniam scabellum est pedum ejus: neque per Hierusalem, quoniam civitas est magni Regis. » Haec enim in fabricatorem manifeste dicta sunt, quemadmodum et Isaias ait: « Coelum mihi sedes est, terra suppedaneum pedum meorum. » Et praeter hunc alius non est Deus; caeterum a Domino neque Deus, neque magnus Rex diceretur: hujusmodi enim nec comparationem, nec ullam recipit superlationem. Qui enim super se habet

aliquem superiorem, et sub alterius potestate est, hic neque Deus, neque magnus Rex dici potest.

6. Sed nec per ironiam quidem haec dicta esse, poterunt dicere, cum convincantur ab ipsis dictis, quoniam in veritate dicta sunt. Etenim veritas erat ipse qui loquebatur, et vere vindicabat suam domum, projiciens ex ea nummularios, qui et emebant, et vendebant, dicens eis: « Scriptum est, domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum. » Et quam causam habuit hoc facere et dicere, et domum suam vindicare, si alterum Deum annuntiabat? Sed ut ostenderet transgressores paternae legis. Neque enim domum incusabat, neque legem reprehendebat, quam venerat adimplere; sed eos, qui non bene utebantur domo, et eos, qui legem transgrediebantur, arguebat. Et ideo Scribae et Pharisaei, qui coeperant a temporibus legis contemnere Deum, nec Verbum ejus receperunt, id est non crediderunt Christo, de quibus Isaias ait: « Principes tui indicto audientes sunt, socii furum, diligentes munera, sectantes retributionem, pupillis non judicantes, et judicium viduarum non attendentes. » Et Jeremias autem similiter: « Qui praesunt, inquit, populo meo, me nesciebant: filii insensati et imprudentes sunt, sapientes sunt in malefaciendo, bene autem facere non cognoverunt. »

7. Quotquot autem timebant Deum, et solliciti erant circa legem ejus, ipsi accucurrerunt Christo, et salvati sunt omnes: « Ite » enim, inquit discipulis, « ad oves quae perierunt domus Israel. » Et Samaritae autem, inquit, cum mansisset Domi-

nus apud eos biduo, « multo plures crediderunt propter sermones ejus, et mulieri dicebant: Jam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus, et scimus quoniam hic est vere Salvator mundi. » Et Paulus autem ait: « Et sic omnis Israel salvabitur. » Sed et legem paedagogum nostrum in Jesum Christum dixit. Non ergo quorumdam infidelitatem legi ascribant: non enim lex prohibebat eos credere in Filium Dei, sed et adhortabatur, dicens, non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra, et omnia trahit ad se, et vivificat mortuos.

CAPUT III

Respondet cavillis Gnosticorum: non idcirco Deum verum mutari aut desinere esse, quod coelum sedes ejus, et terra suppedaneum pedum ejus, praetereant.

1. Quoniam malignantes dicunt: si enim coelum thronus Dei est, et terra suppedaneum ejus, dictum est autem praeterire coelum et terram; hisque praetereuntibus oportere etiam hunc Deum, qui super sedeat, praeterire; et ideo non hunc esse Deum qui sit super omnia; primo quidem nesciunt quid sit, coelum thronus, et terra suppedaneum. Nec enim sciunt quid sit Deus, sed putant eum more hominis sedere, et contineri, non autem continere. Sed et praeteritionem coeli et terrae ignorant; Paulus autem non ignoravit, dicens: « Praeterit enim figura hujus mundi. » Deinde quaestionem ipsorum solvit David. Figu-

ra enim hujus mundi praetereunte, non solum Deum ait perseverare, sed et servos ejus, in centesimo primo psalmo dicens ita: « Initio terram tu fundasti, Domine, et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt; tu autem perseverabis, et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut cooperimentum mutabis eos, et mutabuntur. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Filii servorum tuorum inhabitabunt, et semen eorum in aeternum dirigetur; » manifeste ostendens quae sint quae praetereunt, et quis est qui semper perseverat, Deus cum servis suis. Et Isaias autem similiter: « Allevate, inquit, oculos vestros in coelum, et attendite in terram deorsum, quoniam coelum sicut fumus confirmatum est, terra autem sicut vestimentum veterascet: qui autem inhabitant in eis, quemadmodum haec, morientur. Salutare autem meum in aeternum erit, justitia autem mea non deficiet. »

CAPUT IV

Respondet alteri objectioni, et probat eversa licet et derelicta Hierosolyma, quae magni Regis civitas erat, nihil de suprema Dei majestate ac potentia decessisse: id enim sapientissimo ejusdem Dei consilio factum fuisse.

1. Adhuc et de Hierusalem, et de Domino audent dicere, quoniam si esset « magni Regis civitas, » non derelinqueretur. Simile autem est, si quis diceret, quoniam si esset stipula conditio Dei, nunquam a frumento derelinqueretur; et sarmenta vineae, si a Deo facta essent, nunquam a botris destituta abscinderentur. Quemadmo-

dum autem haec non propter se principaliter facta sunt, sed propter crescentem in eis fructum, quo maturo facto et ablato, derelinquuntur, et e medio auferuntur, quae jam non sunt utilia ad fructificationem: sic et Hierosolyma, quae jugum in se servitutis portaverat (in quo domitus est homo, qui antea non subjiciebatur Deo, cum mors regnabat, et domitus habilis factus est ad libertatem), adveniente fructu libertatis, et aucto, et demesso, et in horreum recepto, et apportatis ab ea his qui fructificare possunt, et in omni mundo disseminatis. Quemadmodum Isaias ait: « Filii Jacob germinabunt, et floriet Israel, et fructu ejus adimplebitur universa terra. » In universa enim terra fructu disseminato, merito derelicta est, et de medio ablata est, quae aliquando quidem fructificaverat bene (ex ipsa enim secundum carnem Christus fructificatus est, et apostoli); nunc autem jam utilis non est ad fructificationem. Quaecunque enim temporale initium habent, necesse est ea et finem habere temporalem.

2. Quoniam igitur a Moyse lex inchoavit, consequenter in Joannem desivit. Ad impletionem ejus advenerat Christus: et propter hoc « lex et prophetae » apud eos « usque ad Joannem; » et Hierusalem itaque inchoans a David, et adimplens tempora sua. Legisdationem finem oportuit habere, manifestato Novo Testamento. Omnia enim mensura et ordine Deus facit, et nihil non mensum apud eum, quoniam nec incompositum. Et bene, qui dixit ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum: mensura enim Patris, Filius, quoniam et capit eum. Quoniam autem

temporalis erat illorum administratio, Isaias ait: « Derelinquetur filia Sion sicut casa in vinea, et velut custodiarium in cucumerario. » Quando autem haec derelinquentur? Nonne cum fructus aufertur, et derelinquentur folia sola quae jam fructificare non possunt?

3. Et quid de Hierusalem dicimus, quandoquidem et figuram mundi universi oporteat praeterire, adveniente tempore praeteritionis ipsius, ut fructus quidem in horreum colligatur, paleae autem derelictae comburantur? « Dies enim Domini, quasi clibanus ardens: et erunt stipula omnes peccatores, qui faciunt injusta, et comburet eos dies veniens. » Quis est autem hic Dominus, qui talem importat diem, Joannes Baptizator significat, dicens de Christo: « Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni, palam habens in manu ejus ad emundandam aream suam, et fructum congregabit in horreum, paleas autem comburet igni inexstinguibili. » Non enim alius est, qui frumentum facit, et alius qui paleas; sed unus et idem, et judicans ea, id est separans. Sed frumentum quidem et paleae, inanimalia et irrationabilia exsistentia, naturaliter talia facta sunt: homo vero rationabilis, et secundum hoc similis Deo, liber in arbitrio factus et suae potestatis, ipse sibi causa est, ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat. Quapropter, et juste condemnabitur, quoniam rationabilis factus amisit veram rationem, et irrationabiliter vivens, adversatus est justitiae Dei, tradens se omni terreno spiritui, et omnibus serviens voluptatibus; quemadmodum Propheta ait: « Homo cum in honore esset,

non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. »

CAPUT V

Redit ad susceptum argumentum, et ostendit unicum esse Deum a lege et prophetis annuntiatum, quem Christus Patrem suum confitetur, quique per Verbum suum, unum cum eo Deum vivum notum in utroque Testamento se fecit hominibus.

1. Unus igitur et idem Deus, qui plicat coelum quemadmodum librum, et renovat faciem terrae: qui temporalia fecit propter hominem, ut maturescens in eis fructificet immortalitatem, et qui aeterna superducit propter suam benignitatem, « ut ostendat saeculis supervenientibus inenarrabiles divitias benignitatis suae, » qui a lege et prophetis annuntiatus est, quem Christus suum Patrem confessus est. Ipse est autem fabricator; et ipse est qui super omnia est Deus, quemadmodum Isaias ait: « Ego testis, dicit Dominus Deus, et puer meus, quem elegi, ut cognoscatis, et credatis, et intelligatis, quia ego sum. Ante me non fuit alius Deus, et post me non erit. Ego Deus, et non est absque me salvans. Annuntiavi, et salvavi. » Et iterum: « Ego sum Deus primus, et super ventura ego sum. » Neque enim varie, neque elate, neque glorians dicit haec: sed quoniam impossibile erat sine Deo discere Deum, per Verbum suum docet homines scire Deum. His igitur qui nesciunt haec, et propter hoc alterum adinvenisse putant Patrem, juste quis dicit: « Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. »

2. Dominus enim noster et magister in ea responsione, quam habuit ad Sadducaeos, qui dicunt resurrectionem non esse, et propter hoc inhonorantes Deum, atque legi detrahentes, et resurrectionem ostendit, et Deum manifestavit, dicens eis: « Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. De resurrectione enim, inquit, mortuorum non legistis quid dictum est a Deo dicente: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? » et adjecit: « Non est Deus mortuorum, sed viventium: » omnes enim ei vivunt. Per haec utique manifestum fecit, quoniam is qui de rubo locutus est Moysi, et manifestavit se esse Deum patrum, hic est viventium Deus. Quis enim est vivorum Deus, nisi qui est Deus, super quem alius non est Deus? Quem et Daniel propheta, cum dixisset ei Cyrus rex Persarum: « Quare non adoras Bel? » annuntiavit, dicens: « Quoniam non colo idola manufacta, sed vivum Deum, qui constituit coelum et terram, et habet omnis carnis dominationem. » Iterum dixit: « Dominum Deum meum adorabo, quoniam hic est Deus vivus. » Qui igitur a prophetis adorabatur Deus vivus, hic est vivorum Deus, et Verbum ejus, qui et locutus est Moysi, qui et Sadducaeos redarguit, qui et resurrectionem donavit: utraque his, qui caecutiunt, ostendens, id est resurrectionem et Deum. Si enim Deus mortuorum non est, sed vivorum, hic autem dormientium patrum Deus dictus est, indubitate vivunt Deo, et non perierunt, cum sint filii resurrectionis. Resurrectio autem ipse Dominus noster est, quemadmodum ipse ait: « Ego sum resurrectio et vita. » Patres autem, ejus filii;

dictum est enim a Propheta: « Pro patribus tuis facti sunt tibi filii tui. » Ipse igitur Christus cum Patre vivorum est Deus, qui locutus est Moysi, qui et patribus manifestatus est.

3. Et hoc ipsum docens dicebat Judaeis: « Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est. » Quid enim? « Credidit Abraham Deo, et deputatum est ei ad justitiam: » primum quidem, quoniam ipse est factor coeli et terrae, solus Deus: deinde autem, quoniam faciet semen ejus quasi stellas coeli. Hoc est quod a Paulo dicitur: « Quemadmodum luminaria in mundo. » Juste igitur, derelinquens terrenam cognationem omnem, sequebatur Verbum Dei, cum Verbo peregrinans, ut cum Verbo moraretur.

4. Juste autem et apostoli, ex Abraham genus habentes, derelinquentes naviculam et patrem, sequebantur Verbum Dei. Juste autem et nos, eamdem fidem accipientes, quam habuit Abraham, tollentes crucem, quemadmodum ligna Isaac, sequimur eum. In Abraham enim praedidicerat et assuetus fuerat homo sequi Verbum Dei. Etenim Abraham secundum fidem suam secutus praeceptum Verbi Dei, prono animo unigenitum et dilectum filium suum concessit sacrificium Deo; ut et Deus beneplacitum habeat, pro universo semine ejus dilectum et unigenitum Filium suum praestare sacrificium in nostram redemptionem.

5. Propheta ergo cum esset Abraham, et videret in spiritu diem adventus Domini, et passionis dispositionem, per quem ipse quoque, et omnes qui similiter, ut ipse credidit, credunt Deo, salvari

inciperent, exsultavit vehementer. Non incognitus igitur erat Dominus Abrahae, cujus diem concupivit videre: sed neque Pater Domini; didicerat enim a Verbo Domini, et credidit ei: quapropter et deputatum est ei ad justitiam a Domino. Fides enim, quae est ad Deum altissimum, justificat hominem: et propter hoc dicebat: « Extendam manum meam ad Deum altissimum, qui constituit coelum et terram. » Haec autem omnia conantur evertere illi, qui sunt malae sententiae, ob unum dictum, quod quidem apud eos non bene intellectum est.

CAPUT VI

Explicat Christi verba: « Nemo cognoscit Patrem nisi Filius, » etc., quibus abutebantur haeretici, et probat, ut revelante Patre Filium, sic revelante Filio Patrem nunquam non cognitum fuisse.

1. Dominus enim ostendens semetipsum discipulis, quoniam ipse est Verbum, qui agnitionem Patris facit, et exprobrans Judaeis putantibus se habere Deum, cum et frustrentur Verbum ejus, per quem cognoscitur Deus, dicebat: « Nemo cognoscit Filium nisi Pater, neque Patrem quis cognoscit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. » Sic et Matthaeus posuit, et Lucas similiter, et Marcus idem ipsum: Joannes enim praeteriit locum hunc. Hi autem qui peritiores apostolis volunt esse, sic describunt: « Nemo cognovit Patrem nisi Filius, nec Filium nisi Pater, et cui voluerit Filius revelare; » et interpretantur, quasi a nullo cognitus sit verus Deus ante Domini

nostri adventum: et eum Deum, qui a prophetis sit annuntiatus, dicunt non esse Patrem Christi.

2. Si autem Christus tunc inchoavit esse, quando et secundum hominem adventum suum egit, et a temporibus Tiberii Caesaris commemoratus est Pater providere hominibus, et non semper Verbum ejus una cum plasmate fuisse ostendebatur; nec tunc quidem oportuit alterum Deum annuntiari, sed causas tantae incuriae et negligentiae ejus inquiri. Nullam enim oportet quaestionem talem esse, et tantum invalescere, ut et Deum quidem mutet, et eam, quae est erga fabricatorem (qui nos alit per suam conditionem), fidem nostram evacuet. Sicut enim in Filium fidem nostram dirigimus, sic et in Patrem dilectionem firmam et immobilem habere debemus. Et bene Justinus in eo libro qui est ad Marcionem ait: « Quoniam ipsi quoque Domino non credidissem, alterum Deum annuntianti, praeter fabricatorem et factorem et nutritorem nostrum. Sed quoniam ab uno Deo, qui et hunc mundum fecit, et nos plasmavit, et omnia continet et administrat, unigenitus Filius venit ad nos, suum plasma in semetipsum recapitulans, firma est mea ad eum fides, et immobilis erga Patrem dilectio, utraque Deo nobis praebente. »

3. Neque enim Patrem cognoscere quis potest, nisi Verbo Dei, id est, nisi Filio revelante, neque Filium, sine Patris beneplacito. Bonum autem placitum Patris Filius perficit: mittit enim Pater; mittitur autem et venit Filius. Et Patrem quidem invisibilem et indeterminabilem, quantum ad nos est, cognoscit suum ipsius Verbum, et cum sit

inenarrabilis, ipse enarrat eum nobis: rursum autem Verbum suum solus cognoscit Pater: utraque autem haec sic se habere manifestavit Dominus. Et propter hoc Filius revelat agnitionem Patris per suam manifestationem. Agnitio enim Patris, est Filii manifestatio: omnia enim per Verbum manifestantur. Ut ergo cognosceremus, quoniam qui advenit Filius, ipse est qui agnitionem Patris facit credentibus sibi, dicebat discipulis: « Nemo cognoscit Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater, et quibuscunque Filius revelaverit; » docens semetipsum et Patrem, sicut est, ut alterum non recipiamus Patrem, nisi eum qui a Filio revelatur.

4. Hic autem est fabricator coeli et terrae, quemadmodum ex sermonibus ejus ostenditur; et non is qui a Marcione, vel a Valentino, aut a Basilide, aut a Carpocrate, aut Simone, aut reliquis falso cognominatis Gnosticis adinventus est falsus Pater. Nemo enim illorum Filius fuit Dei, sed Christus Jesus Dominus noster, adversus quem et contrariam exercent disciplinam, incognitum Deum audentes annuntiare. Debent autem in semetipsos audire: Quemadmodum enim incognitus, qui ab ipsis cognoscitur? quodcunque enim vel a paucis cognoscitur, non est incognitum. Dominus autem non in totum non posse cognosci et Patrem et Filium dixit: caeterum supervacuus fuisset adventus ejus. Quid enim huc veniebat? an uti diceret nobis: Nolite quaerere Deum, incognitus est enim, et non invenietis eum: quemadmodum et Christum Aeonibus eorum dixisse mentiuntur hi qui sunt a Valentino? Sed hoc quidem vanum est. Edocuit autem Domi-

nus, quoniam Deum scire nemo potest, nisi Deo docente, hoc est, sine Deo non cognosci Deum: hoc ipsum autem cognosci eum, voluntatem esse Patris. Cognoscunt enim eum quibuscunque revelaverit Filius.

5. Et ad hoc Filium revelavit Pater, ut per eum omnibus manifestetur, et eos quidem, qui credunt ei justi, in incorruptelam, et in aeternum refrigerium recipiat (credere autem ei, est facere ejus voluntatem); eos autem qui non credunt, et propter hoc fugiunt lumen ejus, in tenebras, quas ipsi sibi elegerunt, juste recludet. Omnibus igitur revelavit se Pater, omnibus Verbum suum visibile faciens: et rursus Verbum omnibus ostendebat Patrem et Filium cum ab omnibus videretur, et ideo justum judicium Dei super omnes qui similiter quidem viderunt, non autem similiter crediderunt.

6. Etenim per ipsam conditionem revelat Verbum conditorem Deum, et per mundum fabricatorem mundi Dominum, et per plasma eum, qui plasmaverit, artificem, et per Filium eum Patrem qui generaverit Filium: et haec omnes similiter quidem colloquuntur, non autem similiter credunt. Sed per legem et prophetas similiter Verbum et semetipsum et Patrem praedicabat: et audivit quidem universus populus similiter; non similiter autem omnes crediderunt. Et per ipsum Verbum visibilem et palpabilem factum, Pater ostendebatur, etiamsi non omnes similiter credebant ei; sed omnes viderunt in Filio Patrem: invisibile etenim Filii Pater, visibile autem Patris Filius. Et propter hoc omnes Christum loqueban-

tur praesente eo, et Deum nominabant. Sed et daemones videntes Filium, dicebant: « Scimus te qui es, sanctus Dei: » et tentans diabolus, videns eum, dicebat: « Si tu es Filius Dei: » omnibus quidem videntibus et loquentibus Filium et Patrem, non autem omnibus credentibus.

7. Oportebat enim veritatem ab omnibus accipere testimonium, et esse judicium in salutem quidem credentium, in condemnationem autem non credentium, ut omnes juste judicentur, et ea quae est in Patrem et Filium fides, ab omnibus comprobetur, id est ab omnibus confirmetur, ab omnibus accipiens testimonium, et a domesticis, quoniam et amici; et ab extraneis, quoniam et inimici. Illa est enim vera et sine contradictione probatio, quae etiam ab adversariis ipsis singula testificationis profert: in ipsa quidem manifesta sua visione convictis de praesenti negotio, et testificantibus, et significantibus; postea vero ad inimicitiam erumpentibus, et accusantibus, et volentibus non esse verum suum testimonium. Non ergo alius erat qui cognoscebatur, et alius qui dicebat: « Nemo cognoscit Patrem; » sed unus et idem, omnia subjiciente ei Patre, et ab omnibus accipiens testimonium, quoniam vere homo, et quoniam vere Deus, a Patre, a Spiritu, ab angelis, ab ipsa conditione, ab hominibus, et ab apostaticis spiritibus, et daemoniis, et ab inimico, et novissime ab ipsa morte. Omnia autem Filius administrans Patri, perficit ab initio usque ad finem, et sine illo nemo potest cognoscere Deum. Agnitio enim Patris, Filius; agnitio autem Filii in Patre, et per Filium revelata: et propter hoc

Dominus dicebat: « Nemo cognoscit Filium, nisi Pater: neque Patrem, nisi Filius, et quibuscunque Filius revelaverit. » Revelaverit enim, non solum in futurum dictum est, quasi tunc inceperit Verbum manifestare Patrem, cum de Maria natus; sed communiter per totum tempus positum est. Ab initio enim assistens Filius suo plasmati, revelat omnibus Patrem, quibus vult, et quando vult, et quemadmodum vult Pater: et propter hoc in omnibus, et per omnia unus Deus Pater, et unum Verbum, Filius, et unus Spiritus, et una salus omnibus credentibus in eum.

CAPUT VII

Exorsam orationem repetit, et ostendit Abraham revelante Verbo cognovisse Patrem et Filii Dei adventum. Hinc exsultasse videntem Christi diem, quo promissa sibi facta adimplenda erant. Cujus quidem exsultationis fructus ad posteros, fidei Abrahae consortes manavit, ad Judaeos vero Dei Verbum rejicientes non pervenit.

1. Et Abraham ergo a Verbo cognoscens Patrem, qui fecit coelum et terram, hunc Deum confitebatur: et doctus repraesentatione, quod inter homines homo futurus esset Filius Dei, per cujus adventum semen ejus erat futurum quasi stellae coeli, concupivit eam diem videre, uti et ipse complecteretur Christum: et per spiritum prophetiae eam videns exsultavit. Propter quod et Simeon ex semine ejus re implebat gratulationem patriarchae, et dicebat: « Nunc remittis servum tuum, Domine, in pace; quoniam viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti in facie omnium

populorum: lumen ad revelationem gentium, et gloriam populi Israel. » Et angeli autem gratulationem magnam vigilantibus nocte pastoribus enuntiaverunt. Sed et Maria ait: « Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo: » descendente quidem exsultatione Abrahae in eos qui erant ex semine ejus, vigilantes et videntes Christum, et credentes ei; reciproca autem rursus et regrediente exsultatione a filiis in Abraham, qui et concupierat diem adventus Christi videre. Bene igitur Dominus noster testimonium reddebat ei, dicens: « Abraham pater vester exsultavit, ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est. »

2. Non enim tantum propter Abraham haec dixit: sed et ut ostenderet, quoniam omnes qui ab initio cognitum habuerunt Deum, et adventum Christi prophetaverunt, revelationem acceperunt ab ipso Filio, qui et in novissimis temporibus visibilis et passibilis factus est, et cum humano genere locutus est, uti ex lapidibus excitaret filios Abrahae, et adimpleret repromissionem, quam promiserat illi Deus, et faceret semen ejus tanquam stellas coeli, quemadmodum ait Joannes Baptista: « Potens est enim Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahae. » Hoc autem fecit Jesus, a lapidum religione extrahens nos, et a duris et infructuosis cogitationibus transferens nos, et similem Abrahae fidem in nobis constituens. Quemadmodum et Paulus testificatur, dicens, nos esse filios Abrahae secundum similitudinem fidei, et repromissionem haereditatis.

3. Unus igitur et idem Deus, qui advocavit Abraham, et repromissionem ei dedit. Hic est autem fabricator, qui et per Christum praeparat luminaria in mundo, eos qui ex gentibus credunt. « Vos » autem, inquit, « estis lumen mundi, » hoc est, quasi stellae coeli. Hunc ergo recte ostendimus a nemine cognosci, nisi a Filio, et quibuscunque Filius revelaverit. Revelat autem omnibus Filius, quibus velit cognosci, Patrem, et neque sine bona voluntate Patris, neque sine administratione Filii cognoscet quisquam Deum. Et propter hoc dicebat discipulis Dominus: « Ego sum via, veritas, et vita. Et nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis, et amodo cognovistis eum, et vidistis. » Ex quibus manifestum est, quoniam per Filium, id est per Verbum, cognoscitur.

4. Propter hoc Judaei excesserunt a Deo, Verbum ejus non recipientes, sed putantes per seipsum Patrem sine Verbo, id est sine Filio, posse cognoscere; Deum nescientes eum qui in figura locutus est humana ad Abraham, et iterum ad Moysem, dicentem: « Videns vidi vexationem populi mei in Aegypto, et descendi liberare eos. » Haec enim Filius, qui est Verbum Dei, ab initio praestruebat, non indigente Patre angelis, uti faceret conditionem, et formaret hominem, propter quem et conditio fiebat: neque rursus indigente ministerio ad fabricationem eorum, quae facta sunt, ad dispositionem eorum negotiorum, quae secundum hominem erant; sed habente copiosum et inenarrabile ministerium. Ministrat enim ei ad omnia sua progenies et figuratio sua,

id est Filius et Spiritus sanctus, Verbum et Sapientia; quibus serviunt, et subjecti sunt omnes angeli. Vani igitur sunt qui propter hoc, quod dictum sit: « Nemo cognoscit Patrem, nisi Filius; » alterum introducunt incognitum Patrem.

CAPUT VIII

Vanos esse Marcionem et asseclas, qui Abraham a salute per Christum impertita excludunt; Christum enim non Abraham modo, sed et semen ejus in libertatem asseruisse, legem implendo, non solvendo, dum etiam Sabbatis curabat.

1. Vanus autem et Marcion, et qui ab eo, expellentes ab haereditate Abraham, cui Spiritus per multos, jam autem et per Paulum testimonium reddit, quoniam « credidit Deo, et deputatum est ei ad justitiam: » et Dominus, primum quidem de lapidibus excitans filios ei, et faciens semen ejus quasi stellas coeli, dicens: « Quoniam venient ab Oriente et Occidente, ab Aquilone et Austro, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno coelorum; » iterum dicens Judaeis: « Cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes prophetas in regno coelorum, vos autem projici foras. » Manifestum est ergo, quoniam qui contradicunt saluti ejus, et alterum praeter eum, qui promissionem fecerit Abrahae, formant Deum, extra regnum Dei sunt, et exhaeredes sunt ab incorruptela, frustrantes et blasphemantes Deum, qui in regnum coelorum introducit Abraham, et semen ejus, quod est Ecclesia, per Christum Jesum, cui et adoptio redditur, et haereditas quae Abrahae promissa est.

2. Vindicabat enim semen ejus Dominus, solvens a vinculis, et advocans ad salutem, quemadmodum fecit in muliere, quae ab eo curata est, manifeste dicens his, qui non similem Abrahae habebant fidem: « Hypocritae, unusquisque vestrum die Sabbatorum bovem suum, vel asinum non solvit, et ducit, et adaquat? Hanc autem, cum sit filia Abrahae, quam alligaverat Satanas decem et octo annis, non oportuerat solvi ab hoc vinculo in die Sabbatorum? » Manifestum est igitur, quoniam eos qui similiter ut Abraham credebant ei, solvit, et vivificavit, nihil extra legem faciens, curans in die Sabbatorum. Non enim prohibebat lex curari homines Sabbatis, quae et circumcidebat eos in hac die, et pro populo jubebat ministeria sacerdotibus perficere; sed et mutorum animalium curationem non prohibebat. Et Siloa etiam saepe Sabbatis curavit: et propter hoc assidebant ei multi die Sabbatorum. Continere enim jubebat eos lex ab omni opere servili, id est ab omni avaritia, quae per negotiationem et reliquo terreno actu agitur: animae autem opera, quae fiunt per sententiam, et sermones bonos, in auxilium eorum qui proximi sunt, adhortabatur fieri. Et propter hoc Dominus arguebat eos, qui injuste exprobrabant ei, quia Sabbatis curabat. Non enim solvebat, sed adimplebat legem, summi sacerdotis operam perficiens, propitians pro hominibus Deum, et emundans leprosos, infirmos curans, et ipse moriens, uti exsiliatus homo exiret de condemnatione, et reverteretur intrepide ad suam haereditatem.

3. Sed et esurientes accipere Sabbatis escam ex his quae adjacebant, non vetabat lex: metere autem et colligere in horreum vetabat. Et ideo Dominus his, qui incusabant discipulos ejus, quoniam vellentes spicas manducabant, dixit: « Nec hoc legistis, quod fecit David, cum esuriisset, quemadmodum introivit in domum Dei, et panes propositionis manducavit, et dedit eis qui cum eo erant, quos non licebat manducare, nisi solis sacerdotibus? » per legis verba suos discipulos excusans, et significans licere sacerdotibus libere agere. Sacerdos autem scitus fuerat David apud Deum, quamvis Saul persecutionem faceret ei. Omnes enim justi sacerdotalem habent ordinem. Sacerdotes autem sunt omnes Domini apostoli, qui neque agros, neque domos haereditant hic, sed semper altari et Deo serviunt. De quibus et Moyses in Deuteronomio, in benedictione Levi ait: « Qui dicit patri suo et matri suae: Non novi te; et fratres suos non agnovit, et filios suos abdicavit: custodivit praecepta tua, et testamentum tuum servavit. » Qui autem sunt, qui dereliquerunt patrem et matrem, et omnibus proximis renuntiaverunt, propter verbum Dei et testamentum ejus, nisi discipuli Domini? De quibus iterum Moyses: « Haereditas autem, » inquit, « non erit eis. Dominus enim ipse haereditas ipsorum. » Et iterum: « Non erit sacerdotibus levitis in tota tribu Levi pars, neque substantia cum Israel: fructificationes Domini substantiae eorum; manducabunt eas. » Propter hoc et Paulus: « Non inquiro, » inquit, « datum; sed inquiro fructum. » Discipulis, inquit, Domini leviticam

substantiam habentibus, licebat eis esurientibus, a seminibus accipere escam: « Dignus est enim operarius esca sua. » Et sacerdotes in templo Sabbatum profanabant, et rei non erant. Quare ergo rei non erant? Quia cum essent in templo, non saecularia, sed Dominica perficiebant ministeria, legem adimplentes, non autem praetereuntes legem; quemadmodum is qui a semetipso arida ligna attulit in castra Domini, qui et juste lapidatus est. « Omnis enim arbor, quae non facit fructum bonum, abscindetur, et in ignem mittetur. » Et: « Quicunque templum Dei violaverit, violabit illum Deus. »

CAPUT IX

Utriusque testamenti unum esse auctorem, finem, scopumque praecipuum.

1. Unius igitur et ejusdem substantiae sunt omnia, hoc est, ab uno et eodem Deo, quemadmodum et Dominus ait discipulis: « Propterea omnis scriba doctus in regno coelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. » Non alterum quidem vetera, alterum vero proferentem nova docuit; sed unum et eumdem. Paterfamilias enim Dominus est, qui universae domui paternae dominatur: et servis quidem, et adhuc indisciplinatis condignam tradens legem; liberis autem, et fide justificatis congruentia dans praecepta, et filiis adaperiens suam haereditatem. Scribas autem et doctores regni coelorum, suos dicebat discipulos, de quibus et alibi ait Judaeis: « Ecce, mitto ad vos sapientes, et scribas, et doctores, et ex eis

occidetis, et effugabitis a civitate in civitatem. » Ea autem, quae de thesauro proferuntur nova et vetera, sine contradictione duo testamenta dicit: vetus quidem, quod ante fuerat, legisdatio; novum autem, quae secundum Evangelium est conversatio, ostendit, de qua David ait: « Cantate Domino canticum novum. » Et Isaias: « Cantate Domino hymnum novum. Initium ejus, glorificatur nomen ejus a summo terrae: virtutes ejus in insulis annuntiant. » Et Jeremias ait: « Ecce disponam, » inquit, « testamentum novum, non quemadmodum disposui patribus vestris » in monte Oreb. Utraque autem testamenta unus et idem paterfamilias produxit, Verbum Dei, Dominus noster Jesus Christus, qui et Abrahae, et Moysi collocutus est, et nobis in novitate restituit libertatem, et multiplicavit eam, quae ab ipso est, gratiam.

2. « Plus est enim, » inquit, « templo hic. » Plus autem et minus non in his dicitur, quae inter se communionem non habent, et sunt contrariae naturae, et pugnant adversum se; sed in his quae ejusdem sunt substantiae, et communicant secum, solum autem multitudine, et magnitudine differunt: quemadmodum aqua ab aqua, et lumen a lumine, et gratia a gratia. Major est igitur legisdatio quae in libertatem, quam quae data est in servitutem: et ideo non in unam gentem, sed in totum mundum diffusa est. Unus autem et idem Dominus, qui plus quam templum est, et plus quam Salomon, et plus quam Jonas donat hominibus, id est, suam praesentiam et resurrectionem a mortuis: sed non Deum immu-

tans, nec alium praedicans Patrem, sed eumdem ipsum, qui semper habet plura metiri domesticis; et proficiente eorum erga Deum dilectione, plura et majora donans, quemadmodum et Dominus discipulis dicebat: « Quoniam et majora horum videbitis. » Et Paulus ait: « Non quod jam acceperim, aut justificatus sim, aut jam perfectus sim. Ex parte enim scimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, quae sunt ex parte destruentur. » Sicut igitur, adveniente perfecto, non alterum Patrem videbimus, sed hunc quem nunc videre concupimus (« Beati enim mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt »); neque alium Christum, et Dei Filium exspectabimus, sed hunc qui ex Maria Virgine, qui et passus est, in quem et credimus, quem et diligimus (quemadmodum Isaias ait: « Et dicent in illa die: Ecce, Dominus Deus noster, in quem speravimus, et exsultavimus in salute nostra. » Et Petrus ait in Epistola sua: « Quem non videntes diligitis, » inquit, « in quem nunc non videntes credidistis, gaudebitis gaudio inenarrabili »); neque alium Spiritum sanctum percipimus, nisi hunc qui est nobiscum, et qui clamat: « Abba, pater; » et in iisdem ipsis augmentum habebimus, et proficiemus, ut jam non per speculum, et per aenigmata, sed facie ad faciem fruamur muneribus Dei: sic et nunc plus templo, et plus Salomone percipientes, quod est adventus Filii Dei, non alterum didicimus Deum, praeter fabricatorem et factorem omnium, qui ab initio nobis demonstratus est; neque alterum Christum Dei Filium, praeter eum qui a prophetis praedicatus est.

3. Novo enim Testamento cognito et praedicato per prophetas, et ille qui illud dispositurus erat secundum placitum Patris, praedicabatur, manifestatus hominibus, quemadmodum voluit Deus; ut possint semper proficere credentes in eum, et per testamenta maturescere perfectum salutis. Una enim salus, et unus Deus: quae autem formant hominem, praecepta multa, et non pauci gradus, qui ducunt hominem ad Deum. Terreno quidem et temporali regi, cum sit homo, licet aliquoties majores profectus attribuere his qui sunt subjecti: Deo autem non licebit, cum sit idem, et semper majorem gratiam praestare humano generi velit, et pluribus muneribus assidue honorare eos qui placent ei? Si autem hoc est proficere, alterum adinvenire Patrem, praeter eum qui ab initio annuntiatus est, et rursum, praeter eum qui putatur secundo inventus esse, alterum tertium adinvenire; et ejusdem erit profectus et a tertio in quartum, et ab hoc rursum alterum, et alterum: et sic semper putans proficere talis sensus, nunquam in uno stabit Deo. Expulsus enim ab eo qui est, et reversus retrorsum, quaeret quidem semper, inveniet autem nunquam Deum; sed semper incomprehensibilitatis profundo natabit, nisi per poenitentiam conversus, unde abjectus erat, revertatur; unum Deum Patrem Demiurgum confitens, et credens, qui a lege et prophetis annuntiatus est, qui a Christo testificatus est, quemadmodum ipse ait ad eos qui accusabant ejus discipulos, quasi non servarent traditionem seniorum: « Quare vos frustramini praeceptum Domini, propter traditionem vestram? Deus enim

dixit: Honora patrem et matrem; et: Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. » Et iterum ait eis: « Et frustrati estis sermonem Dei propter traditionem vestram; » manifestissime Patrem et Deum confitens Christus eum, qui in lege dixit: « Honora patrem et matrem, ut tibi bene sit. » Verbum enim Dei confessus est legis praeceptum verax Deus, et neminem alterum Deum appellavit, quam suum Patrem.

CAPUT X

Veteris Testamenti Scripturas, eas potissimum quae a Moyse exaratae sunt, Filii Dei ubique passim meminisse, ejusque adventum et passionem clarissime praenuntiasse, ac proinde ab uno et eodem Patre inspirante manasse.

1. Bene igitur et Joannes meminit dicentem Dominum Judaeis: « Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam aeternam habere: illae sunt quae testimonium perhibent de me. Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. » Quomodo igitur testabantur de eo Scripturae, nisi ab uno et eodem essent Patre, praeinstruentes homines de adventu Filii ejus, et praenuntiantes salutem quae est ab eo? « Si enim crederetis Moysi, » inquit, « crederetis et mihi: de me enim ille scripsit; » scilicet quod inseminatus est ubique in Scripturis ejus Filius Dei; aliquando quidem cum Abraham loquens, aliquando cum Noe, dans eis mensuras: aliquando autem quaerens Adam: aliquando autem Sodomitis inducens judicium: et rursus cum videretur, et in viam dirigit Jacob, et de rubo loquitur cum Moyse. Et non est nume-

rum dicere in quibus a Moyse ostenditur Filius Dei, cujus et diem passionis non ignoravit; sed figuratim praenuntiavit eum, Pascha nominans: et in eadem ipsa, quae ante tantum temporis a Moyse praedicata est, passus est Dominus adimplens Pascha. Non solum autem diem descripsit, sed et locum, et extremitatem temporum, et signum occasus solis, dicens: « Non poteris immolare Pascha in ulla alia civitatum tuarum, quas Dominus Deus dat tibi, nisi in eo loco quem delegerit Dominus Deus tuus invocari nomen suum ibi: immolabis Pascha vespere ad occasum solis. »

2. Jam autem et manifestaverat ejus adventum, dicens: « Non deerit princeps in Juda, neque dux ex femoribus ejus, quoadusque veniat cui repositum est, et ipse est spes gentium; alligans ad vitem pullum suum, et ad helicem pullum asinae. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvae pallium suum; laetifici oculi ejus a vino, et candidi dentes ejus quam lac. » Inquirant enim hi, qui omnia scrutari dicuntur, id tempus in quo defecit princeps, et dux ex Juda, et qui est gentium spes, et qui vitis, et qui pullus ejus, et quod indumentum, et qui oculi, et qui dentes, et quod vinum, et unumquodque ex dictis exquirant; et invenient non alium, nisi Dominum nostrum Jesum Christum, annuntiatum. Quapropter Moyses increpans populum, quod ingratus exsisteret, ait: « Sic populus fatuus, et non sapiens, haec Domino retribuistis? » Et rursus significans, quoniam qui ab initio condidit et fecit eos Verbum, et in novissimis temporibus redimens nos, et vivificans, ostenditur pendens in ligno, et non credent ei. Ait

enim: « Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, et non credes vitae tuae. » Et iterum: « Nonne hic idem Pater tuus possedit te, et fecit te, et creavit te? »

CAPUT XI

Veteres prophetas et justos praenovisse adventum Christi, huncque videre et audire ardentius appetiisse, ipso per Spiritum sanctum se in Scripturis revelante, et sine sui mutatione novis in dies beneficiis homines ditante, posteriores tamen cumulatius prioribus.

1. Quoniam autem non solum prophetae et justi multi, praescientes per Spiritum sanctum adventum ejus, oraverunt in illud tempus venire, in quo facie ad faciem viderent Dominum suum et sermones audirent ejus, Dominus fecit manifestum, dicens discipulis: « Multi prophetae et justi cupierunt videre quae videtis, et non viderunt, et audire quae auditis, et non audierunt. » Quemadmodum igitur concupierunt et audire, et videre, nisi praescissent futurum ejus adventum? Quomodo autem praescire potuerunt, nisi ab ipso praescientiam ante accepissent? Quomodo autem Scripturae testificantur de eo, nisi ab uno et eodem Deo omnia semper per Verbum revelata et ostensa fuissent credentibus; aliquando quidem colloquente eo cum suo plasmate, aliquando autem dante legem, aliquando vero exprobrante, aliquando exhortante, ac deinceps liberante servum, et adoptante in filium, et apto tempore incorruptelae haereditatem praestante, ad perfectionem hominis? Plasmavit enim eum

in augmentum et incrementum, quemadmodum Scriptura dicit: « Crescite et multiplicamini. »

2. Et hoc Deus ab homine differt, quoniam Deus quidem facit, homo autem fit: et quidem qui facit, semper idem est: quod autem fit, et initium, et medietatem, et adjectionem, et augmentum accipere debet. Et Deus quidem bene facit, bene autem fit homini. Et Deus quidem perfectus in omnibus, ipse sibi aequalis et similis; totus cum sit lumen, et totus mens, et totus substantia, et fons omnium bonorum; homo vero profectum percipiens et augmentum ad Deum. Quemadmodum enim Deus semper idem est; sic et homo in Deo inventus, semper proficiet ad Deum. Neque enim Deus cessat aliquando in benefaciendo, et locupletando hominem: neque homo cessat beneficium accipere, et ditari a Deo. Exceptorium enim bonitatis, et organum clarificationis ejus, homo gratus ei qui se fecit: et iterum exceptorium justi judicii ejus homo ingratus, et spernens plasmatorem, et non subjectus Verbo ejus: qui plurimum semper fructificantibus, et plus habentibus Dominicum argentum, daturum se pollicitus est: « Euge, » inquit, « serve bone et fidelis, quia in modico fidelis fuisti, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui; » ipse Dominus plurimum promittens.

3. Sicut ergo nunc fructificantibus plurimum daturum se pollicitus est, secundum muneration-em gratiae suae, sed non secundum commutationem agnitionis (ipse enim Dominus perseverat, et idem Pater revelatur); sic ergo et posterioribus majorem, quam quae fuit in veteri testa-

mento, munerationem gratiae attribuit unus et idem Dominus per suum adventum. Et illi enim per famulos audiebant venturum regem, et mediocriter gaudebant, secundum quod sperabant venturum eum: qui autem praesentem viderunt, et libertatem adepti et potiti sunt ejus munerationem, majorem gratiam et abundantiorem exsultationem habent gaudentes de regis adventu, quemadmodum et David dicit: « Anima mea exsultabit in Domino, jucundabitur in salutari ejus. » Et propter hoc Hierosolymam introeunte eo, omnes qui erant in via David in dolore animae, cognoverunt suum regem, et substraverunt ei vestimenta, et ramis viridibus adornaverunt viam, cum magna laetitia et exsultatione clamantes: « Hosanna, fili David, benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis. » Zelantibus autem malis dispensatoribus, qui circumveniebant inferiores, et dominabantur eorum, quibus ratio non constabat, et propter hoc nolentibus venisse regem, et dicentibus ei: « Audis quid isti dicunt? » ait Dominus: « Nunquam legistis: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem? » id quod a David in Filium Dei dictum erat, in se factum ostendens, et significans, illos quidem nescire virtutem Scripturae, et dispositionem Dei; se autem esse qui a prophetis annuntiatus sit Christus, cujus nomen in omni terra laudatur; ex ore infantium et lactentium laudem perficienti suo Patri: quapropter et elevata est magnificentia ejus super coelos.

4. Si ergo idem ipse adest, qui praedicatus est a prophetis, Deus Dominus noster Jesus

Christus et adventus ejus pleniorem gratiam et majorem munerationem attribuit his qui susceperunt eum; manifestum, quoniam et Pater idem ipse est, qui a prophetis annuntiatus est, et non alterius Patris agnitionem fecit veniens Filius, sed ejusdem qui ab initio praedicatus est, a quo et libertatem detulit his qui legitime, et prono animo, et toto corde deserviunt ei: contemptoribus autem, et non subjectis Deo, sed in gloriam hominum exteriores munditias sectantibus (quae in figuram futurorum traditae erant, velut umbrae cujusdam descriptionem faciente lege, atque delineante de temporalibus aeterna, de terrenis coelestia), fingentibus plusquam quae dicta sunt sese observare, tanquam diligentiam suam etiam ipsi Deo praeferentibus, intus autem plenis hypocrisi, et cupiditate, et omni malitia, in sempiternum attulit perditionem, abscindens eos a vita.

CAPUT XII

Eumdem esse utriusque legis auctorem hinc liquido patere, quod Christus traditiones et mores veteri repugnantes damnaverit, summa vero et eminentiora hujus praecepta confirmaverit, ac seipsum Mosaicae legis finem esse docuerit.

1. Seniorum enim ipsorum traditio, quam ex lege observare fingebant, contraria erat legi datae per Moysem. Propter hoc et Isaias ait: « Caupones tui miscent vinum aqua; » ostendens quod austero Dei praecepto miscerent seniores aquatam traditionem, id est aggredientes adulteram legem, et contrariam legi, sicut et Dominus fecit

manifestum, dicens eis: « Quare vos transgredimini praeceptum Dei, propter traditionem vestram? » Non solum autem per praevaricationem frustrati sunt legem Dei, miscentes vinum aqua; sed et suam legem e contrario statuerunt, quae usque adhuc Pharisaica vocatur. In qua quaedam quidem auferunt, quaedam vero addunt, quaedam autem, quemadmodum volunt, interpretantur; quibus utuntur singulariter magistri eorum: quas traditiones volentes vindicare, legi Dei instituenti eos ad adventum Christi non subjecti esse voluerunt; sed et Dominum arguebant in sabbatis curantem, quod quidem sicut praediximus, lex non prohibebat. Etenim ipsi secundum aliquid curabant, circumcidentes hominem in sabbato; se autem ipsos non redarguebant, per traditionem et praedictam Pharisaicam legem transgredientes praeceptum Dei, et praeceptum legis non habentes, id est dilectionem, quae est erga Deum.

2. Quoniam autem hoc primum et maximum praeceptum est, sequens autem erga proximum, Dominus docuit, totam legem et prophetas pendere dicens ex ipsis praeceptis. Et ipse autem aliud majus hoc praecepto non detulit, sed hoc ipsum renovavit suis discipulis, jubens eis Deum diligere ex toto corde, et caeteros quemadmodum se. Si autem ab alio descendisset Patre, nunquam ex lege primo et summo usus esset praecepto, sed utique omnimodo eniteretur majus hoc a perfecto Patre deferre, non eo uti, quod a Deo legis fuisset datum. Et Paulus autem: « Adimpletio, » inquit, « legis, dilectio: » et omnibus caeteris evacuatis, manere fidem, spem, dilectionem; ma-

jorem autem esse omnium dilectionem, et neque agnitionem sine dilectione, quae est erga Deum, praestare aliquid; neque mysteriorum comprehensionem, neque fidem, neque prophetiam, sed omnia vacua et frustra esse sine dilectione: dilectionem vero perficere perfectum hominem; et eum, qui diligit Deum, esse perfectum, et in hoc aevo, et in futuro. Nunquam enim desinimus diligentes Deum; sed quanto plus eum intuiti fuerimus, tanto plus eum diligimus.

3. In lege igitur et in Evangelio cum sit primum et maximum praeceptum, diligere Dominum Deum ex toto corde; dehinc simile illi, diligere proximum sicut seipsum: unus et idem ostenditur legis et Evangelii conditor. Consummatae enim vitae praecepta in utroque Testamento cum sint eadem, eumdem ostenderunt Deum: qui particularia quidem praecepta apta utrisque praecepit; sed eminentiora et summa, sine quibus salvari non est, in utroque eadem suasit.

4. Quem autem non confundat Dominus, ostendens non ab altero Deo esse legem, sic dicens eis qui a se docebantur, turbae et discipulis: « Super cathedram Moysi sederunt Scribae et Pharisaei. Omnia itaque quaecunque dixerint vobis, custodite, et facite; secundum autem opera eorum nolite facere: dicunt enim et non faciunt. Alligant enim sarcinas graves, et imponunt super humeros hominum; ipsi autem nec digito quidem volunt eas movere. » Non ergo eam legem, quae est per Moysem data, incusabat, quam adhuc salvis Hierosolymis suadebat fieri; sed illos redarguebat, quod verba quidem legis enuntia-

rent, essent autem sine dilectione: et propter hoc injusti in Deum et in proximos exstiterunt. Quemadmodum et Isaias ait: « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Frustra autem colunt me, docentes doctrinas et praecepta hominum. » Non per Moysem datam legem dicens praecepta hominum, sed traditiones presbyterorum ipsorum, quas finxerant, quas vindicantes frustrabantur legem Dei, et propter hoc nec Verbo ejus subjecti sunt. Hoc enim est quod et a Paulo dicitur de istis: « Ignorantes enim justitiam Dei, et suam justitiam volentes statuere, justitiae Dei non sunt subjecti. Finis enim legis Christus, ad justitiam omni credenti. » Et quomodo finis legis Christus, si non et initium ejus esset; qui enim finem intulit, hic et initium operatus est; et ipse est qui dicit Moysi: « Videns vidi vexationem populi mei, qui est in Aegypto, et descendi ut eruam eos; » ab initio assuetus Verbum Dei ascendere et descendere, propter salutem eorum qui male haberent.

5. Quoniam autem lex praedocuit hominem sequi oportere Christum, ipse facit manifestum, ei qui interrogavit eum, quid faciens vitam aeternam haereditaret, sic respondens: « Si vis in vitam introire, custodi praecepta. » Illo autem interrogante: « Quae? » rursus Dominus: « Non moechaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium reddes, honora patrem et matrem, et diliges proximum tanquam teipsum; » velut gradus proponens praecepta legis introitus in vitam, volentibus sequi eum: quae uni tum dicens, omnibus dicebat. Ille autem cum dixisset:

« Omnia feci » (et forte non fecerat, nam utique non diceretur ei: « Custodi praecepta »), arguens Dominus cupiditatem ejus, dixit ei: « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes, et divide pauperibus, et veni, sequere me; » apostolorum partem promittens eis qui sic fecerint: et non alterum Deum Patrem annuntiabat eis, qui sequebantur eum, praeter eum qui ab initio a lege annuntiatus est; nec alium Filium, nec Matrem, enthymesin Aeonis qui fuit in passione, et in defectione; nec triginta Aeonum plenitudinem, quae vacua et inconstans ostensa est; nec eam fabulam quae a reliquis haereticis ficta est: sed docebat ut facerent praecepta, quae ab initio praecepit Deus, et ut veterem cupiditatem per opera bona solverent, et sequerentur Christum. Quoniam autem ea quae possidentur, pauperibus divisa, solutionem faciunt praeteritae cupiditatis, Zacchaeus fecit manifestum: « Ecce, » dicens, « dimidium ex bonis meis do pauperibus, et si cujus quid fraudavi, reddo quadruplum. »

CAPUT XIII

Christum naturalia legis praecepta non dissolvisse; imo potius implevisse, extendisse et ampliasse: qui veteris legis jugum ac vincula ideo abstulit, ut homo jam liber ea fiducia ac pietate, quae filios decet, Deo pareret.

1. Et quia Dominus naturalia legis, per quae homo justificatur, quae etiam ante legisdationem custodiebant, qui fide justificabantur, et placebant Deo, non dissolvit, sed extendit, et implevit; ex sermonibus ejus ostenditur. « Dictum est

enim, » inquit, « antiquis: Non moechaberis. Ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo. » Et iterum: « Dictum est: Non occides. Ego autem dico vobis: omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio. » Et: « Dictum est: Non perjurabis. Ego autem dico vobis, neque jurare in totum. Sit autem vobis sermo, etiam etiam, non non. » Et quaecunque sunt talia. Omnia enim haec non contrarietatem et dissolutionem praeteritorum continent, sicut qui a Marcione sunt vociferantur; sed plenitudinem et extensionem, sicut ipse ait: « Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum. » Quid autem erat plus? Primo quidem non tantum in Patrem, sed et in Filium ejus jam manifestatum credere; hic est enim, qui in communionem et unitatem Dei hominem inducit. Post deinde non solum dicere, sed et facere; illi enim dicebant, sed non faciebant; et non tantum abstinere a malis operibus, sed etiam a concupiscentiis eorum. Haec autem non quasi contraria legi docebat; sed adimplens legem, et infigens justificationes legis in nobis. Illud autem fuisset legi contrarium, si quodcunque lex vetasset fieri, idipsum discipulis suis jussisset facere. Et hoc autem quod praecepit, non solum vetitis a lege, sed etiam a concupiscentiis eorum abstinere, non contrarium est, quemadmodum diximus; neque solventis legem, sed adimplentis, et extendentis, et dilatantis.

2. Etenim lex, quippe servis posita, per ea quae foris erant corporalia, animam erudiebat, velut

per vinculum attrahens eam ad obedientiam praeceptorum, uti disceret homo servire Deo: Verbum autem liberans animam, et per ipsam corpus voluntarie emundari docuit. Quo facto, necesse fuit auferri quidem vincula servitutis, quibus jam homo assueverat, et sine vinculis sequi Deum; superextendi vero decreta libertatis, et augeri subjectionem quae est ad regem, ut non retrorsus quis revertens, indignus appareat ei qui se liberavit; eam vero pietatem et obedientiam, quae est erga patremfamilias, esse quidem eamdem et servis, et liberis; majorem autem fiduciam habere liberos, quoniam sit major et gloriosior operatio libertatis, quam ea quae est in servitute obsequentia.

3. Et propter hoc Dominus pro eo quod est: « Non moechaberis, » nec concupiscere praecepit; et pro eo quod est: « Non occides, » neque irasci quidem; et pro eo quod est decimare, omnia quae sunt pauperibus dividere; et non tantum proximos, sed etiam inimicos diligere: et non tantum bonos datores et communicatores esse, sed etiam adversus eos qui tollunt nostra, gratuito donatores. « Tollenti enim tibi tunicam, ait, remitte ei et pallium: et ab eo qui tollit tua, non reposcas: et quemadmodum vultis ut faciant vobis homines, facite eis, » ut non quasi nolentes fraudari contristemini; sed quasi volentes donaverimus, gaudeamus, gratiam magis praestantes in proximos, quam necessitate servientes. « Et si quis te, » inquit, « angariaverit mille passus, vade cum eo alia duo; » uti non quasi servus sequaris, sed quasi liber praecedas, aptum te in omnibus,

et utilem proximo praestans: non illorum malitiam intuens, sed tuam bonitatem perficiens, configurans temetipsum Patri, qui solem suum oriri facit super malos et bonos, et pluit super justos et injustos. Haec autem, quemadmodum praediximus, non dissolventis erant legem, sed adimplentis et extendentis in nobis: tanquam si aliquis dicat, majorem libertatis operationem, et pleniorem erga liberatorem nostrum infixam nobis subjectionem et affectionem. Non enim propter hoc liberavit nos, ut ab eo abscedamus; nec enim potest quisquam extra Dominica constitutus bona, sibimetipsi acquirere salutis alimenta; sed ut plus gratiam ejus adepti, plus eum diligamus. Quanto autem plus eum dilexerimus, hoc majorem ab eo gloriam accipiemus, cum simus semper in conspectu Patris.

4. Quia igitur naturalia omnia praecepta communia sunt nobis et illis, in illis quidem initium et ortum habuerunt; in nobis autem augmentum et adimpletionem perceperunt. Assentire enim Deo, et sequi ejus Verbum, et super omnia diligere eum, et proximum sicut seipsum (homo autem homini proximus), et abstinere ab omni mala operatione, et quaecunque talia communia utrisque sunt, unum et eumdem ostendunt Deum. Hic est autem Dominus noster, Verbum Dei, qui primo quidem servos attraxit Deo, postea autem liberavit eos qui subjecti sunt ei, quemadmodum ipse ait discipulis: « Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid ejus dominus faciat. Vos autem dixi amicos, quoniam omnia quae audivi a Patre, manifestavi. » In eo enim quod dicit: « Jam

non dicam vos servos, » manifestissime significavit se esse, qui primo quidem eam servitutem, quae est erga Deum, hominibus per legem constituerit, post deinde libertatem eis donaverit. Et in eo quod dicit: « Quoniam servus nescit quid faciat dominus ejus; » ignorantiam servilis populi manifestat per suum adventum. In eo autem quod amicos Dei dicit suos discipulos, manifeste ostendit se esse Verbum Dei, quem et Abraham voluntarie et sine vinculis propter generositatem fidei sequens, amicus factus est Deo. Sed neque Abrahae amicitiam propter indigentiam assumpsit Dei Verbum, exsistens ab initio perfectus: « Antequam enim Abraham esset, ego sum, » inquit; sed ut ipsi Abrahae donaret aeternam vitam, exsistens bonus, quoniam amicitia Dei immortalitatis est condonatrix his qui aggrediuntur eam.

CAPUT XIV

Si quid obsequii exigat ab homine Deus, si hominem condiderit, vocaverit ac legibus informaverit, uni hominis saluti consulit; non homine indigens, sed in hunc beneficia gratis omnino conferre studens.

1. Igitur initio non quasi indigens Deus hominis, plasmavit Adam, sed ut haberet in quem collocaret sua beneficia. Non enim solum ante Adam, sed et ante omnem conditionem glorificabat Verbum Patrem suum, manens in eo; et ipse a Patre clarificabatur, quemadmodum ipse ait: « Pater, clarifica me claritate quam habui apud te, priusquam mundus fieret. » Nec nostro ministerio indigens jussit ut eum sequeremur; sed nobis

ipsis attribuens salutem. Sequi enim Salvatorem, participare est salutem: et sequi lumen, percipere est lumen. Qui autem in lumine sunt, non ipsi lumen illuminant, sed illuminantur et illustrantur ab eo: ipsi quidem ei nihil praestant, beneficium autem percipientes illuminantur a lumine. Sic et servitus erga Deum, Deo quidem nihil praestat, nec opus est Deo humano obsequio; ipse autem sequentibus et servientibus ei vitam, et incorruptelam, et gloriam aeternam attribuit, beneficium praestans servientibus sibi ob id quod serviunt, et sequentibus ob id quod sequuntur, sed non beneficium ab eis percipiens: est enim dives, perfectus, et sine indigentia. Propter hoc autem exquirit Deus ab hominibus servitutem, ut, quoniam est bonus et misericors, benefaciat eis, qui perseverant in servitute ejus. In quantum enim Deus nullius indigens, in tantum homo indiget Dei communione. Haec enim gloria hominis, perseverare ac permanere in Dei servitute. Et propter hoc dicebat discipulis Dominus: « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, » significans, quoniam non ipsi glorificabant eum, sequentes eum; sed in eo quod sequerentur Filium Dei, glorificabantur ab eo. Et iterum: « Volo ut ubi ego sum, ibi et hi sint, ut videant claritatem meam; » non vane glorians super hoc, sed gloriam suam participari volens discipulis suis, de quibus et Isaias ait: « Ab oriente attraham semen tuum, et ab occasu colligam te: et dicam Aquiloni: Adduc; et Austro: Noli prohibere: attrahe filios meos de longinquo, et filias meas a summitatibus terrae, omnes quotquot vocati sunt in nomine meo. In gloria enim

mea praeparavi, et formavi, et feci eum. » Hoc ideo, quoniam « ubicunque est cadaver, illuc congregabuntur et aquilae, » participantes gloriae Domini: qui et formavit, et ad hoc praeparavit nos, ut, dum sumus cum eo, participemus gloriae ejus.

2. Sic et Deus ab initio hominem quidem plasmavit propter suam munificentiam; patriarchas vero elegit propter illorum salutem; populum vero praeformabat docens indocibilem, sequi Deum; prophetas vero praestruebat in terra, assuescens hominem portare ejus Spiritum, et communionem habere cum Deo: ipse quidem nullius indigens; his vero qui indigent ejus, suam praebens communionem: et his qui ei complacebant, fabricationem salutis, ut architectus, delineans, et non videntibus in Aegypto a semetipso dans ducationem; et his qui inquieti erant in eremo, dans aptissimam legem, et his qui in bonam terram introierunt, dignam praebens haereditatem; et his qui convertuntur ad Patrem, saginatum occidens vitulum, et primam stolam donans: multis modis componens humanum genus ad consonantiam salutis. Et propter hoc Joannes in Apocalypsi ait: « Et vox ejus quasi vox aquarum multarum. » Vere enim aquae multae Spiritus, quoniam dives, et quoniam magnus est Pater. Et per omnes illos transiens Verbum, sine invidia utilitatem praestabat eis qui subjecti sibi erant, omni conditioni congruentem et aptam legem conscribens.

3. Sic autem et populo tabernaculi factionem, et aedificationem templi, et Levitarum electio-

nem, sacrificia quoque et oblationes, et monitiones, et reliquam omnem lege statuebat deservitionem. Ipse quidem nullius horum est indigens; est enim semper plenus omnibus bonis, omnemque odorem suavitatis, et omnes suaveolentium vaporationes habens in se, etiam antequam Moyses esset: facile autem ad idola revertentem populum erudiebat, per multas vocationes praestruens eos perseverare, et servire Deo: per ea quae erant secunda, ad prima vocans, hoc est, per typica, ad vera; et per temporalia, ad aeterna; et per carnalia, ad spiritalia; et per terrena, ad coelestia; quemadmodum et dictum est Moysi: Quoniam « facies omnia juxta typum eorum quae vidisti in monte. » Quadraginta enim diebus discebat tenere sermones Dei, et characteres coelestes, et imagines spiritales, et praefigurationes futurorum, quemadmodum et Paulus ait: « Bibebant enim de sequenti petra: petra autem erat Christus. » Et rursus praedictis his, quae in lege sunt, intulit: « Omnia autem haec in figura veniebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos finis saeculorum devenit. » Per typos enim discebant timere Deum, et perseverare in obsequiis ejus.

CAPUT XV

Qui legem naturalem seu Decalogum hominum cordibus primum inscribere satis habuerat Deus, Hebraeorum, libertate sua abutentium, concupiscentiam graviori legis Mosaicae jugo refrenare, imo et leges quasdam particulares ob

duritiam cordis eorum statuere postmodum necesse habuit.

1. Itaque lex, et disciplina erat illis, et prophetia futurorum. Nam Deus primo quidem per naturalia praecepta, quae ab initio infixa dedit hominibus, admonens eos, id est per Decalogum (quae si quis non fecerit, non habet salutem), nihil plus ab eis exquisivit. Quemadmodum Moyses in Deuteronomio ait: « Hi sermones omnes, quos locutus est Dominus ad omnem synagogam filiorum Israel in monte, et nihil adjecit: et scripsit ea in duabus tabulis lapideis, et dedit mihi; » propter hoc ut custodirent praecepta hi qui velint sequi eum. At ubi conversi sunt in vituli factionem, et reversi sunt animis suis in Aegyptum, servi pro liberis concupiscentes esse, aptam concupiscentiae suae acceperunt reliquam servitutem, a Deo quidem non abscindentem, in servitutis autem jugo dominantem eis: quemadmodum Ezechiel propheta causas talis legis datae reddens, ait: « Et post concupiscentiam cordis sui erant oculi eorum, et ego dedi eis praecepta non bona, et justificationes, in quibus non vivent in eis. » Et Lucas autem Stephanum, qui primus in diaconium ab apostolis electus est, et primus occisus est propter Christi martyrium, sic dixisse de Moyse scripsit: « Ille quidem accepit praecepta Dei vivi, dare vobis, cui noluerunt obedire patres vestri, sed abjecerunt et conversi sunt corde suo in Aegyptum, dicentes ad Aaron: Fac nobis deos, qui nos antecedant; Moyses enim qui eduxit nos de terra Aegypti, quid ei contigerit, ignoramus. Et vitulum fecerunt in diebus illis, et obtulerunt

sacrificia idolo, et laetabantur in factis manuum suarum. Convertit autem Deus, et tradidit eos servire exercitibus coeli, quemadmodum scriptum est in libro prophetarum: Nunquid sacrificia et oblationes obtulistis mihi annis quadraginta in eremo, domus Israel? et accepistis tabernaculum Moloch, et stellam Dei Rempham, figuras quas fecistis, adorare eas; » manifeste significans, quoniam non ab altero Deo talis illis data lex est, sed ab eodem ipso, apta illorum servituti. Quapropter et in Exodo ad Moysen dicit: « Emittam ante te angelum meum: non enim ascendam tecum, quoniam populus durae cervicis es. »

2. Et non solum hoc, sed et praecepta quaedam a Moyse posita eis propter duritiam illorum, et quod nollent esse subjecti, manifestavit Dominus, cum dixissent ei: « Quare ergo Moyses praecepit dare libellum repudii, et remittere uxorem? » dicens eis: « Haec vobis propter duritiam cordis vestri permisit, ab initio autem non ita factum est; » Moysen quidem excusans, quasi fidelem servum; unum autem, qui ab initio masculum et feminam fecit, Deum confitens; illos autem arguens tanquam duros, et non subjectos. Et propter hoc aptum duritiae eorum repudii praeceptum a Moyse acceperunt. Et quid dicimus de Veteri Testamento haec? quandoquidem et in Novo apostoli hoc idem facientes inveniuntur propter praedictam causam, statim dicente Paulo: « Haec autem ego dico, non Dominus. » Et iterum: « Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum praeceptum. » Et iterum: « De virginibus autem praeceptum Domini non

habeo; consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut fidelis sim. » Sed et alio loco ait: « Ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. » Si igitur et in Novo Testamento quaedam praecepta secundum ignoscentiam apostoli concedentes inveniuntur, propter quorumdam incontinentiam, ut non obdurati tales, in totum desperantes salutem suam, apostatae fiant a Deo; non oportet mirari, si et in Veteri Testamento idem Deus tale aliquid voluit fieri pro utilitate populi, illiciens eos per praedictas observationes, ut per eas salutem Decalogi observantes sint et detenti ab eo non reverterentur ad idololatriam, nec apostatae fierent a Deo, sed toto corde discerent diligere eum. Si autem quidam, propter inobedientes Israelitas et perditos, infirmum dicunt legis doctorem, invenient in ea vocatione, quae est secundum nos, multos quidem vocatos, paucos vero electos; et intrinsecus lupos, a foris vero indutos pelles ovium; et id quod erat semper liberum et suae potestatis in homine, semper servasse Deum, et suam exhortationem: ut juste judicentur qui non obediunt ei, quoniam non obedierunt; et qui obedierunt et crediderunt ei, honorentur incorruptibilitate.

CAPUT XVI

Nec circumcisionis, nec aliarum caeremoniarum legalium virtute collatam esse perfectam justitiam: atque abrogata haec a Christo fuisse, vigente semper, imo invalescente, qua nunquam non astricti fuerunt homines, Decalogi lege.

1. Quoniam autem et circumcisionem non quasi consummatricem justitiae, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahae, ex ipsa Scriptura discimus. « Dixit, » enim inquit, « Deus ad Abraham: Circumcidetur omne masculinum vestrum, et circumcidetis carnem praeputii vestri, in signo testamenti inter me et vos. » Hoc idem de Sabbatis Ezechiel propheta ait: « Et Sabbata mea dedi eis, ut sint in signo inter me et ipsos, ut sciant quoniam ego Dominus, qui sanctifico eos. » Et in Exodo Deus ait ad Moysen: « Et Sabbata mea observabitis: erit enim signum apud me vobis in generationes vestras. » In signo ergo data sunt haec: non autem sine symbolo erant signa, id est, sine argumento, neque otiosa, tanquam quae a sapiente artifice darentur; sed secundum carnem circumcisio circumcisionem significabat spiritalem. Etenim, « nos, » ait Apostolus, « circumcisi sumus circumcisione non manufacta. » Et propheta ait: « Circumcidite duritiam cordis vestri. » Sabbata autem perseverantiam totius diei erga Deum deservitionis edocebant. « Aestimati enim sumus, » ait apostolus Paulus, « tota die ut oves occisionis; » scilicet consecrati, et ministrantes omni tempore fidei nostrae, et perseverantes ei, et abstinentes ab omni avaritia, non acquirentes, nec possidentes thesauros in terra. Manifestabatur autem et tanquam de ea quae facta sunt, requietio Dei, hoc est regnum, in quo requiescens homo ille qui perseveraverit Deo assistere, participabit de mensa Dei.

2. Et quia non per haec justificabatur homo, sed in signo data sunt populo, ostendit, quod ipse Abraham sine circumcisione et sine observatione Sabbatorum, « credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei vocatus est. » Sed et Lot sine circumcisione eductus est de Sodomis, percipiens salutem a Deo. Item Deo placens Noe, cum esset incircumcisus, accepit mensuras mundi secundae generationis. Sed et Enoch sine circumcisione placens Deo, cum esset homo, legatione ad angelos fungebatur, et translatus est, et conservatur usque nunc testis justi judicii Dei: quoniam angeli quidem transgressi deciderunt in terram in judicium; homo autem placens translatus est in salutem. Sed et reliqua autem omnis multitudo eorum, qui ante Abraham fuerunt justi, et eorum patriarcharum, qui ante Moysem fuerunt, et sine his quae praedicta sunt, et sine lege Moysi justificabantur. Quemadmodum et ipse Moyses in Deuteronomio ait ad populum: « Dominus Deus tuus testamentum disposuit in Horeb: et non patribus vestris disposuit Dominus testamentum hoc, sed ad vos. »

3. Quare igitur patribus non disposuit Dominus testamentum? Quia « lex non est posita justis; » justi autem patres virtutem Decalogi conscriptam habentes in cordibus et animabus suis, diligentes scilicet Deum qui fecit eos, et abstinentes erga proximum ab injustitia: propter quod non fuit necesse admoneri eos correptoriis litteris, quia habebant in semetipsis justitiam legis. Cum autem haec justitia et dilectio, quae erat erga Deum, cessit in oblivionem, et exstincta es-

set in Aegypto, necessario Deus propter multam suam erga homines benevolentiam semetipsum ostendebat per vocem, et eduxit de Aegypto populum in virtute, uti rursus fieret homo discipulus et sectator Dei; et affligebat indicto audientes, ut non contemnerent eum qui se fecit; et manna cibavit eum, uti rationalem acciperent escam, quemadmodum et Moyses in Deuteronomio ait: « Et cibavit te manna, quod non sciebant patres tui, uti cognoscas, quoniam non in pane solo vivit homo, sed in omni verbo Dei, quod procedit de ore ejus, vivit homo. » Et erga Deum dilectionem praecipiebat, et eam quae ad proximum est justitiam insinuabat, ut nec injustus, nec indignus sit Deo; praestruens hominem per Decalogum in suam amicitiam, et eam quae circa proximum est concordiam (quae quidem ipsi proderant homini); nihil tamen indigente Deo ab homine.

4. Propter hoc Scriptura ait: « Hos sermones locutus est Dominus ad omnem synagogam filiorum Israel in monte, et nihil adjecit; » nihil enim, quemadmodum praediximus, indigebat ab eis. Et iterum Moyses ait: « Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus postulat a te, nisi timere Dominum Deum tuum, ambulare in omnibus viis ejus, et diligere eum, et servire Domino Deo tuo ex toto corde tuo, et ex tota anima tua? » Haec autem gloriosum quidem faciebant hominem, id quod deerat ei implentia, id est amicitiam Dei; Deo autem praestabant nihil: nec enim indigebat Deus dilectione hominis. Deerat autem homini gloria Dei, quam nullo modo poterat percipere, nisi per eam obsequentiam, quae est erga Deum. Et

propter hoc iterum Moyses ait eis: « Elige vitam, ut vivas tu et semen tuum, diligere Dominum Deum tuum, exaudire vocem ejus, et apprehendere eum; quoniam haec est vita tua, et longitudo dierum tuorum. » In quam vitam praestruens hominem, Decalogi quidem verba ipse per semetipsum omnibus similiter Dominus locutus est: et ideo similiter permanent apud nos, extensionem et augmentum, sed non dissolutionem accipientia per carnalem ejus adventum.

5. Servitutis autem praecepta separatim per Moysen praecepit populo, apta illorum eruditioni; quemadmodum ipse Moyses ait: « Et mihi praecepit Dominus in tempore illo, dicere vobis justificationes et judicia. » Haec ergo, quae in servitutem, et in signum data sunt illis, circumscripsit novo libertatis testamento. Quae autem naturalia, et liberalia, et communia omnium, auxit et dilatavit, sine invidia largiter donans hominibus per adoptionem, Patrem scire Deum, et diligere eum ex toto corde, et sine adversatione sequi ejus Verbum, non tantum abstinentes a malis operationibus, sed etiam a concupiscentiis earum. Auxit autem etiam timorem: filios enim plus timere oportet quam servos, et majorem dilectionem habere in patrem. Et propter hoc ait Dominus: « Omnem sermonem otiosum quem locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die judicii; » et: « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo; » et: « Qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio; » ut sciamus, quoniam non solum factorum reddemus rationem Deo, ut

servi, sed etiam sermonum et cogitationum, tanquam qui et libertatis potestatem acceperimus: in qua magis probatur homo, si revereatur, et timeat, et diligat Dominum. Et propter hoc Petrus ait « non velamentum malitiae habere nos libertatem, » sed ad probationem et manifestationem fidei.

CAPUT XVII

Deum veteribus et typicis oblationibus ac sacrificiis non indiguisse, nec per ea homines veram justitiam consequi potuisse. Idcirco iis abrogatis novum ac verum novi testamenti sacrificium ipsius corporis ac sanguinis Christi institutum fuisse, toto orbe nomini Domini offerendum.

1. Quoniam autem non indigens Deus servitute eorum, sed propter ipsos quasdam observantias in lege praeceperit, plenissime prophetae indicant. Et rursus quoniam non indiget Deus oblatione eorum, sed propter ipsum qui offerat, hominem, manifeste Dominus docuit, quemadmodum ostendimus. Si quando enim negligentes eos justitiam, et abstinentes a dilectione Dei videbat, per sacrificia autem et reliquas typicas observantias putantes propitiari Deum, dicebat eis Samuel quidem sic: « Non vult Deus holocausta et sacrificia, sed vult exaudiri vocem suam. Ecce, auditus bonus super sacrificium, et auditus super adipem arietum. » David autem ait: « Sacrificium et oblationem noluisti; aures autem perfecisti mihi: holocausta etiam pro delicto non postulasti. » Docens eos quoniam obauditionem vult Deus, quae servat eos, quam sacrificia et holocau-

stomata, quae nihil eis prosunt ad justitiam: et novum simul prophetans testamentum. Manifestius autem adhuc in quinquagesimo psalmo de his ait: « Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Dominus non spernet. »

Quoniam ergo nihil indiget Deus, in eo qui est ante hunc psalmo ait: « Non accipiam de domo tua vitulos, nec de gregibus tuis hircos. Quoniam meae sunt omnes bestiae terrae, jumenta in montibus et boves: cognovi omnia volatilia coeli, et species agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terrae, et plenitudo ejus. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? » Deinde ne quis putet, propterea quod irasceretur, eum recusare haec, infert, consilium ei dans: « Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua, et invoca me in die tribulationis tuae, et eripiam te, et glorificabis me; » illa quidem, per quae putabant peccantes propitiari Deum, abnuens: haec autem per quae justificatur homo, et appropinquat Deo, hortatur et admonet. Hoc idem autem et Isaias ait: « Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? dicit Dominus. Plenus sum. » Et cum abnuisset holocaustomata, et sacrificia, et oblationes, etiam et neomenias, et Sabbata, et ferias, et reliquam universam consequentem his observationem, intulit, suadens eis quae salutaria sunt: « Lavamini, mundi estote, auferte nequitias a cordibus vestris ab oculis meis: desinite a malitiis vestris, discite bonum fa-

cere, exquirite judicium, eruite eum qui injuriam patitur, judicate pupillo, et justificate viduam, et venite, disputemus, dicit Dominus. »

2. Non enim sicut homo motus, ut multi audent dicere, divertit eorum sacrificia; sed miserans eorum caecitati, et verum sacrificium insinuans, quod offerentes propitiabuntur Deum, ut ab eo vitam percipiant. Quemadmodum alibi ait: « Sacrificium Deo cor contribulatum; odor suavitatis Deo, cor clarificans eum qui plasmavit. » Si enim irascens abnueret haec eorum sacrificia, tanquam qui indigni essent consequi misericordiam ejus, non utique eisdem ipsis suaderet, per quae salvari possent. Sed quoniam Deus misericors est, non abscidit eos a bono consilio. Nam per Jeremiam cum dixisset: « Quo mihi thus de Saba affertis, et cinnamomum de terra longinqua? holocaustomata et sacrificia vestra non delectaverunt me; » intulit: « Audite sermonem Domini, omnis Juda. Haec dicit Dominus Deus Israel: Dirigite vias vestras et studia vestra, et constituam vos in loco isto. Ne confisi fueritis vobismet in sermonibus mendacibus, quoniam in totum non proderunt vobis, dicentes: Templum Domini, templum Domini est. »

3. Et iterum significans, quoniam non propter hoc eduxit eos de Aegypto, ut sacrificia ei offerant, sed ut obliti idololatriae Aegyptiorum, audire vocem Domini possent, quae erat eis salus et gloria, per eumdem Jeremiam ait: « Haec dicit Dominus: Holocaustomata vestra colligite cum sacrificiis vestris, et manducate carnes: Quoniam non sum locutus ad patres vestros, nec de holo-

caustomatibus et sacrificiis praecepi eis, qua die eduxi eos de Aegypto; sed sermonem hunc praecepi eis, dicens: Audite vocem meam, et ero Deus vester, et vos eritis populus meus, et ambulate in omnibus viis meis, quascunque praecepero vobis, ut bene sit vobis. Et non obaudierunt, nec intenderunt; sed ambulaverunt in cogitationibus cordis malitiae suae, et facti sunt retrorsum, et non ad priora. » Et iterum per eumdem ipsum dicens: « Sed in hoc glorietur qui gloriatur, intelligere et scire quoniam ego sum Dominus, qui facio misericordiam, et justitiam, et judicium in terra: » intulit: « Quoniam in his voluntas mea est, dicit Dominus; » sed non in sacrificiis, nec in holocaustomatibus, nec in oblationibus.

Non enim principaliter haec, sed secundum consequentiam, et propter praedictam causam habuit populus, sicut iterum Isaias ait: « Non mihi oves holocaustomatis tui, nec in sacrificiis tuis clarificasti me: non servisti mihi in sacrificiis, nec aliquid laboriose fecisti in thure: nec mercatus es mihi argento incensum, nec adipem sacrificiorum tuorum concupivi; sed in peccatis tuis, et iniquitatibus tuis ante me stetisti. Super quem igitur, » ait, « aspiciam, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos? Non enim adipes et carnes pingues auferent a te injustitias tuas. Hoc est jejunium, quod ego elegi, dicit Dominus. Solve omnem nodum injustitiae, dissolve connexus violentium commerciorum, dimitte quassatos in requiem, et omnem conscriptionem injustam conscinde. Frange esurienti panem tuum ex animo, et peregrinum sine

tecto induc in domum tuam, Si videris nudum, cooperi eum, et domesticos seminis tui non despicies. Tunc erumpet matutinum lumen tuum, et sanitates tuae citius orientur, et praecedet ante te justitia, et gloria Domini circumdabit te: et adhuc te loquente dicam: Ecce adsum. »

Et Zacharias autem in duodecim prophetis, significans eis voluntatem Dei, ait: « Haec dicit Dominus omnipotens: judicium justum judicate, pietatem et misericordiam facite unusquisque ad fratrem suum. Viduam, et orphanum, et proselytum, et pauperem nolite opprimere, et unusquisque malitiae fratris sui non reminiscatur in corde suo. » Et iterum: « Hi sunt, » inquit, « sermones quos facietis. Loquimini veritatem unusquisque ad proximum suum, et judicium pacificum judicate in portis vestris, et unusquisque malitiam fratris sui non recogitet in corde suo, et jurationem falsam ne dilexeritis: quoniam haec omnia odi, dicit Dominus omnipotens. » Et David autem similiter: « Quis est, » inquit, « homo qui vult vitam, et amat videre dies bonos? Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua, ne loquantur dolum. Declina a malo, et fac bonum: inquire pacem, et sequere eam. »

4. Ex quibus omnibus manifestum est, quia non sacrificia et holocaustomata quaerebat ab eis Deus; sed fidem, et obedientiam, et justitiam, propter illorum salutem. Sicut in Osee propheta docens eos Deus suam voluntatem, dicebat: « Misericordiam volo plus quam sacrificium, et agnitionem Dei super holocaustomata. » Sed et Dominus noster eadem monebat eos, dicens:

« Si enim cognovissetis quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes: » testimonium quidem reddens prophetis, quoniam veritatem praedicabant; illos autem arguens sua culpa insipientes.

5. Sed et suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit, et gratias egit, dicens: « Hoc est meum corpus. » Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi testamenti novam docuit oblationem; quam Ecclesia ab apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis praestat, primitias suorum munerum in novo testamento, de quo in duodecim prophetis Malachias sic praesignificavit: « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, et sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum clarificatur inter gentes, et in omni loco incensum offertur nomini meo, et sacrificium purum; quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens; » manifestissime significans per haec, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo; omni autem loco sacrificium offeretur ei, et hoc purum; nomen autem ejus glorificatur in gentibus.

6. Quod est autem aliud nomen, quod in gentibus glorificatur, quam quod est Domini nostri, per quem glorificatur Pater, et glorificatur homo? Et quoniam proprii Filii ejus est, et ab eo factus

est homo, suum illum vocat. Quemadmodum si quis rex ipse filii sui pingat imaginem, juste suam illam dicit imaginem secundum utrumque, quoniam et filii ejus est, et quoniam ipse fecit eam: sic et Jesu Christi nomen, quod per universum mundum glorificatur in Ecclesia, suum esse confitetur Pater, et quoniam Filii ejus est, et quoniam ipse scribens id, ad salutem dedit hominum. Quoniam ergo nomen Filii proprium Patris est, et in Deo omnipotente per Jesum Christum offert Ecclesia, bene ait secundum utraque: « Et in omni loco incensum offertur nomini meo, et sacrificium purum. » Incensa autem Joannes in Apocalypsi, « orationes » esse ait « sanctorum. »

CAPUT XVIII

In sola Ecclesia catholica cum simplicitate et justitia offerri verum ac purum sacrificium, eucharistiam videlicet, quae est ipsum corpus et sanguis Christi.

1. Igitur Ecclesiae oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, et acceptum est ei: non quod indigeat a nobis sacrificium, sed quoniam is qui offert, glorificatur ipse in eo quod offert, si acceptetur munus ejus. Per munus enim erga regem, et honos, et affectio ostenditur: quod in omni simplicitate et innocentia Dominus volens nos offerre, praedicavit dicens: « Cum igitur offers munus tuum ad altare, et recordatus fueris quoniam frater tuus habet aliquid adversum te, dimitte munus tuum ante altare, et vade primum reconciliari fratri tuo, et tunc reversus offeres

munus tuum. » Offerre igitur oportet Deo primitias ejus creaturae, sicut et Moyses ait: « Non apparebis vacuus ante conspectum Domini Dei tui; » ut in quibus gratus exstitit homo, in his gratus eis deputatus, eum qui est ab eo percipiat honorem.

2. Et non genus oblationum reprobatum est; oblationes enim et illic, oblationes autem et hic: sacrificia in populo, sacrificia in Ecclesia: sed species immutata est tantum, quippe cum jam non a servis, sed a liberis offeratur. Unus enim et idem Dominus; proprium autem character servilis oblationis, et proprium liberorum, uti et per oblationes ostendatur indicium libertatis. Nihil enim otiosum, nec sine signo, neque sine argumento apud eum. Et propter hoc illi quidem decimas suorum habebant consecratas: qui autem perceperunt libertatem, omnia quae sunt ipsorum ad Dominicos decernunt usus, hilariter et libere dantes ea, non quae sunt minora, utpote majorum spem habentes; vidua illa et paupere hic totum victum suum mittente in gazophylacium Dei.

3. Ab initio enim respexit Deus ad munera Abel, quoniam cum simplicitate et justitia offerebat: super sacrificium autem Cain non respexit, quoniam cum zelo et malitia, quae erat adversus fratrem, divisionem habebat in corde, quemadmodum occulta ejus arguens Deus ait: « Nonne si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti? quiesce; » quoniam non sacrificio placatur Deus. Si enim quis solummodo secundum quod videtur, munde, et recte, et legitime offerre tentaverit;

secundum autem suam animam non recte dividat eam quae est ad proximum communionem, neque timorem habeat Dei; non per id quod recte foris oblatum est sacrificium, seducit Deum, intus habens peccatum; nec oblatio talis proderit ei aliquid, sed cessatio mali, quod est intus conceptum, ne per assimulatam operationem, magis autem peccatum ipsum, sibi homicidam faciat hominem.

Propter quod et dicebat Dominus: « Vae vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae, quoniam similes estis monumentis dealbatis. Foris enim sepulcrum apparet formosum; intus autem plenum est ossibus mortuorum, et universa immunditia: sic et vos a foris quidem apparetis hominibus quasi justi, intus autem pleni estis malitia et hypocrisi. » Cum a foris enim recte offerre putarentur, similem zelum Cain habebant in semetipsis: propter quod et occiderunt justum, praetermittentes consilium Verbi, quemadmodum et Cain. Illi enim ait: « Quiesce, » et non assensit. Quiescere autem quid est aliud, quam desinere a proposito impetu? Et his similia dicens: « Pharisaee, » inquit, « caece, emunda quod est intus calicis, ut fiat et quod foris est, mundum. » Et non audierunt. « Ecce » enim, ait Jeremias, « non sunt oculi tui, nec cor tuum bonum; sed in cupiditate tua, et ad sanguinem justum, ut effundas eum, et ad injustitiam, et ad homicidium, ut facias. » Et iterum Isaias: « Fecistis, » inquit, « consilium, non per me; et testamentum, non per spiritum meum. »

Ut igitur interior eorum voluntas et cogitatio ad manifestum producta, sine culpa et malum non operantem ostendat esse Deum, eum qui absconsa manifestat, sed non qui malum operetur; cum minime quiesceret Cain, ait ei: « Ad te conversio ejus, et tu dominaberis ejus. » Pilato quoque similiter dicebat: « Nullam haberes potestatem in me, nisi datum tibi fuisset desuper; » concedente Deo semper justum, ut hic quidem ex his quae passus est et sustinuit, probatus recipiatur; qui autem malignatus est, ex his quae egit, adjudicatus expellatur. Igitur non sacrificia sanctificant hominem; non enim indiget sacrificio Deus, sed conscientia ejus qui offert, sanctificat sacrificium; pura exsistens, et praestat acceptare Deum quasi ab amico. « Peccator autem, » inquit, « qui occidit mihi vitulum, quasi occidat canem. »

4. Quoniam igitur cum simplicitate Ecclesia offert, juste munus ejus purum sacrificium apud Deum deputatum est. Quemadmodum et Paulus Philippensibus ait: « Repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quae a vobis missa sunt, odorem suavitatis, hostiam acceptabilem, placentem Deo. » Oportet enim nos oblationem Deo facere, et in omnibus gratos inveniri fabricatori Deo, in sententia pura et fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione ferventi, primitias earum, quae sunt ejus, creaturarum offerentes. Et hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura ejus. Judaei autem non offerunt: manus enim eorum sanguine plenae sunt: non enim receperunt Verbum,

quod offertur Deo. Sed neque omnes haereticorum synagogae. Alii enim alterum praeter fabricatorem dicentes Patrem, ea quae secundum nos creata sunt, offerentes ei, cupidum alieni ostendunt eum, et aliena concupiscentem. Qui vero ex defectione, et ignorantia, et passione dicunt facta ea, quae sunt secundum nos, ignorantiae, passionis et defectionis fructus offerentes, peccant in Patrem suum, contumeliam facientes magis ei, quam gratias agentes. Quomodo autem constabit eis, eum panem in quo gratiae actae sint, corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis ejus, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, id est Verbum ejus, per quod lignum fructificat, et defluunt fontes, et terra dat primum quidem fenum, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica?

5. Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quae praedicta sunt. Nostra autem consonans est sententia eucharistiae, et eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim ei quae sunt ejus, congruenter communicationem et unitatem praedicantes carnis et spiritus. Quemadmodum enim qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et coelesti: sic et corpora nostra percipientia eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.

6. Offerimus enim ei, non quasi indigenti, sed gratias agentes dominationi ejus, et sanctificantes creaturam. Quemadmodum enim Deus non indiget eorum quae a nobis sunt, sic nos indigemus offerre aliquid Deo; sicut Salomon ait: « Qui miseretur pauperi, fenerat Deo. » Qui enim nullius indigens est Deus, in se assumit bonas operationes nostras, ad hoc ut praestet nobis retributionem bonorum suorum, sicut Dominus noster ait: « Venite, benedicti Patris mei, percipite praeparatum vobis regnum. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et potastis me; hospes fui, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere, et venistis ad me. » Sicut igitur non his indigens, vult tamen a nobis propter nos fieri, ne simus infructuosi: ita id ipsum Verbum dedit populo praeceptum faciendarum oblationum, quamvis non indigeret eis, ut discerent Deo servire; sic et ideo nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione. Est ergo altare in coelis (illuc enim preces nostrae, et oblationes diriguntur), et templum, quemadmodum Joannes in Apocalypsi ait: « Et apertum est templum Dei; » et tabernaculum: « Ecce enim, » inquit, « tabernaculum Dei, in quo habitabit cum hominibus. »

CAPUT XIX

Terrena quidem coelestium typos esse posse: sed ipsa coelestia aliarum rerum supernarum et ignotarum typos, aut Deum nobis notum alterius ignoti typum sine insania dici non posse.

1. Munera autem, et oblationes, et sacrificia omnia, in typo populus accepit, quemadmodum ostensum est Moysi in monte ab uno et eodem Deo, cujus et nunc in Ecclesia glorificatur nomen in omnibus gentibus. Sed terrena quidem, quae sunt erga nos disposita, congruit typos esse eorum quae sunt coelestia, ab eodem tamen Deo facta. Nec enim aliter poterat assimilare spiritalium imaginem. Quae autem supercoelestia, et spiritalia sunt, et quantum ad nos spectat, invisibilia et inenarrabilia, typos rursus alterorum coelestium dicere et alterius Pleromatis, et Deum alterius Patris imaginem esse; et errantium est a veritate, et omnimodo stultorum et hebetum. Cogentur enim hi tales, quemadmodum saepenumero ostendimus, semper typos typorum, et imagines imaginum adinvenire, et nunquam figere animum suum in uno et vero Deo. Supra enim Deum factae sunt cogitationes ipsorum, supergressi cordibus suis ipsum magistrum, suspicione quidem superelati et supergressi, veritate autem declinantes a vero Deo.

2. Ad quos juste quis dicat, quemadmodum ipse sermo suggerit: Quatenus super Deum extollitis cogitationes vestras, inconsiderate elati? Audistis « mensos esse coelos in palma; » dicite mihi mensuram, et enarrate multitudinem cubitorum innumerabilem: exponite mihi plenitudinem, latitudinem, et longitudinem, et altitudinem, circummensurationis initium et finem, quae non intelligit cor hominis; et non comprehendit ea. Vere enim magna sunt thesaurophylacia coelestia: immensurabilis est in corde Deus, et

incomprehensibilis in animo, qui comprehendit terram pugillo. Quis respicit mensuram dexterae ejus? Digitum quis cognoscit; aut manum ejus quis intelligit, eam quae mensurat immensa, eam quae tendit mensura sua mensuram coelorum, et constringit pugillo terram cum abyssis, quae in se continet latitudinem, et longitudinem, et profundum deorsum, et altitudinem supernam universae conditionis, quae videtur, quae auditur et intelligitur, et quae invisibilis est? Et propter hoc « super omne initium, et potestatem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur » omnium quae facta sunt et condita sunt, exsistens Deus. Ipse est qui coelos implet, et perspicit abyssos, qui est et cum unoquoque nostrum: « Deus, » enim inquit, « appropinquans ego sum, et non Deus de longinquo. Si absconditur homo in absconsis, et ego eum non videbo? » Manus enim ejus apprehendit omnia: et ipsa est quae coelos quidem illuminat, illuminat etiam quae sub coelo sunt, et scrutatur renes et corda, et in absconsis inest et in secretis nostris, et in manifesto alit et conservat nos.

3. Si autem plenitudinem et magnitudinem manus ejus non comprehendit homo, quemadmodum poterit quis intelligere aut cognoscere in corde tam magnum Deum? Quem quasi jam mensi sint et perspexerint, et universum eum decurrerint, super eum esse aliud Pleroma Aeonum confingunt, et alterum Patrem; ad coelestia quidem non suspicientes, vere autem in profundum Bythum dementiae descendentes: Patrem quidem dicentes suum finiri usque ad ea quae

sunt extra Pleroma, Demiurgum vero rursum non attingere usque ad Pleroma: et sic neutrum eorum ponunt esse perfectum et comprehendentem omnia. Deerit enim illi quidem universa, quae est extra Pleroma, mundi fabricatio; huic autem quae est intra Pleroma, fabricatio, et neuter eorum erit omnium Deus. Quoniam autem magnitudinem Dei ex his quae facta sunt, nemo enarrare potest, hoc omnibus manifestum est: et quoniam magnitudo ejus non deficit, sed omnia continet, et pervenit usque ad nos, et nobiscum est, omnis quicunque digne Deo sapit, confitebitur.

CAPUT XX

Unum Deum per Verbum et Spiritum sanctum omnia quae in mundo sunt condidisse: atque invisibilem licet in hac vita, et incomprehensibilem, non tamen ignotum esse; utpote quem opera praedicent, et cujus verbum multis modis semper videndum se et cognoscendum praebuerit.

1. Igitur secundum magnitudinem non est cognoscere Deum; impossibile est enim mensurari Patrem: secundum autem dilectionem ejus (haec est enim quae nos per Verbum ejus perducit ad Deum) obedientes ei, semper discimus quoniam est tantus Deus, et ipse est qui per semetipsum constituit, et elegit, et adornavit, et continet omnia: in omnibus autem et hunc mundum, qui est secundum nos. Et nos igitur cum his, quae continentur ab eo, facti sumus. Et hic est de quo Scriptura ait: « Et plasmavit Deus hominem, limum terrae accipiens, et insufflavit in faciem

ejus flatum vitae. » Non ergo angeli fecerunt nos, nec nos plasmaverunt, nec angeli potuerunt imaginem facere Dei; nec alius quis, praeter Verbum Domini, nec Virtus longe absistens a Patre universorum. Nec enim indigebat horum Deus, ad faciendum quae ipse apud se praedefinierat fieri, quasi ipse suas non haberet manus. Adest enim ei semper Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus, per quos, et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur, dicens: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; » ipse a semetipso substantiam creaturarum, et exemplum factorum et figuram in mundo ornamentorum accipiens.

2. Bene ergo pronuntiavit Scriptura, quae dicit: « Primo omnium crede, quoniam unus est Deus, qui omnia constituit, et consummavit; et fecit ex eo quod non erat, ut essent omnia: omnium capax, et qui a nemine capiatur. » Bene autem et in prophetis Malachias ait: « Nonne unus Deus qui constituit nos? Nonne Pater unus est omnium nostrum. » Consequenter autem et Apostolus ait: « Unus Deus, » inquit, « Pater, qui super omnes, et in omnibus nobis. » Similiter autem Dominus: « Omnia mihi, » inquit, « tradita sunt a Patre meo; » manifeste ab eo qui omnia fecit (non enim aliena, sed sua tradidit ei. In omnibus autem nihil subtractum est: et propter hoc idem est judex viventium et mortuorum, « habens clavem David: aperiet, et nemo claudet: claudet, et nemo aperiet. » Nemo enim alius poterat, nec in coelo, nec in terra, nec subtus terram aperire paternum librum, nec videre eum, nisi

Agnus qui occisus est, et sanguine suo redemit nos); ab eodem, qui omnia verbo fecit, et sapientia adornavit, accipiens omnium potestatem, quando Verbum caro factum est, ut quemadmodum in coelis principatum habuit Verbum Dei, sic et in terra haberet principatum, quoniam homo justus, « qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; » principatum autem habeat eorum quae sunt sub terra, ipse primogenitus mortuorum factus: et ut viderent omnia, quemadmodum praediximus, suum regem; et ut in carne Domini nostri occurrat paterna lux, et a carne ejus rutila veniat in nos, et sic homo deveniat in incorruptelam, circumdatus paterno lumine.

3. Et quoniam Verbum, id est Filius, semper cum Patre erat, per multa demonstravimus. Quoniam autem et sapientia, quae est Spiritus, erat apud eum ante omnem constitutionem, per Salomonem ait: « Deus sapientia fundavit terram, paravit autem coelum prudentia. Sensu ejus abyssi eruperunt, nubes autem manaverunt ros. » Et rursus: « Dominus creavit me principium viarum suarum in opera sua, ante saecula fundavit me, in initio antequam terram faceret, priusquam abyssos constitueret, et priusquam procederent fontes aquarum, antequam montes confirmarentur: ante omnes autem colles genuit me. » Et iterum: « Cum pararet coelum, eram cum illo, et cum firmos faceret fontes abyssi, quando fortia faciebat fundamenta terrae, eram apud eum aptans. Ego eram cui adgaudebat, quotidie autem laetabar ante faciem ejus in omni tempore, cum

laetaretur orbe perfecto, et jocundabatur in filiis hominum. »

4. Unus igitur Deus, qui verbo et sapientia fecit et aptavit omnia: hic est autem Demiurgus, qui et mundum hunc attribuit humano generi, qui secundum magnitudinem quidem ignotus est omnibus his, qui ab eo facti sunt (nemo enim investigavit altitudinem ejus, nec veterum, qui quieverunt, nec eorum qui nunc sunt); secundum autem dilectionem cognoscitur semper per eum, per quem constituit omnia. Est autem hic Verbum ejus, Dominus noster Jesus Christus, qui novissimis temporibus homo in hominibus factus est, ut finem conjungeret principio, id est hominem Deo. Et propterea prophetae ab eodem Verbo propheticum accipientes charisma, praedicaverunt ejus secundum carnem adventum, per quem commistio et communio Dei et hominis secundum placitum Patris facta est, ab initio praenuntiante Verbo Dei, quoniam videbitur Deus ab hominibus, et conversabitur cum eis super terram, et colloqueretur, et adfuturus esset suo plasmati, salvans illud, et perceptibilis ab eo, et liberans nos de manibus omnium odientium nos, hoc est, ab universo transgressionis spiritu: et faciens nos servire sibi in sanctitate et justitia omnes dies nostros, uti complexus homo Spiritum Dei, in gloriam cedat Patris.

5. Haec prophetice significabant prophetae, sed non quemadmodum quidam dicunt, invisibili Patre omnium exsistente, alterum esse eum, qui a prophetis videretur; qui in totum, quid sit prophetia, nesciunt. Nam prophetia est prae-

dicatio futurorum, id est eorum quae post erunt, praesignificatio. Praesignificabant igitur prophetae quoniam videbitur Deus ab hominibus; quemadmodum et Dominus ait: « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » Sed secundum magnitudinem quidem ejus, et mirabilem gloriam, « nemo videbit Deum, et vivet; » incapabilis enim Pater: secundum autem dilectionem et humanitatem, et quod omnia possit, etiam hoc concedit iis qui se diligunt, id est videre Deum, quod et prophetabant prophetae. Quoniam « quae impossibilia apud homines, possibilia apud Deum. » Homo etenim a se non videt Deum. Ille autem volens videtur hominibus, quibus vult, et quando vult, et quemadmodum vult. Potens est enim in omnibus Deus: visus quidem tunc per Spiritum prophetiae, visus autem et per Filium adoptive, videbitur autem et in regno coelorum paternaliter; Spiritu quidem praeparante hominem in Filio Dei, Filio autem adducente ad Patrem, Patre autem incorruptelam donante in aeternam vitam, quae unicuique evenit ex eo quod videat Deum.

Quemadmodum enim videntes lumen, intra lumen sunt, et claritatem ejus percipiunt: sic et qui vident Deum, intra Deum sunt, percipientes ejus claritatem. Vivificat autem eos claritas: percipiunt ergo vitam, qui vident Deum. Et propter hoc incapabilis, et incomprehensibilis [et invisibilis] visibilem se, et comprehensibilem, et capacem hominibus praestat, ut vivificet percipientes et videntes se. Quemadmodum enim magnitudo ejus investigabilis est, sic et benignitas ejus ine-

narrabilis: per quam visus vitam praestat iis qui vident eum. Quoniam vivere sine vita impossibile est: subsistentia autem vitae de Dei participatione evenit: participatio autem Dei est videre Deum, et frui benignitate ejus.

6. Homines igitur videbunt Deum, ut vivant, per visionem immortales facti, et pertingentes usque in Deum. Quod, sicut praedixi, per prophetas figuraliter manifestabatur, quoniam videbitur Deus ab hominibus, qui portant Spiritum ejus, et semper adventum ejus sustinent. Quemadmodum et in Deuteronomio Moyses ait: « In die ista videbimus, quoniam loquetur Deus ad hominem, et vivet. » Quidam enim eorum videbant Spiritum propheticum, et operationes ejus in omnia genera charismatum effusas: alii vero adventum Domini, et eam quae est ab initio administrationem, per quam fecit voluntatem Patris, quae est in coelis, et quae est in terris: alii vero et glorias paternas temporibus aptas, et ipsis qui videbant, et tunc audiebant, et hominibus qui deinceps audituri erant. Sic igitur manifestabatur Deus: per omnia enim haec Deus Pater ostenditur, Spiritu quidem operante, Filio vero ministrante, Patre vero comprobante, homine vero consummato ad salutem. Quemadmodum et per prophetam Osee ait: « Ego, » inquit, « visiones multiplicavi, et in manibus prophetarum assimilatus sum. » Apostolus autem idipsum exposuit, dicens: « Divisiones autem charismatum sunt, idem autem Spiritus: et divisiones ministeriorum sunt, et idem Dominus: et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur

omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. » Sed quoniam qui omnia in omnibus operatur, Deus est; qualis et quantus est, invisibilis et inenarrabilis est omnibus quae ab eo facta sunt, incognitus autem nequaquam: omnia enim per Verbum ejus discunt, quia est unus Deus Pater, qui continet omnia, et omnibus esse praestat, quemadmodum in Evangelio scriptum est: « Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris; ipse enarravit. »

7. Enarrat ergo ab initio Filius Patris, quippe qui ab initio est cum Patre, qui et visiones propheticas, et divisiones charismatum, et ministeria sua, et Patris glorificationem consequenter et composite ostenderit humano generi, apto tempore ad utilitatem. Ubi est enim consequentia, illic et constantia: et ubi constantia, illic et pro tempore: et ubi pro tempore, illic et utilitas: et propterea Verbum dispensator paternae gratiae factus est ad utilitatem hominum, propter quos fecit tantas dispositiones, hominibus quidem ostendens Deum, Deo autem exhibens hominem: et invisibilitatem quidem Patris custodiens, ne quando homo fieret contemptor Dei, et ut semper haberet ad quod proficeret; visibilem autem rursus hominibus per multas dispositiones ostendens Deum, ne in totum deficiens a Deo homo, cessaret esse. Gloria enim Dei vivens homo: vita autem hominis visio Dei. Si enim quae est per conditionem ostensio Dei vitam praestat omnibus in terra viventibus, multo magis ea quae

est per Verbum manifestatio Patris, vitam praestat his qui vident Deum.

8. Quoniam ergo Spiritus Dei per prophetas futura significavit, praeformans et praeaptans ad id ut subditi Deo simus, futurum autem erat, ut homo per sancti Spiritus beneplacitum videret; necessario oportebat eos, per quos futura praedicabantur, videre Deum, quem ipsi hominibus videndum intimabant: uti non solum dicatur prophetice Deus, et Dei Filius, et Filius, et Pater, sed et ut videatur omnibus membris sanctificatis et edoctis ea quae sunt Dei: ut praeformaretur et meditaretur homo applicari in eam gloriam, quae postea revelabitur his qui diligunt Deum. Non enim solo sermone prophetabant prophetae, sed et visione, et conversatione, et actibus quos faciebant, secundum id quod suggerebat Spiritus. Secundum hanc igitur rationem invisibilem videbant Deum, quemadmodum Isaias ait: « Regem Dominum Sabaoth vidi oculis meis; » significans, quoniam videbit oculis Deum homo, et vocem ejus audiet. Secundum hanc igitur rationem et Filium Dei hominem videbant conversatum cum hominibus, id quod futurum erat prophetantes, eum qui nondum aderat, adesse dicentes, et impassibilem passibilem annuntiantes, et eum qui tunc in coelis, in limum mortis descendisse dicentes. Et reliquas autem ejus recapitulationis dispositiones, quasdam quidem per visiones videbant, quasdam per verbum annuntiabant, quasdam vero per operationem typice significabant; quae quidem videnda erant, visibiliter videntes; quae vero audienda erant,

sermone praeconantes; quae vero agenda erant, operatione perficientes; universa vero prophetice annuntiantes. Propterea et Moyses transgressori quidem legis populo igneum Deum esse dicebat, igneum a Deo diem superduci eis minitans; his vero qui erga Deum timorem habebant, « Dominus Deus, » dicebat, « misericors, et pius, et magnanimus, et magnae miserationis, et verax, justitiam servans, et misericordiam in millia, auferens injustitias, et nequitias, et peccata. »

9. Et Verbum quidem loquebatur Moysi apparens in conspectu, « quemadmodum si quis loquatur ad amicum suum. » Moyses vero cupivit manifeste videre eum qui secum loqueretur, et dictum est ei: « Sta in loco alto petrae, et manu mea contegam super te. Quando vero transierit claritas mea, tunc videbis quae sunt posteriora mea; facies autem mea non videbitur tibi: non enim videt homo faciem meam, et vivet; » utraque significans, quoniam et impossibilis est homo videre Deum, et quoniam per sapientiam Dei in novissimis temporibus videbit eum homo in altitudine petrae, hoc est, in eo qui est secundum hominem ejus adventu. Et propter hoc facie ad faciem confabulatus est cum eo in altitudine montis, assistente etiam Elia, quemadmodum Evangelium retulit, restituens in fine pristinam repromissionem.

10. Non igitur manifeste ipsam faciem Dei videbant prophetae, sed dispositiones et mysteria, per quae inciperet homo videre Deum. Quemadmodum et Eliae dicebatur: « Exies cras, et stabis in conspectu Domini et ecce, Dominus transiet,

et ecce spiritus magnus et fortis, qui dissolvet montes, et conteret petras in conspectu Domini; et non in spiritu Dominus: et post spiritum terrae motus; et non in terrae motu Dominus: et post terrae motum ignis; et non in igne Dominus: et post ignem vox aurae tenuis. » Per haec enim et prophetes valde indignans propter transgressionem populi, et propter interfectionem prophetarum, edocebatur mitius agere, ac secundum hominem adventus Domini significabatur futurus post illam legem, quae data est per Moysem, mitis et tranquillus, in quo nec calamum quassatum confregit, nec linum fumigans exstinxit. Ostendebatur autem et regni ejus mitis et pacifica requietio. Post enim spiritum qui conterit montes, et post terrae motum, et post ignem, tranquilla et pacifica regni ejus adveniunt tempora, in quibus cum omni tranquillitate Spiritus Dei vivificat, et auget hominem. Manifestius autem adhuc et per Ezechielem factum est, quoniam ex parte dispositiones Dei, sed non ipsum videbant prophetae proprie Deum. Hic enim cum vidisset visionem, et cherubim, et rotas eorum, et universae progressionis ejus mysterium cum retulisset, et similitudinem throni cum vidisset super eos, et super thronum similitudinem quasi figurae hominis, et illa quidem quae erant super lumbos ejus, quasi figuram electri; quae autem deorsum, quasi visionem ignis, et reliquam universam thronorum visionem manifestans; ne quis putaret forte eum in his proprie vidisse Deum, intulit: « Haec visio similitudinis gloriae Domini. »

11. Igitur si neque Moyses vidit Deum, nec Elias, nec Ezechiel, qui multa de coelestibus viderunt; quae autem ab his videbantur, erant similitudines claritatis Domini, et prophetiae futurorum: manifestum est, quoniam Pater quidem invisibilis, de quo et Dominus dixit: « Deum nemo vidit unquam. » Verbum autem ejus, quemadmodum volebat ipse, et ad utilitatem videntium, claritatem monstrabat Patris, et dispositiones exponebat (quemadmodum et Dominus dixit: « Unigenitus Deus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit; » et ipse autem interpretatur Patris Verbum, utpote dives, et multus exsistens): non in una figura, nec in uno charactere videbatur videntibus eum, sed secundum dispensationum ejus causas sive efficaciam, sicut in Daniele scriptum est. Aliquando enim cum his qui erant circa Ananiam, Azariam, Misaelem, videbatur assistens eis in fornace ignis, et in camino, et liberans eos de igne: « Et visio, » inquit, « quarti similis Filio Dei. » Aliquando autem « lapis a monte abscissus sine manibus; » et percutiens temporalia regna, et ventilans ea, et ipse replens universam terram. Rursum hic idem videtur quasi Filius hominis in nubibus coeli veniens, et appropinquans ad Veterem dierum, et sumens ab eo universam potestatem, et gloriam, et regnum. « Et potestas, » inquit, « ejus potestas aeterna, et regnum ejus non interibit. »

Sed et Joannes Domini discipulus in Apocalypsi sacerdotalem et gloriosum regni ejus videns adventum: « Conversus sum, » inquit, « videre vocem quae loquebatur mecum, et conversus

vidi septem candelabra aurea, et inter candelabra similem Filio hominis indutum poderem, et cinctum ad mammas zonam auream. Caput autem ejus et capilli albi, quemadmodum lana alba, quomodo nix; et oculi ejus ut flamma ignis; et pedes ejus similes chalcolibano, quemadmodum in camino succensus est. Et vox ejus quasi vox aquarum, et habet stellas septem in manu dextera sua, et de ore ejus romphaea ex utraque parte acuta exibat, et facies ejus quemadmodum sol fulgens in virtute sua. » In his enim aliquid a Patre clarum ejus significat, ut caput: aliquid vero sacerdotale, ut podere (et propter hoc Moyses secundum hunc typum vestivit pontificem); aliquid vero ad finem, quemadmodum chalcolibanum in camino succensum, quod est fortitudo fidei, et perseverabile orationum: propterea adveniens in fine temporum succensionis incendium.

Joanne vero non sustinente visionem (« Cecidi » enim, inquit, « ad pedes ejus quasi mortuus, » ut fieret, quod scriptum est: « Nemo videt Deum et vivet »), et vivificans eum Verbum, et admonens, quoniam ipse est in cujus pectore recumbebat ad coenam, interrogans quis esset qui inciperet eum tradere, dicebat: « Ego sum primus, et ego novissimus; et qui vivo, et fui mortuus, et ecce vivo in saecula saeculorum, et habeo claves mortis et inferorum. » Et post haec in secunda visione eumdem Dominum videns: « Vidi » enim, inquit, « in medio throni, et quatuor animalium, et in medio presbyterorum, agnum stantem quasi occisum, habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiri-

tus Dei, dimissi in universam terram. » Et rursum de eodem ipso agno ait: « Et ecce equus albus, et qui sedebat super eum vocabatur fidelis et verus, et per justitiam judicat et pugnat, et oculi ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo scit, nisi ipse: et circumamictus vestimentum aspersum sanguine, et vocatur nomen ejus Verbum Dei. Et exercitus coeli sequebantur in equis albis, vestiti byssinum album mundum: et de ore ejus procedit romphaea acuta, ut in ea percutiat gentes: et ipse pascet eos in virga ferrea, et ipse calcat lacum vini furoris irae Dei omnipotentis; et habet super vestitum, et super femur suum, nomen scriptum: Rex regum et Dominus dominorum. » Sic semper Verbum Dei velut lineamenta rerum futurarum habet, et velut species dispositionum Patris hominibus ostendebat, docens nos quae sunt Dei.

12. Non solum autem per visiones quae videbantur, et per sermones qui praeconabantur, sed et in operationibus visus est prophetis, ut per eos praefiguraret et praemonstraret futura. Propter quod et Osee propheta accepit « uxorem fornicationis; » per operationem prophetans, « quoniam fornicando fornicabitur terra a Domino, » hoc est, qui super terram sunt homines; et de hujusmodi hominibus beneplacitum habebit Deus assumere Ecclesiam sanctificandam communicatione Filii ejus, sicut et illa sanctificata est communione prophetae. Et propter hoc Paulus « sanctificatam » ait « infidelem mulierem in viro fideli. » Adhuc etiam filios suos nominavit

propheta, « Non misericordiam consecuta, » et « Non populus: » ut, quemadmodum Apostolus ait, « fiat qui non populus, populus: et ea quae non est misericordiam consecuta, misericordiam consecuta: et in loco liberata, in quo vocabatur non populus, ibi vocabuntur filii Dei vivi. » Id quod a propheta typice per operationem factum est, ostendit Apostolus vere factum in Ecclesia a Christo. Sic autem et Moyses Aethiopissam accipiebat uxorem, quam ipse Israelitidem fecit; praesignificans, quoniam oleaster inseritur in olivam, et participans pinguedinis ejus erit. Quoniam enim is qui secundum carnem natus est Christus, a populo quidem habebat inquiri ut occideretur, liberari vero in Aegypto, id est, in gentibus, sanctificare eos qui ibi essent infantes, unde et Ecclesiam ibi perfecit [Aegyptus enim ab initio gentilis, quemadmodum et Aethiopia] propter hoc per nuptias Moysi nuptiae Verbi ostendebantur, et per Aethiopissam conjugem, ea quae ex gentibus est Ecclesia manifestabatur; cui qui detrahunt, et incusant, et derident eam, non erunt mundi. Leprosi enim erunt, et abjicientur justorum castris. Sic autem et Raab fornicaria semetipsam quidem condemnans, quoniam esset gentilis, omnium peccatorum rea, suscepit autem tres speculatores, qui speculabantur universam terram, et apud se abscondit, Patrem scilicet et Filium cum Spiritu sancto. Et cum universa civitas, in qua habitabat, concidisset in ruinam, canentibus septem tubicinis, in ultimis Raab fornicaria conservata est cum universa domo sua, fide signi coccini: sicut et Dominus

dicebat his, qui adventum ejus non excipiebant, Pharisaeis scilicet, et coccini signum nullificant, quod erat pascha, redemptio et exodus populi ex Aegypto, dicens: « Publicani et meretrices praecedunt vos in regno coelorum. »

CAPUT XXI

Unam et eamdem fuisse Abrahae fidem et nostram: hanc vero veterum patriarcharum et dictis et factis praesignificatam fuisse.

1. Quoniam autem et in Abraham praefigurabatur fides nostra et quoniam patriarcha nostrae fidei, et velut propheta fuit, plenissime Apostolus docuit in ea Epistola quae est ad Galatas, dicens: « Qui ergo tribuit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis; ex operibus legis, an ex auditu fidei? Sicut Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Cognoscite itaque, quoniam qui sunt ex fide, hi filii sunt Abrahae. Praevidens autem Scriptura, quoniam ex fide justificat gentes Deus, praenuntiavit Abrahae, quoniam benedicentur in eo omnes gentes. Itaque qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. » Ob quae non solum prophetam eum dixit fidei, sed et patrem eorum qui ex gentibus credunt in Christum Jesum, eo quod una et eadem illius et nostra sit fides: illo quidem credente futuris quasi jam factis, propter repromissionem Dei; nobis quoque similiter per fidem speculantibus eam quae est in regno haereditatem.

2. Et ea autem quae circa Isaac, non sine significatione sunt. In ea enim Epistola quae est ad Romanos, ait Apostolus: « Sed et Rebecca ex

uno concubitu habens Isaac patris nostri, a Verbo responsum accepit; ut secundum electionem propositum Dei permaneat, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei: Duo populi in utero tuo, et duae gentes in ventre tuo, et populus populum superabit, et major serviet minori. » Ex quibus manifestum est, non solum prophetationes patriarcharum, sed etiam partus Rebeccae prophetiam fuisse duorum populorum: et unum quidem esse majorem, alterum vero minorem; et alterum quidem sub servitio, alterum autem liberum; unius autem et ejusdem patris. Unus et idem Deus noster et illorum qui est absconsorum cognitor, qui scit omnia antequam fiant; et propter hoc dixit: « Jacob dilexi, Esau autem odio habui. »

3. Si quis autem et actus qui sunt Jacob addiscat, inveniet eos non inanes, sed plenos dispositionum: et inprimis in nativitate ejus, quemadmodum apprehendit calcaneum fratris et Jacob vocatus est, id est supplantator; tenens, et qui non tenetur; ligans pedes, sed qui non ligatur; luctans, et vincens; tenens in manu calcaneum adversarii, id est victoriam. Ad hoc enim nascebatur Dominus, cujus typum generationis praestabat, de quo et Joannes in Apocalypsi ait: « Exivit vincens, ut vinceret. » Deinde autem primogenita accipiens, quando vituperavit ea frater ejus: quemadmodum et junior populus eum primogenitum Christum accepit, cum eum repulit populus aetate provectior, dicens: « Non habemus regem, nisi Caesarem. » In Christo autem universa benedictio: et propter hoc benedictiones prioris

populi a Patre surripuit posterior populus, quemadmodum Jacob abstulit benedictionem hujus Esau. Ob quam causam fratris patiebatur insidias et persecutiones frater suus, sicut et Ecclesia hoc idem a Judaeis patitur. Peregre nascebantur xii tribus, genus Israel, quoniam et Christus peregre incipiebat duodecastylum firmamentum Ecclesiae generare. Variae oves, quae fiebant, huic Jacob merces: et Christi merces, qui ex variis et differentibus gentibus in unam cohortem fidei convenientes fiunt homines, quemadmodum Pater promisit ei: « Postula, » dicens, « a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae. » Et quoniam multitudinis filiorum Domini prophetae fiebat Jacob, necessitas omnis fuit ex duabus sororibus eum filios facere; quemadmodum Christus ex duabus legibus unius et ejusdem Patris: similiter autem et ex ancillis; significans quoniam secundum carnem ex liberis, et ex servis Christus statueret filios Dei, similiter omnibus dans munus Spiritus vivificantis nos. Omnia autem ille faciebat propter illam juniorem, bonos oculos habentem, Rachel, quae praefigurabat Ecclesiam, propter quam sustinuit Christus: qui tunc quidem per patriarchas suos et prophetas praefigurans et praenuntians futura, praeexercens suam partem dispositionibus Dei, et assuescens haereditatem suam obedire Deo, et peregrinari in saeculo, et sequi verbum ejus, et praesignificare futura. Nihil enim vacuum, neque sine signo apud Deum.

CAPUT XXII

Christum non venisse propter unius saeculi homines, sed propter omnes qui juste ac pie viventes in ipsum crediderant, ac deinceps credituri erant.

1. In novissimis autem temporibus, cum venit plenitudo temporis libertatis, ipsum Verbum per seipsum sordes abluit filiarum Sion, manibus suis lavans pedes discipulorum. Hic est enim finis humani generis haeredificantis Deum: uti quemadmodum in initio per primos, omnes in servitutem redacti sumus debito mortis, sic in ultimo per novissimum omnes, qui ab initio discipuli, emundati et abluti quae sunt mortis, in vitam veniant Dei. Qui enim pedes lavit discipulorum, totum sanctificavit corpus, et in emundationem adduxit. Quapropter et recumbentibus eis ministrabat escam, significans eos qui in terra recumbebant, quibus venit ministrare vitam. Sicut Jeremias ait: « Recommemoratus est Dominus sanctus Israel mortuorum suorum, qui praedormierunt in terra defossionis, et descendit ad eos, uti evangelizaret eis salutare suum, ad salvandum eos. » Propter hoc autem, et discipulorum oculi erant gravati veniente Christo ad passionem, et inveniens eos dormientes Dominus, primo quidem dimisit, significans patientiam Dei in dormitione hominum; secundo vero veniens excitavit eos, et erexit, significans quoniam passio ejus expergefactio est dormientium discipulorum, propter quos « et descendit in inferiora terrae, » id quod erat inoperatum conditionis visurus oculis, de quibus et dicebat

discipulis: « Multi prophetae et justi cupierunt videre et audire quae vos videtis et auditis. »

2. Non enim propter eos solos, qui temporibus Tiberii Caesaris crediderunt ei, venit Christus; nec propter eos solos, qui nunc sunt, homines providentiam fecit Pater; sed propter omnes omnino homines, qui ab initio propter virtutem suam in sua generatione, et timuerunt, et dilexerunt Deum, et juste et pie conversati sunt erga proximos, et concupierunt videre Christum, et audire vocem ejus. Quapropter omnes hujusmodi in secundo adventu primo de somno excitabit, et eriget tam eos, quam reliquos qui judicabuntur, et constituet in regnum suum. Quoniam quidem « unus Deus, qui » patriarchas quidem direxit in dispositiones suas, « justificavit » autem « circumcisionem ex fide, et praeputium per fidem. » Quemadmodum enim in primis nos praefigurabamur, et praenuntiabamur, sic rursus in nobis illi deformantur, hoc est in Ecclesia, et recipiunt mercedem pro his quae laboraverunt.

CAPUT XXIII

Patriarchas et prophetas Christi adventum praesignificantes, viam posteris ad Christi fidem muniisse: ideoque minorem apostolorum laborem fuisse, quod fructum alieni laboris colligerent.

1. Propter hoc dicebat Dominus discipulis: « Ecce, dico vobis, attollite oculos vestros, et videte regiones, quoniam albae sunt ad messem. Nam messor mercedem accipit, et congregat fructum in vitam aeternam; uti et qui seminat, et

qui metit, simul gaudeant. In hoc enim est sermo verus, quoniam alius est qui seminat, et alius qui metit. Ego enim praemisi vos metere quod vos non laborastis: alii laboraverunt, et vos in laborem eorum introistis. » Qui ergo sunt qui laboraverunt, qui dispositionibus Dei deservierunt? Manifestum est, quia patriarchae et prophetae, qui etiam praefiguraverunt nostram fidem, et disseminaverunt in terra adventum Filii Dei, quis et qualis erit: uti qui posteriores erant futuri homines, habentes timorem Dei, facile susciperent adventum Christi, instructi a prophetis. Et propter hoc Joseph, cum cognovisset quod praegnans esset Maria, et cogitaret absconse dimittere eam, angelus in somnis dixit ad eum. « Ne timueris assumere Mariam conjugem tuam; quod enim habet in ventre, ex Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvabit populum suum a peccatis eorum. » Et adjecit suadens ei: « Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel; » per sermones prophetae suadens ei, et excusans Mariam: hanc eamdem esse ostendens, quae ab Isaia esset praenuntiata virgo, quae generaret Emmanuel. Quapropter sine dubitatione suasus Joseph, et Mariam accepit, et in reliqua universa educatione Christi gaudens obsequium praestitit, usque in Aegyptum suscipiens profectionem, et inde regressum, et in Nazareth transmigrationem. Denique qui ignorabant Scripturas, et repromissionem Dei, et dispositionem

Christi, patrem eum vocabant pueri. Propter hoc autem et ipse Dominus in Capharnaum Isaiae prophetias legebat: « Spiritus Domini super me, quapropter unxit me, evangelizare pauperibus misit me, curare contribulatos corde, praeconare captivis remissionem, et caecis visionem. » Semetipsum quoque ostendens praenuntiatum per Isaiae prophetiam, dicebat eis: « Hodie adimpleta est Scriptura haec in auribus vestris. »

2. Propter hoc et Philippus, cum invenisset eunuchum reginae Aethiopum legentem ea quae scripta sunt: « Quemadmodum ovis ad victimam ductus est, et quemadmodum agnus in conspectu tondentis sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate judicium ejus ablatum est; » et reliqua quaecunque de passione ejus, et de carnali adventu, et quemadmodum inhonoratus est a non credentibus ei, pertransivit propheta; facile suasit ei credere eum, esse Christum Jesum, qui sub Pontio Pilato crucifixus est, et passus est, et quaecunque praedixit propheta, eumque esse Filium Dei, qui aeternam vitam hominibus dat. Et statim ut baptizavit eum, abscessit ab eo. Nihil enim aliud deerat ei, qui a prophetis fuerat praecatechizatus: non Deum Patrem, non conversationis dispositionem, sed solum adventum ignorabat Filii Dei, quem cum breviter cognovisset, agebat iter gaudens, praeco futurus in Aethiopia Christi adventus. Quapropter non multum laboravit circa eum Philippus, quoniam erat in timore Dei praeaptatus a prophetis. Propter hoc autem et apostoli, oves colligentes quae perierant domus Israel, de Scripturis alloquentes eos, ostendebant

Jesum crucifixum hunc esse Christum Filium Dei vivi, et magnam multitudinem suadebant, qui tamen habebant timorem ad Deum: et una die baptizati sunt hominum tria millia, et quatuor, et quinque.

CAPUT XXIV

Difficiliorem fuisse gentium, quam Judaeorum conversionem; majorem proinde apostolorum laborem qui illi, quam qui huic operam navabant.

1. Propter hoc et Paulus, gentium apostolus cum esset: « Plus eis, » inquit, « omnibus laboravi. » Illis enim facilis catechizatio fuit, videlicet cum ex Scripturis haberent ostensiones; et qui Moysem et prophetas audiebant, et facile recipiebant primogenitum mortuorum, et principem vitae Dei, eum qui per extensionem manuum dissolvebat Amalech, et vivificabat hominem de serpentis plaga per fidem, quae erat in eum, gentes quidem primo catechizabat Apostolus, quemadmodum in eo libro, qui ante hunc est, ostendimus, discedere ab idolorum superstitione, et unum Deum colere, factorem coeli et terrae, et universae conditionis fabricatorem: esse autem hujus Filium Verbum ejus, per quem constituit omnia; et hunc in novissimo tempore hominem in hominibus factum, reformasse quidem humanum genus, destruxisse autem et vicisse inimicum hominis, et donasse suo plasmati adversus reluctantem victoriam. Adhuc autem etsi non faciebant qui erant ex circumcisione sermones Dei, quod essent contemptores; sed erant praestructi

non moechari, nec fornicari, non furari, nec fraudare, et quaecumque in exterminium proximorum fiunt, mala esse, et odiri a Deo. Quapropter et facile assentiebant ab his abstinere, quoniam haec didicerant.

2. Gentiles vero et hoc ipsum discere oportebat quoniam hujusmodi operationes malae, et exterminatoriae, et inutiles sunt, et damnosae his qui operantur eas. Quapropter plus laborabat qui in gentes apostolatum acceperat, quam qui in circumcisione praeconabant Filium Dei. Illos enim adjuvabant Scripturae, quas confirmavit Dominus, et adimplevit, talis veniens qualis et praedicabatur: hic vero peregrina quaedam eruditio, et nova doctrina, deos gentium non solum non esse deos, sed et idola esse daemoniorum; esse autem unum Deum, qui est « super omnem principatum, et dominationem, et potestatem, et omne nomen quod nominatur: » et hujus Verbum naturaliter quidem invisibilem, palpabilem et visibilem in hominibus factum, et « usque ad mortem » descendisse, « mortem autem crucis: » et eos qui in eum credunt, incorruptibiles et impassibiles futuros, et percipere regnum coelorum. Et haec sermone praedicabantur gentibus sine Scripturis; quapropter et plus laborabant qui in gentes praedicabant. Generosior autem rursus fides gentium ostenditur, sermonem Dei assequentium, sine instructione Litterarum.

CAPUT XXV

Utrumque testamentum in Abrahamo, et in Thamaris partu praesignatum fuisse: unum vero utriusque testamenti Deum esse.

1. Sic enim oportuerat filios Abrahae, quos illi de lapidibus excitavit Deus, et fecit assistere ei, principi et praenuntiatori facto nostrae fidei; qui et accepit testamentum circumcisionis, post eam justificationem quae fuerat in praeputio fidei: ut praefigurarentur in eo utraque testamenta, ut fieret pater omnium qui sequuntur Verbum Dei, et peregrinationem in hoc saeculo sustinent, id est eorum qui ex circumcisione, et eorum qui ex praeputio fideles sunt: sicut et « Christus lapis summus angularis, » omnia sustinens, et in unam fidem Abrahae colligens eos, qui ex utroque Testamento apti sunt in aedificationem Dei. Sed haec quidem quae est in praeputio fides, utpote finem conjungens principio, prima et novissima facta est. Etenim ante circumcisionem erat in Abraham, et in reliquis justis, qui placuerunt Deo, sicut demonstravimus: et rursus in novissimis temporibus orta est in humano genere per Domini adventum. Circumcisio vero et lex operationum media obtinuerunt tempora.

2. Hoc et per alia quidem multa, jam vero et per Thamar Judae nurum typice ostenditur. Cum enim concepisset geminos, alter eorum prior protulit manum suam: et cum obstetrix putaret eum primogenitum esse, coccinum alligavit signum in manu ejus. Cum hoc autem factum esset, et abstraxisset manum suam, prior exivit frater ejus Phares; sic deinde secundus ille, in quo erat coccinum, Zara: clare manifestante Scriptura, eum

quidem populum qui habet coccinum signum, id est eam fidem quae est in praeputio, praeostensam quidem primum in patriarchis, post deinde subtractam, uti nasceretur frater ejus; deinde sic eum, qui prior esset, secundo loco natum, qui est cognitus per signum coccinum, quod erat in eo; quod est passio justi, ab initio praefigurata in Abel, et descripta a prophetis, perfecta vero in novissimis temporibus in Filio Dei.

3. Oportebat enim quaedam quidem praenuntiari paternaliter a patribus, quaedam autem praefigurari legaliter a prophetis, quaedam vero deformari secundum formationem Christi, ab his qui adoptionem perceperunt: omnia vero in uno Deo ostenduntur. Cum enim unus esset Abraham, in semetipso praefigurabat duo testamenta, in quibus alii quidem seminaverunt, alii vero messi sunt: « In hoc enim, » inquit, « sermo est verus, quoniam alter quidem est qui seminat » populus, « alter qui metet: » unus autem Deus praestans utrisque quae sunt apta, semen quidem seminanti, panem vero ad edendum metenti. Quemadmodum alter quidem est qui plantat, et alter qui adaquat, unus autem, qui dat incrementum, Deus. Disseminaverunt enim sermonem de Christo patriarchae et prophetae; demessa est autem Ecclesia, hoc est fructum percepit. Propter hoc et ipsi orant habere tabernaculum in ea, Jeremia dicente: « Quis dabit mihi in deserto habitationem novissimam; » uti et qui seminat, et qui metit, simul gaudeant in Christi regno, qui omnibus adest, de quibus ab initio

bene sensit Deus, attribuens adesse eis Verbum suum.

CAPUT XXVI

Thesaurus absconditus in Scripturis Christus, hujus adventu ac cruce patefactus; Scripturarum vero expositionem doctrinaeque veritatem a solis episcopis, qui in Ecclesia catholica successionem habent ab apostolis, petendam esse.

1. Si quis igitur intentus legat Scripturas, inveniet in iisdem de Christo sermonem, et novae vocationis praefigurationem.

Hic est enim thesaurus absconsus in agro, id est in isto mundo (« ager enim mundus est »), absconsus vero in Scripturis thesaurus Christus, quoniam per typos et parabolas significabatur. Unde non poterat hoc quod secundum hominem est, intelligi, priusquam consummatio eorum, quae consummata sunt, veniret; quae est adventus Christi. Et propter hoc Danieli prophetae dicebatur: « Muni sermones, et signa librum usque ad tempus consummationis, quoadusque discant multi, et adimpleatur agnitio. In eo enim cum perficietur dispersio, cognoscent omnia haec. » Sed et Jeremias ait: « In novissimis diebus intelligent ea. »

Omnis enim prophetia, priusquam habeat effectum, aenigmata et ambiguitates sunt hominibus. Cum autem venerit tempus, et evenerit quod prophetatum est; tunc prophetiae habent liquidam et certam expositionem. Et propter hoc quidem Judaeis cum legitur lex in hoc nunc tempore, fabulae similis est: non enim habent

expositionem omnium rerum pertinentem ad adventum Filii Dei, qui est secundum hominem: a Christianis vero cum legitur, thesaurus est absconsus in agro, cruce vero Christi revelatus est, et explanatus, et ditans sensus hominum, et ostendens sapientiam Dei, et eas, quae sunt erga hominem dispositiones ejus, manifestans, et Christi regnum praeformans, et haereditatem sanctae Hierusalem praeevangelizans; et praenuntians, quoniam in tantum homo diligens Deum proficiet, ut etiam videat Deum, et audiat sermonem ejus, et ex auditu loquelae ejus in tantum glorificari, ut reliqui non possint intendere in faciem gloriae ejus, quemadmodum dictum est a Daniele: Quoniam « intelligentes fulgebunt, quemadmodum claritas firmamenti, et a multis justis sicut stellae in saecula, et adhuc. » Quemadmodum igitur ostendimus, si quis legat Scripturas (etenim Dominus sic disseruit discipulis post resurrectionem suam a mortuis, ex ipsis Scripturis ostendens eis, quoniam « oportebat pati Christum, et intrare in gloriam suam, et in nomine ejus remissionem peccatorum praedicari in toto mundo), » et erit consummatus discipulus, et similis patrifamilias, qui de thesauro suo profert nova et vetera.

2. Quapropter eis qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, sicut ostendimus; qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt: reliquos vero, qui absistunt a principali successione, et quocunque loco colligunt, suspectos habere, vel

quasi haereticos, et malae sententiae; vel quasi scindentes, et elatos, et sibi placentes; aut rursus ut hypocritas, quaestus gratia et vanae gloriae hoc operantes. Omnes autem hi deciderunt a veritate. Et haeretici quidem alienum ignem afferentes ad altare Dei, id est, alienas doctrinas, a coelesti igne comburentur, quemadmodum Nadab et Abiud. Qui vero exsurgunt contra veritatem, et alteros adhortantur adversus Ecclesiam Dei, remanent apud inferos, voragine terrae absorpti, quemadmodum qui circa Core, Dathan, et Abiron. Qui autem scindunt et separant unitatem Ecclesiae, eamdem quam Jeroboam poenam percipiunt a Deo.

3. Qui vero crediti quidem sunt a multis esse presbyteri, serviunt autem suis voluptatibus, et non praeponunt timorem Dei in cordibus suis, sed contumeliis agunt reliquos, et principalis concessionis tumore elati sunt, et in absconsis agunt mala, et dicunt: « Nemo nos videt, » redarguentur a Verbo; qui non secundum gloriam judicat, neque faciem attendit, sed in cor: et audient eas quae sunt a Daniele propheta voces: « Semen Chanaan, et non Juda, species seduxit te, et concupiscentia evertit cor tuum; inveterate dierum malorum, nunc advenerunt peccata tua quae faciebas antea, judicans judicia injusta: et innocentes quidem damnabas, dimittebas vero nocentes, dicente Domino: Innocentem et justum non occides. » De quibus dixit et Dominus: « Si autem dixerit malus servus in corde suo: Tardat dominus meus, et incipiat caedere servos et ancillas, et manducare, et bibere, et inebriari;

veniet dominus servi illius in die qua nescit, et hora qua non sperat, et dividet eum, et partem ejus cum infidelibus ponet. »

4. Ab omnibus igitur talibus absistere oportet; adhaerere vero his qui et apostolorum, sicut praediximus, doctrinam custodiunt, et cum presbyterii ordine sermonem sanum, et conversationem sine offensa praestant, ad confirmationem et correptionem reliquorum. Quemadmodum Moyses, cui tantus ducatus est creditus, bona conscientia fretus, purgabat se apud Deum, dicens: « Non concupiscens alicujus illorum quid accepi, neque male feci alicui eorum. » Quemadmodum Samuel tot annis judicans populum, et sine ulla elatione ducatum gerens super Israel, in fine purgabat se, dicens: « Ego conversatus sum in conspectu vestro a prima aetate mea usque nunc: respondete mihi in conspectu Dei, et in conspectu Christi ejus, cujus vestrum vitulum accepi, aut asinum, aut super quem potentatus sum, aut quem oppressi, aut si de alicujus manu accepi propitiationem vel calceamentum, dicite adversus me, et reddam vobis. » Cum dixisset autem populus: « Neque potentatus es, neque oppressisti nos, neque accepisti de manu cujusquam aliquid; » testificatus est Dominum, dicens: « Testis Dominus, et testis Christus ejus in die hac, quoniam invenistis in manu mea nihil. Et dixerunt ei: Testis. » Quemadmodum et Paulus apostolus, cum esset bonae conscientiae, dicebat ad Corinthios: « Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur: nemini

nocuimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus. »

5. Tales presbyteros nutrit Ecclesia, de quibus et propheta ait: « Et dabo principes tuos in pace, et episcopos tuos in justitia. » De quibus et Dominus dicebat: « Qui igitur erit fidelis actor, bonus, et sapiens quem praeponit Dominus super familiam suam, ad danda eis cibaria in tempore? Beatus ille servus, quem veniens Dominus invenerit sic facientem. » Ubi igitur tales inveniat aliquis, Paulus docens ait: « Posuit Deus in Ecclesia primo apostolos, secundo prophetas, tertio doctores. » Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea quae est ab apostolis Ecclesiae successio, et id quod est sanum et irreprobabile conversationis, et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. Hi enim et eam quae est in unum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt: et eam quae est in Filium Dei, dilectionem adaugent, qui tantas dispositiones propter nos fecit, et Scripturas sine periculo nobis exponunt, neque Deum blasphemantes, neque patriarchas exhonorantes, neque prophetas contemnentes.

CAPUT XXVII

Veterum lapsus, in quos animadvertit Deus, ipso providente litteris mandatos esse, ut iis erudiamur, nec superbiamus. Non igitur hinc colligendum alium Deum esse ab eo quem Christus praedicavit; timendum potius ne unus et idem Deus, qui poenas ab antiquis sumpsit, graviores a nobis repetat.

1. Quemadmodum audivi a quodam presbytero, qui audierat ab his qui apostolos viderant, et ab his qui didicerant, sufficere veteribus, de his quae sine consilio Spiritus egerunt, eam quae ex Scripturis esset correptionem. Cum enim non sit personarum acceptor Deus, quae sunt non secundum ejus placitum facta, his inferebat congruam correptionem. Quemadmodum sub David, quando persecutionem quidem patiebatur a Saul propter justitiam, et regem Saul fugiebat, et inimicum non ulciscebatur, et Christi adventum psallebat, et sapientia instruebat gentes, et omnia secundum consilium faciebat Spiritus, placebat Deo. Quando autem propter concupiscentiam ipse sibi accepit Bethsabee Uriae uxorem, dixit Scriptura de eo: « Nequam autem visus est sermo quem fecit David in oculis Domini; » et mittitur ad eum Nathan propheta, ostendens ei peccatum ejus, ut ipse dans sententiam de semetipso, et semetipsum adjudicans, misericordiam consequeretur et remissionem a Christo: « Et dixit ei: Duo viri fuerunt in civitate una, unus dives, et unus pauper: diviti erant greges ovium et boum multi valde, et pauperi nihil aliud nisi ovicula una, quam habebat, et nutriebat, et fuerat cum eo, et cum filiis ejus pariter: de pane suo manducabat, et de calice bibebat, et erat ei quasi filia. Et venit hospes homini diviti, et pepercit accipere de grege ovicularum suarum, et de gregibus boum suorum, et facere hospiti: et accepit oviculam viri pauperis, et apposuit viro qui venerat ad eum. Iratus est autem David super hominem illum valde, et dixit ad Nathan: Vivit Dominus,

quoniam filius mortis est homo ille qui fecit hoc: et oviculam reddet quadruplum pro eo quod fecit factum hoc, et pro eo quod non pepercit pauperi. Et ait ad eum Nathan: Tu es vir, qui fecisti hoc; » et deinceps reliqua exsequitur, exprobrans eum, et enumerans in eum Dei beneficia, et quoniam exacerbavit Dominum, cum fecisset hoc. Non enim placere Deo hujusmodi operationem, sed iram magnam imminere domui ejus. Compunctus est autem David ad haec, et ait: « Peccavi Domino; » et psalmum exhomologeseos post psallebat, adventum Domini sustinens, qui abluit et emundat eum hominem qui peccato fuerat obstrictus.

Similiter autem et de Salomone, cum perseveraret judicare recte, et sapientiam enarrare, et typum veri templi aedificabat, et glorias exponebat Dei, et adventuram pacem gentibus annuntiabat, et Christi regnum praefigurabat, et loquebatur tria millia parabolarum in adventum Domini, et quinque millia canticorum, hymnum dicens Deo, et eam quae est in conditione sapientiam Dei exponebat physiologice ex omni ligno, et de omni herba, et de volatilibus omnibus, et de quadrupedibus, et de piscibus; et dicebat: « Si vere Deus, quem coeli non capiunt, super terram habitabit cum hominibus? » et placebat Deo, et omnes eum admirabantur, et omnes reges terrae quaerebant faciem ejus, ut audirent sapientiam ejus, quam dederat illi Deus, et regina Austri a finibus terrae veniebat ad eum, sapientiam quae in eo erat, scitura; quam et Dominus ait in judicio resurrecturam cum eorum natione qui audiunt sermones ejus, et non credunt in eum, et adjudicaturam

eos: quoniam illa quidem subjecta est annuntiatae sapientiae per servum Dei; hi vero eam quae a Filio Dei dabatur, contempserunt sapientiam. Salomon enim servus erat; Christus vero Filius Dei, et Dominus Salomonis. Cum igitur sine offensa serviret Deo, et ministraret dispositionibus ejus, tunc glorificabatur: cum autem uxores accipiebat ab universis gentibus, et permittebat eis erigere idola in Israel, dixit Scriptura de eo: « Et rex Salomon erat amator mulierum, et accepit sibi mulieres alienigenas: et factum est in tempore senectutis Salomonis, non erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo. Et diverterunt mulieres alienigenae cor ejus post deos alienos. Et fecit Salomon malignum in conspectu Domini: non abiit post Dominum, quemadmodum David pater ejus. Et iratus est Dominus in Salomonem: non enim erat cor ejus perfectum in Domino, secundum cor David patris ejus. » Sufficienter increpavit eum Scriptura, sicut dixit presbyter, ut non glorietur universa caro in conspectu Domini.

2. Et propter hoc Dominum in ea, quae sunt sub terra, descendisse, evangelizantem et illis adventum suum, remissione peccatorum exsistente his qui credunt in eum. Crediderunt autem in eum omnes qui sperabant in eum, id est qui adventum ejus praenuntiaverunt, et dispositionibus ejus servierunt, justi, et prophetae, et patriarchae: quibus similiter ut nobis remisit peccata, quae non oportet nos imputare his, si quominus contemnimus gratiam Dei. Quemadmodum enim illi non imputabant nobis incontinentias nostras, quas operati sumus, priusquam Christus

in nobis manifestaretur; sic et nos non est justum imputare ante adventum Christi his qui peccaverunt. « Omnes » enim homines « egent gloria Dei, » justificantur autem non a semetipsis, sed a Domini adventu, qui intendunt lumen ejus. In nostram autem correptionem conscriptos esse actus eorum, ut sciremus, primum quidem, quoniam unus est Deus noster et illorum, cui non placeant peccata, etiamsi a claris fiant; deinde, ut abstineamus a malis. Si enim hi qui praecesserunt nos in charismatibus veteres, propter quos nondum Filius Dei passus erat, delinquentes in aliquo, et concupiscentiae carnis servientes, tali affecti sunt ignominia, quid passuri sunt qui nunc sunt, qui contempserunt adventum Domini, et deservierunt voluptatibus suis? Et illis quidem curatio et remissio peccatorum mors Domini fuit: propter eos vero qui nunc peccant, Christus non jam morietur, jam enim mors non dominabitur ejus; sed veniet Filius in gloria Patris, exquirens ab actoribus et dispensatoribus suis pecuniam quam eis credidit, cum usuris: et quibus plurimum dedit, plurimum ab eis exiget. Non debemus ergo, inquit ille senior, superbi esse, neque reprehendere veteres; sed ipsi timere, ne forte post agnitionem Christi agentes aliquid quod non placeat Deo, remissionem ultra non habeamus delictorum, sed excludamur a regno ejus. Et ideo Paulum dixisse: « Si enim naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat, qui cum esses oleaster, insertus es in pinguedinem olivae, et socius factus es pinguedinis ejus. »

3. Similiter et plebis praevaricationes vides descriptas esse, non propter illos qui tunc transgrediebantur, sed in correptionem nostram, et ut sciremus unum et eumdem Deum, in quem illi delinquebant, et in quem nunc delinquunt quidam ex his qui credidisse se dicunt. Et hoc autem Apostolum in Epistola quae est ad Corinthios, manifestissime ostendisse, dicentem: « Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari, omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt: bibebant autem enim de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum bene sensit Deus; prostrati sunt enim in deserto. Haec in figuram nostri fuerunt, ut non simus concupiscentes malorum, quemadmodum et illi concupierunt; neque idololatrae sitis, quemadmodum quidam eorum; sicut scriptum est: Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex illis fornicati sunt, et corruerunt una die viginti tria millia. Nec tentemus Christum, quemadmodum quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicuti quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. Haec autem omnia in figura fiebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos finis saeculorum devenit. Quapropter qui putat se stare, videat ne cadat. »

4. Sine dubitatione igitur et sine contradictione ostendente Apostolo, unum et eumdem esse

Deum, qui et illa judicavit, et ea quae nunc sunt, exquirit, et causam descriptionis eorum demonstrante; indocti et audaces, adhuc etiam imprudentes inveniuntur omnes, qui propter transgressionem eorum qui olim fuerunt, et propter plurimorum indicto audientiam, alterum quidem aiunt illorum fuisse Deum, et hunc esse mundi fabricatorem, et esse in diminutione; alterum vero a Christo traditum Patrem, et hunc esse qui sit ab unoquoque eorum mente conceptus: non intelligentes, quoniam quemadmodum ibi in pluribus eorum, qui peccaverunt, non bene sensit Deus; sic et hic « vocati multi, pauci vero electi: » quemadmodum ibi injusti, et idololatrae, et fornicatores vitam perdiderunt; sic et hic: et Domino quidem praedicante, in ignem aeternum mitti tales, et Apostolo dicente: « An ignoratis, quoniam injusti regnum Dei non haereditabunt? Nolite seduci: neque fornicatores, neque idololatrae, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores regnum Dei possidebunt. » Et quoniam non ad eos, qui extra sunt, hoc dicit, sed ad nos, ne projiciamur extra regnum Dei, tale aliquid operantes, intulit: « Et haec quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. »

Et quemadmodum illic condemnabantur, et projiciebantur hi qui male operabantur, et reliquos exterminabant, similiter et hic oculus quoque effoditur scandalizans, et pes, et manus, ne reliquum corpus pariter pereat. Et habemus

praeceptum: « Si quis frater nominatur fornicator, aut avarus, aut idololatra, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere. » Et iterum ait Apostolus: « Nemo vos seducat inanibus verbis; propter haec enim venit ira Dei in filios diffidentiae. Nolite ergo fieri participes eorum. » Et quemadmodum ibi peccantium damnatio participabat et reliquos, quoniam placebant eis, et una cum eis conversabantur; sic et hic: « modicum fermentum totam massam corrumpit. » Et quemadmodum ibi adversus injustos ira descendebat Dei, et hic similiter Apostolus ait: « Revelabitur enim ira Dei de coelo super omnem impietatem, et injustitiam eorum hominum, qui veritatem in injustitia detinent. » Et quemadmodum ibi in Aegyptios, qui injuste puniebant Israel, vindicta a Deo fiebat; sic et hic, Domino quidem dicente: « Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, quicunque clamant ad eum die et nocte? Etiam dico vobis, faciet vindictam eorum cito; » et Apostolo in ea quae est ad Thessalonicenses Epistola, ista praedicante: « Si quidem justum est apud Deum retribuere retributionem his qui tribulant vos, et vobis qui tribulamini, refrigerium nobiscum, in revelatione Domini nostri Jesu Christi de coelo cum angelis virtutis ejus, et in flamma ignis, dare vindictam in eos qui non noverunt Deum, et in eos qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi; qui etiam poenas pendent interitus aeternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus, cum venerit magnificari in sanctis suis, et admirabilis esse omnibus qui crediderunt » in eum.

CAPUT XXVIII

Insipientes esse qui Christi misericordiam exaggerantes, judicium tacentes, majoremque novi testamenti gratiam spectantes; majoris vero, quam a nobis exigit, perfectionis obliti, alterum Deum a Creatore statuere nituntur.

1. Cum ergo hic et illic eadem sit in vindicando Deo justitia Dei, et illic quidem typice, et temporaliter, et mediocrius; hic vero vere, et semper, et austerius; ignis enim aeternus, et quae a coelo revelabitur ira Dei a facie Domini nostri (quemadmodum et David ait: « Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam ipsorum »), majorem poenam praestat iis qui incidunt in eam: valde insensatos ostendebant presbyteri eos, qui ex his quae acciderunt his, qui olim Deo obtemperabant, tentant alterum Patrem introducere; e contrario opponentes, quanta Dominus ad salvandos eos, qui receperunt eum, veniens fecisset, miserans eorum; tacentes autem de judicio ejus, et quaecunque provenient his, qui audierunt sermones ejus, et non fecerunt, et quoniam expediebat eis, si non essent nati, et quoniam tolerabilius Sodomae et Gomorrhae erit in judicio, quam civitati illi quae non recepit sermones discipulorum ejus.

2. Quemadmodum enim in novo testamento ea, quae est ad Deum, fides hominum aucta est, additamentum accipiens Filium Dei, ut et homo fieret particeps Dei; ita et diligentia conversationis aucta est, cum non solum a malis operibus abstinere jubemur, sed ab ipsis cogitationibus,

et otiosis dictionibus et sermonibus vacuis, et verbis scurrilibus: sic et poena eorum, qui non credunt Verbo Dei, et contemnunt ejus adventum, et convertuntur retrorsum, adampliata est; non solum temporalis, sed et aeterna facta. Quibuscunque enim dixerit Dominus: « Discedite a me, maledicti, in ignem perpetuum; » isti erunt semper damnati; et quibuscunque dixerit: « Venite, benedicti Patris mei, percipite haereditatem regni, quod praeparatum est vobis in sempiternum; » hi semper percipiunt regnum, et proficiunt, cum sit unus et idem Deus Pater, et Verbum ejus, semper assistens humano generi, variis quidem dispositionibus, et multa operans et salvans ab initio eos qui salvantur (sunt enim hi qui diligunt Deum, et secundum suum genus sequuntur Verbum Dei), et adjudicans eos qui adjudicantur, id est eos qui obliviscuntur Deum, et sunt blasphemi, et transgressores ejus verbi.

3. Etenim hi ipsi, qui a nobis praedicti sunt, haeretici exciderunt sibi, accusantes Dominum, in quem dicunt se credere. Quae enim denotant in Deo, qui tunc temporaliter judicaverit incredulos, et percussit Aegyptios, salvavit autem obedientes; eadem nihilominus recurrent in Dominum, in sempiternum quidem adjudicantem quos adjudicat, et in sempiternum dimittentem eos quos dimittit: et invenietur, secundum illorum verba, maximi peccati causa factus his qui in eum immiserunt manus, et pupugerunt eum. Si enim non ita venisset, utique illi Domini sui interfectores facti non fuissent: et si non misisset prophetas ad eos, non utique occidissent eos, et

apostolos quoque similiter. His igitur qui imputant nobis, et dicunt: Si non Aegyptii plagati fuissent, et persequentes Israel praefocati fuissent in mari, non poterat Deus salvare populum suum; occurrit illud: Nisi igitur Judaei interfectores Domini facti fuissent (quod quidem abstulit ab eis aeternam vitam), et apostolos interficientes, et persequentes Ecclesiam, in iracundiae incidissent profundum, nos salvari non poteramus. Quemadmodum enim illi per Aegyptiorum, sic et nos per Judaeorum caecitatem accepimus salutem: siquidem mors Domini, eorum quidem qui cruci eum fixerunt, et non crediderunt ejus adventum, damnatio est; salvatio vero eorum qui credunt in eum. Nam et Apostolus ait in Epistola secunda ad Corinthios: « Quoniam Christi suavis odor sumus Deo, et in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt: quibusdam quidem odor mortis in mortem, quibusdam autem odor vitae in vitam. » Quibus ergo est odor mortis in mortem, nisi his qui non credunt, neque subjecti sunt Verbo Dei? Qui sunt autem qui et tunc semetipsos morti tradiderunt? Hi scilicet qui non credunt, neque subjiciuntur Deo. Rursum autem, qui salvati sunt, et acceperunt haereditatem? Hi scilicet qui credunt Deo, et eam, quae est erga illum, dilectionem custodierunt; quemadmodum Caleb Jephone, et Jesus Nave, et pueri innocentes, qui neque malitiae sensum habuerunt. Qui sunt autem qui hic salvantur, et accipiunt vitam aeternam? Nonne hi qui diligunt Deum, et qui pollicitationibus ejus credunt, et malitia parvuli effecti sunt?

CAPUT XXIX

Dissolvit argumentum Marcionitarum, quo Deum malorum auctorem probare nitebantur, quod Pharaonem et ministros ejus excaecaverit.

1. Sed induravit, inquiunt illi, Deus cor Pharaonis et famulorum ejus. Qui ergo haec imputant, non legunt in Evangelio, ubi discipulis dicentibus Domino: « Quare in parabolis loqueris eis? » respondit Dominus: « Quoniam vobis est datum nosse mysterium regni coelorum; illis autem in parabolis loquor, ut videntes non videant, et audientes non audiant, intelligentes non intelligant, ut impleatur erga eos prophetia Isaiae dicens: Incrassa cor populi hujus, et aures eorum obtura, et oculos eorum excaeca. Vestri autem beati oculi, qui vident quae vos videtis, et aures vestrae, quae audiunt quae auditis. » Unus enim et idem Deus, his quidem qui non credunt, sed nullificant eum, infert caecitatem; quemadmodum sol, qui est creatura ejus, his qui propter aliquam infirmitatem oculorum non possunt contemplari lumen ejus: his autem qui credunt ei, et sequuntur eum, pleniorem et majorem illuminationem mentis praestat. Secundum hunc igitur sermonem et Apostolus ait in secunda ad Corinthios: « In quibus Deus saeculi hujus excaecavit mentes infidelium, uti non fulgeat illuminatio Evangelii gloriae Christi. » Et iterum in ea quae est ad Romanos: « Et quemadmodum non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, facere quae non conveniunt. » In secunda autem ad Thessalonicenses

manifeste ait, de Antichristo dicens: « Et ideo mittet eis Deus operationem erroris, uti credant mendacio: uti judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. »

2. Si igitur et nunc, quotquot scit non credituros Deus, cum sit omnium praecognitor, tradidit eos infidelitati eorum, et avertit faciem ab hujusmodi, relinquens eos in tenebris, quas ipsi sibi elegerunt; quid mirum, si et tunc nunquam crediturum Pharaonem, cum his qui cum eo erant, tradidit eos suae infidelitati? Quemadmodum Verbum ait de rubo ad Moysem: « Ego autem scio quoniam non dimittet vos Pharao rex Aegypti abire, nisi in manu valida. » Et qua ratione Dominus in parabolis loquebatur, et caecitatem faciebat Israel, ut videntes non viderent, sciens incredulitatem eorum: eadem ratione et cor Pharaonis indurabat, ut videns quoniam digitus Dei est, qui educit populum, non crederet, sed in infidelitatis praecipitaretur pelagus; per magicam operationem opinatus fieri exitum eorum, et Rubrum mare non ex virtute Dei transitum praestitisse populo, sed naturaliter sic se habere.

CAPUT XXX

Diluit aliud Marcionitarum argumentum, quod nimirum Hebraei, jubente Deo, spoliassent Aegyptios.

1. Qui vero exprobrant et imputant, quod profecturus populus jussu Dei vascula omnis generis, et vestimenta acceperit ab Aegyptiis, et sic abierit, ex quibus et tabernaculum factum est in eremo; ignorantes justificationes Dei, et

dispositiones ejus, semetipsos arguunt, sicut et presbyter dicebat. Si enim non in typica profectione hoc consensisset Deus, hodie in vera nostra profectione, id est in fide in qua sumus constituti, per quam de numero gentilium exempti sumus, nemo poterat salvari. Omnes enim nos aut modica, aut grandis sequitur possessio, quam ex mammona iniquitatis acquisivimus. Unde enim domus in quibus habitamus, et vestimenta quibus induimur, et vasa quibus utimur, et reliqua omnis ad diuturnam vitam nostram ministratio, nisi ex his quae, cum ethnici essemus, de avaritia acquisivimus, vel ab ethnicis parentibus, aut cognatis, aut amicis, de injustitia acquirentibus percepimus? Ut non dicamus, quia et nunc in fide exsistentes acquirimus. Quis enim vendit, et non lucrari vult ab eo qui emit? Quis autem emit, et non vult utiliter secum agi ab eo qui vendit? Quis autem negotians non propterea negotiatur, ut inde alatur? Quid autem et hi, qui in regali aula sunt, fideles, nonne ex eis, quae Caesaris sunt, habent utensilia, et his qui non habent, unusquisque eorum secundum virtutem praestat? Aegyptii populi erant debitores non solum rerum, sed et vitae suae, propter patriarchae Joseph praecedentem benignitatem; nobis autem secundum quid debitores sunt ethnici, a quibus et lucra, et utilitates percipimus? quaecunque illi cum labore comparant, his nos, in fide cum simus, sine labore utimur.

2. Ad hoc populus pessimam servitutem serviebat Aegyptiis, quemadmodum Scriptura ait: « Et cum vi potestatem exercebant Aegyptii in

filios Israel, et in odium eis adducebant vitam in operibus duris, luto et latere, et omnibus operibus quae faciebant in campis, per omnia opera quibus eos deprimebant cum vi: » et aedificaverunt eis civitates munitas, multum laborantes, et augentes eorum substantias annis multis, et per omnem modum servitutis, cum illi non solum ingrati essent adversus eos, verum et universos perdere vellent. Quid igitur injuste gestum est, si ex multis pauca sumpserunt, et qui potuerunt multas substantias habere, si non serviissent eis, et divites abire, paucissimam mercedem pro magna servitute accipientes, inopes abierunt? Quemadmodum si quis liber, abductus ab aliquo per vim, et serviens ei annis multis, et augens substantiam ejus, post deinde aliquod adminiculum consecutus, putetur quidem modica quaedam ejus habere, revera autem ex multis laboribus suis, et ex acquisitione magna, pauca percipiens discedat, et hoc ab aliquo imputetur ei, quasi non recte fecerit; ipse magis injustus judex apparebit ei, qui per vim in servitium fuerit deductus. Sic ergo sunt et hujusmodi qui imputant populo parva de multis accipienti sibi; et ipsis non imputant, qui nullam gratiam ex merito parentum debitam reddiderunt, imo et in gravissimam servitutem redigentes, maximam ab eis consecuti sunt utilitatem: et illos quidem non signatum aurum et argentum in paucis vasculis, quemadmodum praediximus, accipientes, injuste fecisse dicunt; semetipsos autem (dicetur enim quod verum est, licet ridiculum quibusdam esse videatur), ex alienis laboribus insigne aurum, et argentum, et ae-

ramentum, cum inscriptione et imagine Caesaris in zonis suis ferentes, juste (se) facere dicunt.

3. Si autem comparatio fiat nostra et illorum, qui justius apparebunt accepisse? utrumne populus ab Aegyptiis, qui erant per omnia debitores; an nos a Romanis, et reliquis gentibus, et a quibus nihil tale nobis debeatur? Sed et mundus pacem habet per eos, et nos sine timore in viis ambulamus et navigamus quocunque voluerimus. Adversus igitur hujusmodi aptus erit sermo Domini: « Hypocrita, dicens, exime primo trabem de oculo tuo, et tunc perspicies auferre festucam de oculo fratris tui. » Etenim si is qui tibi haec imputat, et gloriatur in sua scientia, separatus est a gentilium coetu, et nihil est alienorum apud eum, sed est simpliciter nudus, et nudis pedibus, et sine domo in montibus conversatur, quemadmodum aliquod ex his animalibus, quae herbis vescuntur; veniam merebitur, ideo quod ignoret necessitates nostrae conversationis. Si autem ab hominibus quae dicuntur aliena esse, participatur, et arguit typum eorum, semetipsum injustissimum ostendit, retorquens in se ejusmodi accusationem. Invenietur enim aliena circumferens, et ea quae ejus non sunt, concupiscens; et propter hoc dixisse Dominum: « Nolite judicare, ne judicemini: in quo enim judicio judicabitis, judicabitur de vobis. » Non utique ut peccantes non corripiamus, nec ut his quae male fiunt consentiamus; sed ut Dei dispositiones non judicemus injuste, cum ille omnia juste profutura providerit. Quoniam enim sciebat nos de nostra substantia, quam ab alio accipientes haberemus,

bene acturos: « Qui enim habet, inquit, duas tunicas, det ei qui non habet: et qui habet escam, similiter faciat. » Et: « Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: et nudus fui, et vestistis me. » Et: « Cum facis misericordiam, non sciat sinistra tua quid faciat dextra tua; » et reliqua quaecunque benefacientes justificamur, velut de alienis nostra redimentes: de alienis autem ita dico, non quasi mundus alienus sit a Deo, sed quoniam hujusmodi dationes ab aliis accipientes habemus, similiter velut illi ab Aegyptiis qui non sciebant Deum, et per haec ipsa erigimus nobismetipsis tabernaculum Dei: cum bene enim facientibus habitat Deus; quemadmodum Dominus ait: « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut hi, quando fugati fueritis, recipiant vos in aeterna tabernacula. » Quaecunque enim, cum essemus ethnici, de injustitia acquisivimus, haec, cum crediderimus, in dominicas utilitates conversantes justificamur.

4. Necessarie igitur haec in typo praemeditabantur, et tabernaculum Dei ex his fabricatur: illis quidem juste accipientibus, quemadmodum ostendimus: nobis autem praeostensis, qui inciperemus per aliena Deo deservire. Universa enim quae ex Aegypto profectio fiebat populi a Deo, typus et imago fuit profectionis Ecclesiae, quae erat futura ex gentibus: propter hoc et in fine educens eam hinc in suam haereditatem, quam non Moyses quidem famulus Dei, sed Jesus Filius Dei in haereditatem dabit. Si quis autem diligentius intendat his, quae a prophetis dicuntur de fine, et quaecunque Joannes discipulus Domini vidit in

Apocalypsi, inveniet easdem plagas universaliter accipere gentes, quas tunc particulatim accepit Aegyptus.

CAPUT XXXI

Quod Scriptura non redarguit, veteribus crimini temere dandum non esse; sed typum in eo quaerendum: quod probatur exemplo incestus a Lot commissi.

1. Talia quaedam enarrans de antiquis presbyter, reficiebat nos, et dicebat: De eisdem delictis, de quibus ipsae Scripturae increpabant patriarchas et prophetas, nos non oportet exprobrare eis, neque fieri similes Cham, qui irrisit turpitudinem patris sui, et in maledictionem decidit; sed gratias agere pro illis Deo, quoniam in adventu Domini nostri remissa sunt eis peccata: etenim illos dicebat gratias agere, et glorificari in nostra salute. De quibus autem Scripturae non increpant, sed simpliciter sunt positae, nos non debere fieri accusatores (non enim sumus diligentiores Deo, neque super magistrum possumus esse), sed typum quaerere. Nihil enim otiosum est eorum, quaecunque inaccusabilia posita sunt in Scripturis. Quemadmodum et Lot, qui eduxit de Sodomis filias suas, quae conceperunt de patre suo, et qui reliquit in circumfinio uxorem suam statuam salis usque in hodiernum diem. Etenim Lot non ex sua voluntate, neque ex sua concupiscentia carnali, neque sensum, neque cogitationem hujusmodi accipiens, consummavit typum. Quemadmodum Scriptura dicit: « Et intravit major nata, et dormivit cum patre suo nocte illa:

et non scivit Lot cum dormiret illa, et cum surgeret. » Et in minore hoc idem: « Et non scivit, inquit, cum dormiisset secum, nec cum surrexisset. » Nesciente igitur homine, neque libidini serviente, dispensatio perficiebatur per quam duae filiae, id est duae synagogae, ab uno et eodem patre in sobolem adoptatae significabantur sine carnis libidine. Nec enim alter erat aliquis, qui semen vitale et filiorum fructum posset dare eis, quemadmodum scriptum est: « Dixit autem major ad minorem: Pater noster senior est, et nemo est super terram qui intret ad nos, ut oportet omni terrae: veni, potionemus patrem nostrum vino, et dormiamus cum eo, ut suscitemus de patre nostro semen. »

2. Illae quidem filiae secundum simplicitatem et innocentiam putantes universos homines periisse, quemadmodum Sodomitas, et in universam terram iracundiam Dei supervenisse, dicebant haec. Quapropter et ipsae excusabiles sunt, arbitrantes se solas relictas cum patre suo ad conservationem generis humani, et propter hoc circumveniebant patrem. Per verba autem earum significabatur neminem esse alterum qui possit filiorum generationem majori et minori synagogae praestare, quam Patrem nostrum. Pater autem generis humani Verbum Dei: quemadmodum Moyses ostendit dicens: « Nonne hic ipse pater tuus possedit te, et fecit te, et creavit te? » Quando igitur hic vitale semen, id est Spiritum remissionis peccatorum per quem vivificamur, effudit in humanum genus? Nonne tunc cum convescebatur cum hominibus, et bibebat vinum

in terra? « Venit » enim, inquit, « Filius hominis manducans et bibens: » et cum recubuisset, obdormivit, et somnum cepit. Quemadmodum ipse in David dicit: « Ego dormivi et somnum cepi. » Et quoniam in nostra communicatione et vita hoc agebat, iterum ait: « Et somnus meus suavis mihi factus est. » Totum autem significabatur per Lot, quoniam semen patris omnium, id est Spiritus Dei, per quem facta sunt omnia, commistus et unitus est carni, hoc est plasmati suo: per quam commistionem et unitatem duae synagogae, id est, duae congregationes fructificantes ex Patre suo filios vivos vivo Deo.

3. Et cum haec fierent, uxor remansit in Sodomis, jam non caro corruptibilis, sed statua salis semper manens, et per naturalia ea quae sunt consuetudinis hominis, ostendens quoniam et Ecclesia, quae est sal terrae, subrelicta est in confinio terrae, patiens quae sunt humana: et dum saepe auferuntur ab ea membra integra, perseverat statua salis, quod est firmamentum fidei, firmans et praemittens filios ad Patrem ipsorum.

CAPUT XXXII

Utriusque testamenti unum Deum auctorem esse, senioris apostolorum discipuli auctoritate confirmat.

1. Hujusmodi quoque de duobus testamentis senior apostolorum discipulus disputabat, ab uno quidem et eodem Deo utraque ostendens: nec esse alterum Deum praeter unum qui fecit et plasmavit nos, nec firmitatem habere sermonem eorum qui dicunt, aut per angelos, aut per

quamlibet virtutem, aut ab alio Deo factum esse hunc mundum, qui est secundum nos. Si enim semel quis transmoveatur a factore omnium, et concedat ab aliquo altero, aut per alium factam conditionem, quae est secundum nos, multam incongruentiam et plurimas contradictiones necesse est incidat hujusmodi: ad quas nullas dabit rationes, neque secundum verisimile, neque secundum veritatem. Et propter hoc hi qui alias doctrinas inferunt, abscondunt a nobis quam habent ipsi de Deo sententiam; scientes quassum et futile doctrinae suae, et timentes, ne victi salvari periclitentur. Si autem credat quis unum Deum, et qui Verbo omnia fecit, quemadmodum et Moyses ait: « Dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux; » et in Evangelio legimus: « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, » et apostolus Paulus similiter: « Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater, qui est super omnes, et in omnibus nobis; » hic primo erit « tenens caput, ex quo totum corpus compactum et connexum, et per omnem juncturam subministrationis in mensura uniuscujusque partis, incrementum corporis fecit, in aedificationem sui in charitate. » Post deinde et omnis sermo ei constabit, si et Scripturas diligenter legerit apud eos qui in Ecclesia sunt presbyteri, apud quos est apostolica doctrina, quemadmodum demonstravimus.

2. Apostoli enim omnes duo quidem testamenta in duobus populis fuisse docuerunt: unum autem et eumdem esse Deum, qui disposuerit utraque ad utilitatem hominum, secundum quos

testamenta dabantur, qui incipiebant credere Deo, ex ipsa demonstravimus apostolorum doctrina in tertio libro: et quoniam non otiose, nec frustra, aut ut obvenit, datum est prius testamentum; sed illos quidem quibus dabatur, in servitutem Dei concurvans, ad utilitatem eorum (non enim indiget Deus ab hominibus servitutem); typum autem coelestium ostendens, quoniam nondum poterat homo per proprium visum videre quae sunt Dei; et imagines eorum quae sunt in Ecclesia praefigurans, ut firma ea quae secundum nos est, fiat fides; et prophetiam futurorum continens, ut disceret homo, praescium esse omnium Deum.

CAPUT XXXIII

Quisquis unum Deum utriusque testamenti auctorem esse confitetur, et Scripturas apud Ecclesiae presbyteros accurate legit, hic vere spiritalis discipulus est; atque vera agnitione, quae in sola Ecclesia catholica reperitur, illustratus, quaecunque de Christo ac novi testamenti libertate praenuntiarunt prophetae, perspicit, et recte interpretatur.

1. Talis discipulus vere spiritalis recipiens Spiritum Dei, qui ab initio in universis dispositionibus Dei adfuit hominibus, et futura annuntiavit, et praesentia ostendit, et praeterita enarrat; judicat quidem omnes, ipse autem a nemine judicatur. Nam judicat gentes, « creaturae magis quam Creatori servientes, » et reprobabili mente universam suam operationem in vanum consumentes. Judicat autem etiam Judaeos, non percipien-

tes Verbum libertatis, neque volentes abire liberos, cum habeant praesentem liberatorem; sed intempestive extra legem servire simulantes nihil indigenti Deo, et Christi adventum, quem propter salutem hominum fecit, non cognoscentes: neque intelligere volentes, quoniam duos adventus ejus omnes annuntiaverunt prophetae: unum quidem, in quo homo in plaga factus est, sciens ferre imbecillitatem, et in pullo asinae sedens, reprobatus lapis ab aedificantibus, et sicut ovis ad victimam adductus, et per extensionem manuum dissolvens quidem Amalec, congregans autem dispersos filios a terminis terrae in ovile Patris, et « recommemoratus mortuorum suorum qui ante dormierant, et descendens ad eos, uti erueret eos et salvaret eos. » Secundum autem, in quo super nubes veniet, superducens diem quae est sicut clibanus ardens, et percutiens terram verbo oris sui, et spiritu per labia sua interficiens impios, et ventilabrum in manu habens, et emundans aream suam, et triticum quidem in horreum colligens, comburens autem paleas igne inexstinguibili.

2. Examinabit autem et doctrinam Marcionis, quomodo accipiat duos deos esse, infinita distantia separatos ab invicem. Vel quemadmodum bonus erit, qui alienos homines abstrahit ab eo qui fecit, et ad suum advocat regnum? et quare bonitas ejus deficit, non omnes salvans? et quare circa homines quidem bonus videtur, in ipsum autem, qui fecit homines, injustissimus, auferens ab eo quae sunt ejus? Quomodo autem juste Dominus, si alterius Patris exsistit, hujus

conditionis, quae est secundum nos, accipiens panem, suum corpus esse confitebatur, et temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit? Et quare se Filium hominis confitebatur, si non eam, quae ex homine est, generationem sustinuisset? Quemadmodum autem et peccata nobis dimittere poterat, quae nostro debeamus factori et Deo? Quomodo autem et cum caro non esset, sed pareret quasi homo, crucifixus est, et e latere ejus puncto sanguis exiit et aqua? Quod autem corpus sepelierunt sepultores, et quid illud erat quod surrexit a mortuis?

3. Judicabit autem et eos qui sunt a Valentino omnes, quia lingua quidem confitentur unum Deum Patrem, et ex hoc omnia; ipsum autem, qui fecit omnia, defectionis sive labis fructum esse dicunt: et unum Dominum Jesum Christum Filium Dei similiter lingua confitentes, propriam quidem emissionem sententia sua Unigenito donantes, propriam vero Verbo, et alteram Christo, alteram vero Salvatori; ita ut secundum eos dicantur quidem omnia esse quasi unum, unumquemque autem ipsorum separatim intelligi, et propriam habere emissionem, secundum suam conjugationem. Linguas itaque eorum videlicet solas in unitatem cessisse; sententiam vero eorum et sensum quae profunda sunt scrutari, decidentem ab unitate, incidere in multiforme Dei judicium, cum de his, quae sibimetipsi adinvenerunt, interrogabuntur a Christo; quem et postea natum quam Pleroma Aeonum dicunt, et emissionem ejus post diminutionem sive defectionem, et propter eam passionem quae facta

est in Sophia, semetipsos obstetricatos esse affirmant. Accusabit autem eos Homerus proprius ipsorum propheta, a quo eruditi talia invenerunt, ipso dicente haec: « Inimicus est enim ille mihi similiter atque fores inferorum, qui aliud quidem abscondit in corde suo, aliud autem enarrat. » Judicabit autem et vaniloquia pravorum Gnosticorum, Simonis eos Magi discipulos ostendens.

4. Judicabit autem et Ebionitas: quomodo possunt salvari, nisi Deus est qui salutem illorum super terram operatus est? Et quomodo homo transiet in Deum, si non Deus in hominem? Quemadmodum autem relinquet mortis generationem, si non in novam generationem mire et inopinate a Deo, in signum autem salutis, datam, quae est ex virgine per fidem, regenerationem? Vel quam adoptionem accipient a Deo, permanentes in hac genesi, quae est secundum hominem in hoc mundo? Quomodo autem plus quam Salomon, aut plus quam Jonas habebat, et Dominus erat David, qui ejusdem cum ipsis fuit substantiae? Quomodo autem eum, qui adversus homines fortis erat, qui non solum vicit hominem, sed et detinebat eum sub sua potestate, devicit, et eum quidem qui vicerat, vicit; eum vero qui victus fuerat, hominem dimisit, nisi superior fuisset eo homine, qui fuerat victus? Melior autem eo homine, qui secundum similitudinem Dei factus est, et excellentior quisnam sit alius, nisi Filius Dei, ad cujus similitudinem factus est homo? Et propter hoc in fine ipse ostendit similitudinem: Filius Dei factus est homo, antiquam plasmationem in semetipsum suscipiens, que-

madmodum ostendimus in eo libro qui est hoc superior.

5. Judicabit autem et eos qui putativum inducunt. Quemadmodum enim ipsi vere se putant disputare, quando magister eorum putativus fuit? Aut quemadmodum firmum quid habere possunt ab eo, si putativus, et non veritas erat? Quomodo autem ipsi salutem vere participare possunt, si ille, in quem credere se dicunt, semetipsum putativum ostendebat? Putativum est igitur, et non veritas, omne apud eos: et nunc jam quaeretur, ne forte cum et ipsi homines non sint, sed muta animalia, hominum umbras apud plurimos perferant.

6. Judicabit autem et pseudoprophetas, qui non accepta a Deo prophetica gratia, nec Deum timentes, sed aut propter vanam gloriam, aut ad quaestum aliquem, aut et aliter secundum operationem mali spiritus, fingunt se prophetare, mentientes adversus Deum.

7. Judicabit autem et eos, qui schismata operantur, qui sunt inanes, non habentes Dei dilectionem, suamque utilitatem potius considerantes quam unitatem Ecclesiae: et propter modicas et quaslibet causas magnum et gloriosum corpus Christi conscindunt et dividunt, et quantum in ipsis est, interficiunt; pacem loquentes, et bellum operantes; vere liquantes culicem, et camelum transglutientes. Nulla enim ab eis tanta potest fieri correctio, quanta est schismatis pernicies. Judicabit autem et omnes eos qui sunt extra veritatem, id est qui sunt extra Ecclesiam: ipse autem a nemine judicabitur. Omnia enim ei constant:

et in unum Deum omnipotentem, ex quo omnia, fides integra; et in Filium Dei Christum Jesum Dominum nostrum, per quem omnia, et dispositiones ejus, per quas homo factus est Filius Dei, sententia firma, quae est in Spiritu Dei, qui praestat agnitionem veritatis, qui dispositiones Patris et Filii exposuit, secundum quas aderat generi humano, quemadmodum vult Pater.

8. Agnitio vera est apostolorum doctrina, et antiquus Ecclesiae status, in universo mundo, et character corporis Christi secundum successiones episcoporum, quibus illi eam, quae in unoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt: quae pervenit usque ad nos custoditione sine fictione Scripturarum tractatio plenissima, neque additamentum neque ablationem recipiens; et lectio sine falsatione, et secundum Scripturas expositio legitima, et diligens, et sine periculo, et sine blasphemia; et praecipuum dilectionis munus, quod est pretiosius quam agnitio gloriosius autem quam prophetia, omnibus autem reliquis charismatibus supereminentius.

9. Quapropter Ecclesia omni in loco ob eam quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem martyrum in omni tempore praemittit ad Patrem; reliquis autem omnibus non tantum non habentibus hanc rem ostendere apud se, sed nec quidem necessarium esse dicentibus tale martyrium; esse enim martyrium verum sententiam eorum: nisi si unus, aut duo aliquando, per omne tempus ex quo Dominus apparuit in terris, cum martyribus nostris, quasi et ipse misericordiam consecutus, opprobrium simul bajulavit nomi-

nis, et cum eis ductus est, velut adjectio quaedam donata eis. Opprobrium enim eorum, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, et omnes poenas sustinent, et mortificantur propter eam quae est erga Deum dilectionem, et confessionem Filii ejus, sola Ecclesia pure sustinet (saepe debilitata, et statim augens membra, et integra fiens, quemadmodum et typus ejus, quae fuit illius Lot, salis figmentum): similiter ut veteres prophetae sustinentes persecutionem, quemadmodum Dominus ait: « Sic enim persecuti sunt prophetas, qui ante vos fuerunt; » quoniam nove quidem, sed idem Spiritus requiescens super eam, ab his qui non recipiunt Verbum Dei, persecutionem patitur.

10. Quod quidem prophetae cum reliquis, quae prophetabant, et hoc prophetaverunt, quoniam super quoscunque requieverit Spiritus Dei, et obediverint Verbo Patris, et secundum virtutem servierint ei, persecutionem patientur, et lapidabuntur, et occidentur. In semetipsis enim haec omnia praefigurabant prophetae, propter dilectionem Dei, et propter verbum ejus. Cum enim et ipsi membra essent Christi, unusquisque eorum secundum quod erat membrum, secundum hoc et prophetationem manifestabat, omnes et multi unum praeformantes, et ea quae sunt unius annuntiantes. Quomodo enim per nostra membra operatio quidem universi corporis ostenditur; figura autem totius hominis per unum membrum non ostenditur, sed per omnia: sic et prophetae omnes quidem unum praefigurabant; unusquisque autem eorum secundum

quod erat membrum, secundum hoc et dispositionem adimplebat, et eam quae secundum illud membrum erat, operationem Christi praeformabat.

11. Quidam enim in gloria videntes eum, gloriosam ejus apud Patrem a dextris conversationem videbant, alii super nubes, quemadmodum Filium hominis, venientem, et dicentes de eo: « Videbunt in quem compunxerunt; » adventum ejus significabant, de quo ipse ait: « Putas, cum Filius hominis venerit, inveniet fidem super terram? » De quo et Paulus ait: « Si tamen justum est apud Deum retribuere eis, qui tribulant vos, tribulationem; et vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de coelo cum angelis virtutis ejus, et in flamma ignis. » Alii vero judicem dicentes eum, et diem Domini tanquam clibanum ardentem, qui « colligit triticum in horrea, paleas autem comburet igni inexstinguibili, » comminabantur eis, qui increduli erant; de quibus et ipse Dominus ait: « Abite a me, maledicti, in ignem aeternum, quem praeparavit Pater meus diabolo et angelis ejus. » Et Apostolus autem similiter ait: « Qui poenas dabunt interitus aeternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus, cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri his qui credunt in eum. » Et qui dicunt: « Speciosus forma prae filiis hominum; » et: « Unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis; » et: « Accingere gladium tuum, potentissime, circa femur tuum: specie tua et pulchritudine tua et intende, et prospere procede, et regna propter veritatem, et mansuetudi-

nem, et justitiam; » et quaecunque alia talia dicta sunt de eo, eam quae est in regno speciem ejus et decorem, et exsultationem supercoruscantem, et supereminentiorem omnibus qui regnantur sub ipso, significabant; ut qui audiunt, concupiscerent ibi inveniri, placentia facientes Deo.

Qui iterum dicentes: « Homo est, et quis cognoscet eum? » et: « Veni ad prophetam, et peperit filium, et vocatur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis; » Et qui eum ex virgine Emmanuel praedicabant, adunitionem Verbi Dei ad plasma ejus manifestabant: quoniam Verbum caro erit, et Filius Dei filius hominis (purus pure puram aperiens vulvam, eam quae regenerat homines in Deum, quam ipse puram fecit), et hoc factus, quod et nos, Deus fortis est, et inenarrabile habet genus. Et qui dicunt: « Dominus in Sion locutus est, et de Jerusalem dedit vocem suam; » et: « Notus in Judaea Deus; » qui in Judaea adventum ejus significabant. Qui autem rursus dicunt: « Ab Africo venire Deum, et de monte umbroso et condenso; » adventum ejus, qui est ex Bethleem, dicebant (quemadmodum ostendimus in eo libro, qui est ante hunc); unde et is qui praeest, et pascit populum Patris sui, venit. Qui autem dicunt: adventu ejus « quemadmodum cervus, claudus saliet, et plana erit lingua mutorum, et aperientur oculi caecorum, et aures surdorum audient, » et manus dissolutae, et genua debilia firmabuntur; et: « Resurgent qui in monumento sunt mortui; » et: « Ipse infirmitates nostras accipiet, et languores portabit; » eas quae ab eo curationes fiebant annuntiaverunt.

12. Quidam autem hominem infirmum, et ingloriosum, et scientem ferre infirmitatem, et sedentem super pullum asinae, venturum Hierosolymam; dorsum suum ponentem ad flagella, et maxillas suas ad palmas, et quemadmodum ovem adduci ad victimam, et aceto et felle potari, et ab amicis, et ab his qui proximi sunt, derelinqui, et extendentem manus per totam diem, et ab eis qui eum intuebantur, subsannari et maledici, et partiri vestimenta ejus, et super vestimentum ejus mitti sortem, et in limum mortis deductum, et omnia talia; eum qui secundum hominem est adventum ejus, sicut intravit in Hierosolymam, in qua et passus, et crucifixus, sustinuit omnia quaecunque sunt praedicta, prophetabant. Alii autem dicentes: « Rememoratus est Dominus sanctus mortuorum suorum, qui praedormierunt in terra limi, et descendit ad eos, uti erigeret, ad salvandum illos; » causam reddiderunt, propter quam passus est haec omnia. Qui autem dixerunt: « In illa die, dicit Dominus, occidet sol meridie, et erunt tenebrae super terram in die lucis, et convertam dies festos vestros in luctum, et universa cantica vestra in lamentationem; » eum occasum solis, qui crucifixo eo fuit ab hora sexta, manifeste annuntiaverunt, et quia posteaquam hoc factum est, hi qui secundum legem erant dies festi eorum, et cantica, in luctum et lamentationem verterentur, cum inciperent tradi gentibus. Adhuc etiam manifestius hoc idem et Jeremias ostendit, sic dicens: « Exinanita est quae parit, taeduit anima ejus: occidit sol ei, cum adhuc medius dies esset, confusa est, et imprope-

rium passa est: reliquos eorum in gladium dabo in conspectu inimicorum eorum. »

13. Qui autem dixerunt eum dormisse, et somnum cepisse, et resurrexisse, quoniam Dominus suscepisset eum, et praecipientes principibus coelorum, aperire aeternas portas, ut introeat rex gloriae; resurrectionem ejus, quae est a mortuis per Patrem, et receptionem in coelos praeconaverunt. In eo autem quod dixerunt: « A summo coelo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum coeli, et non est qui se abscondat a calore ejus; » quoniam illuc assumptus est, unde et descendit, et non est qui justum judicium ejus effugiat, id ipsum annuntiabant. Et qui dicebant: « Dominus regnavit, irascantur populi, qui sedet super cherubim, commoveatur terra; » partim quidem eam, quae post assumptionem ejus facta est super eos qui in eum crediderunt, iram ab omnibus populis, et motum universae terrae adversus Ecclesiam prophetabant; partim autem veniente eo de coelis cum angelis virtutis ejus, commoveri universam terram, quemadmodum ipse ait: « Erit terrae motus magnus, qualis non est factus ab initio. » Et rursus in eo cum dicit: « Quisquis judicatur, ex adverso astet; et quisquis justificatur, appropinquet puero Dei; » et: « Vae vobis, quoniam omnes veterascetis sicut vestimentum, et tinea comedet vos; » et: « Humiliabitur omnis caro, et exaltabitur Dominus solus in altissimis; » significatur, quoniam post passionem qui contra eum fuerunt, sub pedibus ejus subjiciet Deus, et ipse super omnes exaltabitur, et nemo erit qui justificetur aut comparetur ad eum.

14. Et qui dicunt, dispositurum Deum testamentum novum hominibus, non quemadmodum disposuit patribus in Horeb; et cor novum et spiritum novum dare hominibus; et rursus: « Et antiqua nolite reputare; ecce, facio nova, quae nunc orientur, et scietis: et faciam in deserto viam, et in terra inaquosa flumina, ad potandum genus electum, populum meum quem acquisivi, ut virtutes meas enarret; » quae est novi testamenti libertas, hanc manifeste annuntiabant, et novum vinum, quod in novos utres mittitur, fidem quae est in Christo, quae annuntiavit ortam in eremo viam justitiae, et in terra inaquosa flumina Spiritus sancti, adaquare genus electum Dei, quod acquisivit, ut virtutes ejus enarrentur; sed non ut blasphemarent eum, qui haec fecit, Deus.

15. Et reliqua omnia quaecunque per tantam seriem Scripturae demonstravimus prophetas dixisse, spiritalis vere qui est, interpretabitur, unumquodque eorum quae dicta sunt, in quem dictum sit characterem dispositionis Domini, et integrum corpus operis Filii Dei ostendens; semper eumdem Deum sciens, et semper eumdem Verbum Dei cognoscens, etiamsi nunc nobis manifestatus est; et semper eumdem Spiritum Dei cognoscens, etiamsi in novissimis temporibus nove effusus est in nos, et a conditione mundi usque ad finem in ipsum humanum genus: ex quo qui credunt Deo, et sequuntur Verbum ejus, percipiunt eam quae est ab eo, salutem. Qui vero abscedunt ab eo, et contemnunt praecepta ejus, et per opera sua inhonorant eum qui se fecit,

et sententia sua blasphemant eum qui se alit, justissimum adversus se coacervant judicium. Hic igitur examinat omnes, ipse vero a nemine examinatur; neque Patrem suum blasphemans, neque dispositiones ejus frustrans, neque patres accusans, neque prophetas exhonorans, aut ab alio Deo dicens eos, aut iterum ex alia et alia substantia fuisse prophetias.

CAPUT XXXIV

Adversus Marcionitas, ab uno et eodem Deo prophetas exstitisse ex eo probat, quod quaecunque de Christo novi testamenti libertate ac futura hominum renovatione praedixerunt, in unum Christum nostrum, a quo impleta sunt omnia, nec in alium conveniant.

1. Dicemus autem adversus omnes haereticos, et primo quidem adversus eos qui sunt a Marcione, et adversus eos qui sunt similes illis, ab altero Deo dicentes esse prophetas: Legite diligentius id quod ab apostolis est Evangelium nobis datum, et legite diligentius prophetas, et invenietis universam actionem, et omnem doctrinam, et omnem passionem Domini nostri praedictam in ipsis. Si autem subit vos hujusmodi sensus, ut dicatis: Quid igitur Dominus attulit veniens? cognoscite quoniam omnem novitatem attulit, semetipsum afferens, qui fuerat annuntiatus. Hoc enim ipsum praedicabatur, quoniam novitas veniet innovatura et vivificatura hominem. Regis enim adventus ab his quidem, qui mittuntur, servis praenuntiatur, propter apparatum et expeditionem eorum qui inciperent suscipere suum

Dominum. Cum autem venit Rex, et illi praenuntiato gaudio adimpleti sunt, qui sunt subjecti, et perceperunt eam quae est ab eo libertatem, et participant visionem ejus, et audierunt sermones ejus, et fruiti sunt muneribus ab eo; non jam requiretur, quid novus attulit rex super eos, qui annuntiaverunt adventum ejus, apud eos videlicet qui sensum habent. Semetipsum enim attulit, et ea quae praedicta sunt bona, in quae concupiscebant angeli intendere, donavit hominibus.

2. Tunc autem fuissent servi mendaces, et non a Domino missi, si non Christus adveniens talis, qualis et praedicabatur, adimplesset eorum sermones. Quapropter dicebat: « Ne putetis quoniam veni dissolvere legem aut prophetas: non veni dissolvere, sed adimplere. Amen enim dico vobis, donec pertranseat coelum et terra, iota unum aut unus apex non transiet a lege et prophetis, quoadusque omnia fiant. » Omnia enim ipse adimplevit veniens, et adhuc implet in Ecclesia, usque ad consummationem, a lege praedictum novum testamentum. Quemadmodum et Paulus apostolus ejus ait in ea quae est ad Romanos: « Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata a lege et prophetis: Justus enim ex fide vivet. » Hoc autem, quoniam justus ex fide vivet, per prophetas praedictum fuerat.

3. Unde autem poterant praedicere prophetae Regis adventum, et eam libertatem, quae ab eo dabatur, praeevangelizare, et omnia quae a Christo facta sunt, et sermonem, et operationem, et passionem ejus praenuntiare, et novum testa-

mentum praedicere, si ab altero Deo propheticam inspirationem acceperunt; ignorantes inenarrabilem Patrem, secundum vos, et regnum ejus, et dispositiones ejus, quas Filius Dei veniens in terris implevit? Neque enim casu quodam haec evenisse potestis dicere, tanquam a prophetis quidem de altero quodam dicta, similiter autem evenerunt Domino. Omnes enim prophetae haec eadem prophetaverunt: sed neque alicui ex veteribus evenerunt. Si enim evenissent alicui ex veteribus ista, non utique qui postea fuerunt, prophetassent in novissimis temporibus futura haec. Adhuc etiam nemo est neque patrum, neque prophetarum, neque antiquorum regum, circa quem proprie ac specialiter factum sit aliquid horum. Nam omnes quidem Christi passiones prophetaverunt; ipsi autem ad patiendum, similiter ut ipsa praedicta sunt, longe erant. Et argumenta autem quae praedicta sunt Dominicae passionis, in nullo altero facta sunt. Neque enim sol medio die occidit aliquo de veteribus mortuo, neque scissum est velum templi, neque terra mota est, neque petrae disruptae sunt, neque mortui resurrexerunt, neque in tertia die quis illorum surrexit, neque receptus est in coelum, neque, cum assumeretur, aperti sunt coeli, neque in nomen alicujus alterius crediderunt gentes, neque quis ex eis mortuus et resurgens aperuit novum libertatis testamentum. Non igitur de altero, sed de Domino, in quem concurrerunt omnia praedicta signa, dicebant prophetae.

4. Si autem aliquis Judaeis advocationem praestans, erectionem templi, quae, posteaquam

in Babylonem transmigraverunt, facta est sub Zorobabel, et discessionem populi, quae facta est post septuaginta annos, dicat hoc esse novum testamentum; cognoscat quoniam lapideum quidem templum restructum est tunc (adhuc enim illa quae in lapideis tabulis facta fuerat, lex servabatur); novum autem testamentum datum est nullum, sed ea lege, quae per Moysen data est, utebantur usque ad adventum Domini; a Domini autem adventu novum testamentum ad pacem reconcilians, et vivificatrix lex in universam exivit terram: « Ex Sion enim prodiet lex, et verbum Domini de Jerusalem, et arguet populum multum: et concident gladios suos in aratra, et lanceas suas in falces, et jam non discent pugnare. » Si igitur alia lex et verbum exiens a Jerusalem, tantam pacem fecit apud eas gentes, quae eum receperunt, et per eas arguit imprudentiae multum populum, videtur consequens de altero dixisse prophetas. Si autem libertatis lex, id est verbum Dei ab apostolis, qui a Jerusalem exierunt, annuntiatum in universam terram, in tantum transmutationem fecit, ut gladios et lanceas bellatorias in aratra fabricaverit ipse, et in falces, quae donavit ad metendum frumentum, in organa pacifica, demutaverit, et jam nesciunt pugnare, sed percussi et alteram praebent maxillam; non de aliquo alio prophetae dixerunt haec, sed de eo qui fecit ea. Hic autem est Dominus noster, et in hoc est sermo verus: quoniam ipse est qui aratrum fecit, et falcem intulit, hoc est hominis primam seminationem, quae fuit secundum Adam plasmatio, et in novissimis temporibus per Verbum collectam

fructificationem: et propter hoc qui initium fini conjungebat, et utrorumque Dominus exsistens, in fine quidem aratrum ostendit, lignum copulatum ferro, et sic ejus expurgavit terram: quoniam firmum Verbum unitum carni, et habitu tali confixus, emundavit silvestrem terram. Initio autem falcem figurabat per Abel, significans justi generis humanam collectionem: « Vide enim, » inquit, « quomodo justus perit, et nemo intuetur, et viri justi tolluntur, et nemo excipit corde. » Haec autem in Abel quidem praemeditabantur, a prophetis vero praeconabantur, in Domino autem perficiebantur, et in nobis autem idipsum est, consequente corpore suum caput.

5. Et adversus eos quidem, qui ab alio Deo prophetas dicunt, ab altero autem Patre Dominum nostrum, talia sunt apta, si quo modo tandem quiescant a tanta irrationabilitate. Propter hoc enim et laboramus eas, quae sunt ex Scripturis, adhibere ostensiones; ut ipsis sermonibus confutantes eos, quantum in nobis est, cohibeamus eos a grandi blasphemia, et a multorum deorum dementi fabricatione.

CAPUT XXXV

Vana et insana esse, quae de variis Scripturarum principiis comminiscebantur Valentiniani et Gnostici, nec proinde prophetas (multo minus Christum) partim a summitate, partim a medietate, partim a Demiurgo afflatos, locutos fuisse.

1. Adversus eos rursus qui sunt a Valentino, et reliquos falsi nominis Gnosticos, qui aliquando quidem a summitate quaedam eorum, quae

sunt in Scripturis posita, dicta dicunt, propter semen quod est inde; aliquando vero a medietate, propter matrem Prunicam audacem; multa vero a mundi fabricatore, a quo et missi sunt prophetae: dicimus valde irrationabile esse, in tantum inopiae deducere Patrem universorum, quasi non habuerit sua instrumenta, per quae pure ea, quae sunt in Pleromate, annuntiarentur. Quem enim timebat, ut non libere et sine commistione ejus spiritus, qui est in diminutione et ignorantia factus, proprie ac separatim significaret voluntatem suam? An timebat ne plurimi salvarentur, cum plures pure audissent ea quae sunt veritatis? An rursus impotens erat ipse sibi praeparare eos, qui adventum Salvatoris annuntiarent?

2. Si autem cum huc venisset Salvator, suos apostolos misit in mundum, pure adventum ejus annuntiantes, et voluntatem Patris docentes, in nullo communicantes neque gentium, neque Judaeorum doctrinae; multo magis in Pleromate exsistens, praedicatores proprios destinasset, annuntiantes in hunc mundum futurum adventum ejus, in nullo communicantes iis prophetiis, quae sunt a Demiurgo. Si autem, cum esset intra Pleroma, usus est iis prophetis qui erant secundum legem, et per eos ostendit quae sunt sua; multo magis, cum huc venisset, his ipsis usus fuisset magistris, et per eos annuntiasset nobis Evangelium. Jam igitur non Petrum et Paulum, et reliquos apostolos dicant annuntiasse veritatem, sed Scribas, et Pharisaeos, et reliquos per quos lex annuntiabatur. Si autem suos in suo adventu proprios apostolos emisit in spiritu veritatis, et

non in spiritu erroris; hoc idem ipsum et in prophetis fecit: semper enim idipsum Verbum Dei. Et si quidem de principalitate Spiritus fuit, secundum regulam ipsorum, Spiritus lucis, et Spiritus veritatis, et Spiritus perfectionis, et Spiritus agnitionis; is vero, qui a Demiurgo, fuit spiritus ignorantiae, et diminutionis, et erroris, et umbrae progenies; quemadmodum in uno et eodem potuit esse perfectio et diminutio, agnitio et ignorantia, error et veritas, lux et tenebrae? Si autem in prophetis impossibile erat haec ita esse, sed ab uno Deo verbum Domini praeconabant, et adventum Filii ejus annuntiabant; multo magis Dominus ipse nunquam modo quidem de principali, modo vero de subjecta deminoratione fecisset sermones, et agnitionis et ignorantiae simul factus magister; nec unquam modo quidem mundi fabricatorem, modo autem eum, qui super hunc est, glorificaret Patrem, quemadmodum ipse ait: « Nemo immittit commissuram vestimenti novi in vestimentum vetus, nec mittunt vinum novum in utres veteres. » Igitur aut omnimodo et ipsi abstineant se a prophetis, tanquam a veteribus; et non dicant, eos ab ea novitate, quae secundum principalitatem est, quaedam dixisse, praemissos a Demiurgo: aut rursus arguuntur a Domino dicente, « novum vinum non mitti in utres veteres. »

3. Unde autem semen Matris ipsorum poterat cognoscere ea, quae erant intra Pleroma, sacramenta, et de his eloqui? Siquidem extra Pleroma exsistens Mater, peperit hoc ipsum semen; quod autem extra Pleroma est, extra agnitionem esse

dicunt, quod est ignorantia. Quomodo igitur id, quod erat ignorantia, semen conceptum, agnitionem annuntiare poterat? Aut quemadmodum ipsa Mater, ea quae erant Pleromatis, cognoscebat sacramenta, informis et infigurata, quasi abortivum projecta foras, et ibi aptata et formata, et ab Horo prohibita interius ingredi, et usque ad consummationem extra Pleroma perseverans, id est extra agnitionem? Rursus autem passionem Domini typum esse dicentes extensionis Christi superioris, qua extensus Horo formavit eorum Matrem; in reliquis arguuntur, non habentes similitudinem typi ostendere. Ubi enim sursum Christus aceto et felle potatus est? aut ubi divisa sunt vestimenta ejus? aut ubi punctus est, et exivit sanguis et aqua? aut ubi guttas sanguinis sudavit? et reliqua quaecunque Domino acciderunt, de quibus dixerunt prophetae. Unde ergo de iis quae tunc quidem nondum evenerant, incipiebant autem evenire, aut Mater, aut semen ejus divinavit?

4. Adhuc etiam super haec dicunt quidem a principalitate quaedam dicta, confutati ab iis, quae in Scripturis de Christi adventu referuntur. Quae autem sint haec, non jam unum sentiunt, sed alii alia de his ipsis respondent. Si quis enim experimentum eorum volens accipere, separatim interroget de aliquo sermone eos, qui excellentes sint apud eos; inveniet alium quidem dicentem de Propatore, id est de Bytho, esse id quod interrogetur; alium vero de Initio omnium, id est, de Unigenito; alterum vero de Patre omnium, hoc est de Verbo; alter rursus dicet de uno Aeone

eorum, qui sunt in Pleromate Aeones, dici; alii autem de Christo, et alius de Salvatore. Qui autem illorum peritior est, posteaquam multum tacens protraxerit, de Horo ait dictum esse; alius vero eam, quae est intra Plenitudinem, Sophiam significari; alius vero illam, quae extra Plenitudinem est, Matrem annuntiari; et alius mundi fabricatorem Deum dicet. Tantae sunt de uno inter eos diversitates, de iisdem Scripturis varias habentes sententias; et uno eodemque sermone lecto, universi obductis superciliis agitantes capita, valde quidem altissime se habere sermonem dicunt, non autem omnes capere magnitudinem ejus intellectus, qui ibidem continetur; et propter hoc, silentium maximam rem esse apud sapientes. Oportere enim eam, quae sit sursum, Sigen, per id quod est apud eos silentium, deformari. Sic autem abeunt omnes, quotquot sunt, tantas de uno gestantes sententias, in abscondito ferentes secum sua acumina. Cum igitur inter eos convenerit de iis quae in Scripturis sunt praedicta, tunc et a nobis confutabuntur. Non enim bene sentientes, interim tamen semetipsos arguunt, de iisdem verbis non consentientes. Nos autem unum et solum verum Deum doctorem sequentes, et regulam veritatis habentes ejus sermones, de iisdem semper eadem dicimus omnes, unum Deum scientes, factorem hujus universitatis, qui prophetas misit, qui eduxit populum de terra Aegypti, qui in novissimis temporibus Filium suum manifestavit, uti confunderet incredulos, et exquireret justitiae fructum.

CAPUT XXXVI

Ab uno et eodem Patre missos esse prophetas, a quo et Christus missus est.

1. Quem enim non confutat Dominus, neque ab altero dicere prophetas, nisi a Patre ejus, neque ab alia et alia substantia, sed ab uno et eodem Patre, neque alium aliquem ea quae sunt in hoc mundo fecisse, nisi suum Patrem, docens sic: « Homo erat quidam paterfamilias, et plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et aedificavit turrim, et locavit eam colonis, et peregre profectus est. Cum autem appropinquasset tempus fructuum, misit servos suos ad colonos, ut acciperent de fructibus suis. Et coloni, apprehensis servis, unum quidem ceciderunt, alium autem lapidaverunt, alium vero occiderunt. Iterum misit alios servos plures prioribus; et fecerunt eis similiter. Novissime autem misit eis filium suum unicum, dicens: Forte verebuntur filium meum. Coloni vero cum vidissent filium dixerunt intra se: Hic est haeres, venite, occidamus eum, et habebimus haereditatem ejus: et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt eum. Cum ergo venerit dominus vineae, quid faciet colonis illis? Et dixerunt illi: Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis colonis, qui reddent ei fructus temporibus suis. Iterum dicit Dominus: Nunquam legistis: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factus est, et est mirabilis in oculis nostris. Propter quod dico vobis, quoniam auferetur a vobis

regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. » Per quae ostendit manifeste discipulis suis unum quidem et eumdem patremfamilias, hoc est Deum Patrem, qui per seipsum omnia facit: varios vero agricolas, quosdam quidem contumeliosos, et superbos, et infructuosos, et Domini interfectores; quosdam vero cum omni obedientia reddentes fructus temporibus suis: et eumdem hunc patremfamilias, aliquando quidem mittentem servos, aliquando quidem Filium suum. A quo igitur Patre missus est Filius ad eos colonos, qui interfecerunt eum, ab hoc et servi. Sed Filius quidem quasi a Patre veniens principali auctoritate, dicebat: « Ego autem dico vobis: » servi autem quasi a Domino serviliter; et propter hoc dicebant: « Haec dicit Dominus. »

2. Quem igitur illi Dominum praeconabant incredulis, hunc Christus tradidit his qui obediunt sibi: et qui priores, sive primum per servilem legisdationem, vocaverat Deus, hic posteriores, sive postea per adoptionem, assumpsit. Plantavit enim Deus vineam humani generis, primo quidem per plasmationem Adae, et electionem Patrum: tradidit autem colonis per eam legisdationem, quae est per Moysen: sepem autem circumdedit, id est circumterminavit eorum culturam; et turrim aedificavit, Jerusalem elegit: et torcular fodit, receptaculum prophetici Spiritus praeparavit: et sic prophetas misit antequam esset in Babylonem transmigratio, et post transmigrationem alteros iterum, plures quam priores, expetentes fructus, dicentes illis: « Emundate vias vestras, et mores vestros; judicium justum

judicate, et misericordiam et miserationem facite unusquisque ad fratrem suum: in viduam, et orphanum, et proselytum, et pauperem ne exercueritis potentatum, et unusquisque malitiae fratris sui ne recordemini in cordibus vestris, et jusjurandum falsum nolite diligere. Lavamini, mundi estote, auferte nequitias a cordibus vestris, discite benefacere, exquirite judicium, defendite vim patientem, judicate pupillo, et justificate viduam, et venite, disputemus, dicit Dominus. » Et rursum: « Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Diverte a malo, et fac bonum, inquire pacem, et sequere eam. » Haec praeconantes prophetae, fructum petebant justitiae.

Non credentibus autem illis, novissime misit Filium suum, misit Dominum nostrum Jesum Christum, quem cum occidissent mali coloni, projecerunt extra vineam. Quapropter tradidit eam Dominus Deus non jam circumvallatam, sed expansam in universum mundum aliis colonis, reddentibus fructus temporibus suis, turre electionis exaltata ubique et speciosa. Ubique enim praeclara est Ecclesia, et ubique circumfossum torcular: ubique enim sunt qui suscipiunt Spiritum. Quoniam enim Filium Dei reprobaverunt, et projecerunt eum, cum eum occidissent, extra vineam, juste reprobavit eos Deus, et extra vineam exsistentibus gentibus dedit fructificationem culturae. Quemadmodum et Jeremias propheta ait: « Reprobavit Dominus, et abjecit gentem facientem haec: quoniam fecerunt filii Juda malignum in conspectu meo, dicit Dominus. » Simili-

ter autem Jeremias: « Constitui super vos exploratores: Audite vocem tubae; et dixerunt: Non audiemus. Propter hoc audierunt gentes, et qui pascunt pecora in eis. » Unus ergo et idem Deus Pater, qui plantavit vineam, qui populum eduxit, qui prophetas misit, qui Filium suum misit, qui vineam dedit aliis colonis, his qui reddunt fructus in temporibus suis.

3. Et propter hoc dicebat Dominus discipulis suis, bonos operarios nos praeparans: « Attendite vobis et vigilate semper in omni tempore, ne quando graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et cogitationibus saecularibus, et repente assistat super vos dies illa. Superveniet enim quasi laqueus super omnes sedentes super faciem terrae. Sint igitur lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes, et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum. Quomodo enim factum est in diebus Noe: manducabant et bibebant, et emebant et vendebant, nubebant et nubebantur, et non scierunt, quoadusque intravit Noe in arcam, et venit diluvium, et perdidit omnes. Et quemadmodum factum est in diebus Lot: manducabant et bibebant, emebant et vendebant, plantabant et aedificabant, quoadusque exivit Lot a Sodomis: pluit ignem de coelo, et perdidit omnes: sic erit et in adventu Filii hominis. Vigilate igitur, quoniam nescitis qua die Dominus vester veniet. » Unum et eumdem annuntians Dominum, qui in temporibus Noe propter inobedientiam hominum superduxit diluvium, et temporibus Lot propter multitudinem peccatorum Sodomitarum pluit ignem a coelo, et in

novissimo propter hanc eamdem inobedientiam et similia peccata, superducet diem judicii: in quo ait, tolerabilius Sodomis et Gomorrhis futurum, quam civitati et domui, quae non receperit verbum apostolorum ejus. « Et tu, Capharnaum, » dicebat, « nunquid usque ad coelum exaltaberis? Usque ad inferos descendes. Quoniam si in Sodomis factae fuissent virtutes, quae factae sunt in te, mansissent usque in hodiernum diem. Verumtamen dico vobis, tolerabilius erit Sodomis in die judicii quam vobis. »

4. Unum et idem cum semper sit Verbum Dei; credentibus quidem ei fontem aquae in vitam aeternam dans, infructuosam vero fici arborem arefaciens statim: et temporibus Noe diluvium inducens, uti exstingueret pessimum genus eorum, qui tunc erant homines, qui jam fructificare Deo non poterant, cum angeli transgressores commisti fuissent eis; et ut peccata eorum compesceret, servaret vero arcae typum, Adae plasmationem: et temporibus Lot qui pluit super Sodomam et Gomorrham ignem et sulphur de coelo, « exemplum justi judicii Dei, » ut cognoscerent omnes, quoniam « omnis arbor quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur: » et in universali judicio tolerabilius Sodomis utens, quam his qui viderunt ejus virtutes quas faciebat, et non crediderunt in eum, neque receperunt ejus doctrinam. Quemadmodum enim majorem dedit gratiam per suum adventum his qui crediderunt ei, et faciunt ejus voluntatem; sic et majorem in judicio habere poenam eos qui non crediderunt ei, significavit, justus exsistens super

omnes aequaliter, et quibus plus dedit, plus ab eis exacturus: plus autem, non quod alterius Patris agnitionem ostendit, sicut per tot et tanta ostendimus; sed quia majorem donationem paternae gratiae per suum adventum effudit in humanum genus.

5. Si cui autem non sufficiunt quae praediximus, ad credendum ab uno et eodem Patre prophetas missos esse, a quo et Dominus noster missus est, aperiens autem os cordis sui, et Christum Jesum Dominum magistrum invocans, audiat dicentem eum: « Simile esse regnum coelorum regi nuptias facienti filio suo, et mittenti servos suos ad conrogandum eos, qui vocati fuerunt ad nuptias. » Et illis nolentibus obedire: « Iterum, » ait, « alios servos misit, dicens: Dicite his qui sunt vocati: Venite, prandium meum paravi, tauri mei et omnia saginata occisa et omnia parata sunt; venite ad nuptias. Illi autem abierunt negligentes eum, alii quidem in agrum suum; alii autem in negotiationem suam; reliqui vero arripuerunt servos, et alios quidem contumeliose tractaverunt, alios vero occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, et mittens exercitus suos, perdidit interfectores illos, et civitatem eorum succendit, et dixit servis suis: Nuptiae quidem paratae sunt, vocati vero non fuerunt digni. Exite igitur ad exitus viarum, et quotquot inveneritis, congregate ad nuptias. Et exeuntes servi ejus congregaverunt omnes quotquot invenerunt, bonos et malos, et impletae sunt nuptiae a discumbentibus. Introiens autem rex videre recumbentes, vidit ibi hominem non vestitum

indumentum nuptiarum, et dicit ei: Amice, quomodo venisti huc, non habens indumentum nuptiarum? Illo autem obmutescente, dixit rex ministris: Tollite eum a pedibus et manibus, et mittite eum in tenebras, quae sunt exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. »

Manifeste enim et per haec verba sua ostendit Dominus omnia, et quoniam unus Rex et Dominus omnium Pater, de quo et antea dixit: « Neque in Hierosolyma jures, quoniam civitas est magni Regis. » Et quoniam ab initio nuptias praeparavit Filio suo, et propter immensam benignitatem per servos suos vocabat priores ad convivium nuptiarum; et ubi illi noluerunt obedire, rursus alios servos misit convocans eos, neque sic obedierunt ei, sed et eos qui vocationem annuntiabant, lapidaverunt et occiderunt: illos quidem perdidit mittens exercitus suos, et civitatem illorum succendit; et ex omnibus autem viis, id est, ex universis gentibus ad convivium nuptiarum Filii sui convocavit, quemadmodum et per Jeremiam ait: « Et misi ad vos servos meos prophetas, dicere: Avertimini unusquisque a via nequissima, et meliora facite opera vestra. » Et rursus per eumdem: « Et misi, » inquit, « ad vos omnes servos meos prophetas inter diem et ante lucem, et non obedierunt mihi, neque intenderunt aures ipsorum. Et dices eis hunc sermonem: Hoc genus, quod non obedivit voci Domini, neque recepit disciplinam; defecit fides ex ore ipsorum. » Qui igitur nos per apostolos undique vocavit Dominus, hic per prophetas vocabat eos qui olim fuerunt, que-

madmodum ex sermonibus Domini ostenditur: et non ab alio quidem prophetae, ab alio autem apostoli, etiamsi variis gentibus praeconabant; sed ab uno et eodem, alii quidem Dominum annuntiabant, alii autem Patrem evangelizabant: et alii quidem adventum praenuntiabant Filii Dei, alii vero praesentem eum jam his qui longe erant, praeconabant.

6. Adhuc etiam manifestavit oportere nos cum vocatione et justitiae operibus adornari, uti requiescat super nos Spiritus Dei. Hoc est enim indumentum nuptiarum, de quo et Apostolus ait: « Nolumus exspoliari, sed superindui, uti absorbeatur mortale ab immortalitate. » Qui autem vocati quidem sunt ad coenam Dei, et propter malam suam conversationem non perceperunt Spiritum sanctum, « projicientur, » inquit, « in tenebras exteriores. » Manifeste ostendens, quod idem ipse Rex, qui convocaverit undique fideles ad nuptias Filii sui, et incorruptibile convivium donaverit, jubeat mitti in tenebras exteriores eum, qui non habet indumentum nuptiarum, hoc est contemptorem. Quemadmodum enim in priori testamento « non in multis illorum bene sensit; » sic et hic « multi vocati, pauci electi. » Non alius igitur qui judicat Deus, et alius qui convocat ad salutem, Pater: nec alius qui aeternum lumen donat, alius vero qui jubet in exteriores mitti tenebras eos, qui non habent indumentum nuptiarum. Sed unus et idem Dominus Pater Domini nostri, a quo et prophetae missi sunt: indignos quidem convocans propter immensam benignitatem; eos vero qui convocati sunt inspi-

ciens, si conveniens habeant indumentum, et congruens nuptiis Filii sui: quoniam nihil inconveniens, neque malum placet ei. Quemadmodum Dominus dixit ei qui curatus fuerat: « Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne quid deterius tibi fiat. » Qui enim est bonus, et justus, et mundus, et immaculatus, neque malum aliquid, neque injustum, neque abominandum in suo sponsali thalamo sustinebit.

Est autem hic Pater Domini nostri, cujus providentia constant omnia, et jussu administrantur omnia: et gratuito quidem donat in quos oportet, secundum autem meritum dignissime distribuit adversus ingratos et non sentientes benignitatem ejus, justissimus retributor: et propterea ait: « Mittens exercitus suos perdidit interfectores illos, et civitatem illorum incendit. » Exercitum autem ejus inquit, quia omnes homines Dei: « Domini » enim « est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et omnes qui habitant in ea. » Et propter hoc Paulus apostolus in ea Epistola quae est ad Romanos, ait: « Non enim est potestas nisi a Deo. Quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi damnationem sibi acquirunt. Principes enim non sunt timori bono operi, sed malo. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex ea: Dei enim minister est tibi ad bonum. Si autem male feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Ideoque subjecti estote, non tantum propter iram, sed et propter conscientiam.

Propter hoc enim et tributa penditis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes. » Sed et Dominus igitur et apostoli unum Deum Patrem annuntiant eum, qui legisdationem fecit, qui misit prophetas, qui omnia fecit: et propter hoc ait: « Mittens exercitus suos: » quoniam omnis homo, secundum quod est homo, plasma ipsius est, licet ignoret Deum suum. Omnibus enim ut sint praestat, qui « solem suum oriri facit super malos et bonos, et pluit super justos et injustos. »

7. Et non solum per ea quae praedicta sunt, sed et per parabolam duorum filiorum, quorum minor luxuriose consumpsit substantiam, vivens cum fornicariis, unum et eumdem docuit Patrem, majori quidem filio ne haedum quidem indulgentem; propter eum autem qui perierat, minorem filium suum, jubentem occidi vitulum saginatum, et primam ei stolam donantem. Et per parabolam autem eorum operariorum, qui variis temporibus in vineam mittebantur, unus et idem Dominus ostenditur: vocans alios quidem statim in initio mundi fabricationis; alios vero post hoc; et alios circa medietatem temporum; et alios progressis jam temporibus; item alios in fine: ut sint quidem multi operarii secundum sua ipsorum tempora, unus autem qui convocat eos, paterfamilias. Etenim vinea una, quoniam et una justitia: et unus dispensator; unus enim Spiritus Dei, qui disponit omnia: similiter autem et merces una; omnes enim acceperunt singulos denarios, imaginem et inscriptionem regis, agnitionem Filii Dei quae est incorruptela. Et propter hoc a novissimis coepit dare mercedem,

quoniam in novissimis temporibus manifestatus Dominus, omnibus semetipsum repraesentavit.

8. Et publicanus autem qui in oratione Pharisaeum superavit; non quoniam alterum Patrem adorabat, testimonium accepit a Domino, quod sit magis justificatus: sed quoniam cum magna humilitate, sine extollentia et sine jactantia, exhomologesin eidem Deo faciebat. Et duorum autem filiorum parabola, eorum qui in vineam mittuntur, quorum alter quidem contradixit patri, et postea poenitetur, quando nihil profuit ei poenitentia; alter autem pollicitus est abire, statim promittens patri, non abiit autem (quoniam « omnis homo mendax; » et velle quidem in promptu adjacet, non invenit autem perficere), unum et eumdem ostendit Patrem. Sed et arboris fici parabola, de qua Dominus ait: « Ecce, jam triennium venio, quaerens fructum in hac arbore fici, et non invenio; » per prophetas adventum suum significans, per quos venit aliquoties exquirens justitiae fructum ab eis, quem non invenit, aperte manifestavit, et quoniam excidetur arbor fici propter praedictam causam. Et sine parabola autem dicebat ad Jerusalem Dominus: « Jerusalem, Jerusalem, quae interficis prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui colligere filios tuos, sicut gallina pullos suos sub alas, et noluisti? Ecce remittitur vobis domus vestra deserta. » Quod enim per parabolam dictum fuerat: « Ecce, triennium venio quaerens fructum; » et manifeste iterum: « Quoties volui colligere filios tuos; » si non hujus adventum, qui per prophetas est, intelligamus, erit mendacium:

siquidem semel, et tunc primum, venit ad eos. Sed quoniam et patriarchas qui elegit, et nos, idem est Verbum Dei; et illos semper visitans per propheticum Spiritum, et nos qui undique convocati sumus, per suum adventum, super ea quae dicta sunt, vere haec dicebat: « Multi ab Oriente et Occasu venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob, in regno coelorum. Filii autem regni ibunt in tenebras exteriores, illic erit fletus et stridor dentium. » Si igitur hi, qui per praeconium apostolorum ejus ab Oriente et Occidente credentes in eum, cum Abraham, Isaac et Jacob in regno coelorum recumbent, participantes cum eis epulationem; unus et idem Deus ostenditur, qui elegit quidem patriarchas, visitavit vero populum, gentes vero advocavit.

CAPUT XXXVII

Homines liberos esse, et eligendi facultate praeditos; nec proinde quosdam natura bonos, quosdam natura malos esse.

1. Illud autem, quod ait: « Quoties volui colligere filios tuos, et noluisti? » veterem legem libertatis hominis manifestavit: quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut et suam animam, ad utendum sententia Dei voluntarie, et non coactum a Deo. Vis enim a Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper. Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus. Posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum et in angelis (etenim angeli rationabiles): uti hi quidem qui obedissent, juste bonum sint possidentes, datum quidem a Deo,

servatum vero ab ipsis. Qui autem non obedierunt, juste non invenientur cum bono, et meritam poenam percipient; quoniam Deus quidem dedit benigne bonum, ipsi vero non custodierunt diligenter illud, neque pretiosum arbitrati sunt, sed supereminentiam bonitatis contempserunt. Abjicientes igitur bonum, et quasi respuentes, merito omnes justum judicium incident Dei, quemadmodum et apostolus Paulus in ea epistola, quae est ad Romanos, testificatus est dicens ita: « An divitias bonitatis ejus, et patientiae, et longanimitatis contemnis, ignorans quoniam bonitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et cor impoenitens thesaurizas tibimetipsi iram in die irae, et revelationis justi judicii Dei. Gloria autem et honor, inquit, omni operanti bonum. » Dedit ergo Deus bonum, quemadmodum et Apostolus testificatur in eadem epistola: et qui operantur quidem illud, gloriam et honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possint non operari illud; hi autem qui illud non operantur, judicium justum excipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possint operari illud.

2. Si autem naturaliter quidam boni, quidam vero mali facti fuissent, neque hi laudabiles essent qui boni sunt, tales enim facti fuerant; sed neque illi vituperabiles, et ipsi enim tales fuerant instituti. Sed quoniam omnes ejusdem sunt naturae, et potentes retinere et operari bonum, et potentes rursum amittere id, et non facere; juste etiam apud homines sensatos (quanto magis apud Deum), alii quidem laudantur, et

dignum percipiunt testimonium electionis bonae et perseverantiae; alii vero accusantur, et dignum percipiunt damnum, eo quod justum et bonum reprobaverint. Et ideo prophetae quidem hortabantur homines justitiam agere, bonumque operari, sicut per multa ostendimus: quia in nobis sit hoc, et propter multam negligentiam in oblivionem inciderimus, et consilio egeamus bono, propter quod bonus Deus praestavit bonum consilium per prophetas.

3. Propter hoc autem et Dominus: « Luceat lumen vestrum, » dicebat, « coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et clarificent Patrem vestrum qui in coelis est. » Et: « Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et sollicitudinibus saecularibus. » Et: « Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes, et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit, aperiant ei. Beatus servus ille, quem, cum venerit dominus ejus, invenerit ita facientem. » Et iterum: « Servus qui scit voluntatem domini sui, et non facit, vapulabit multas. » Et: « Quid mihi dicitis: Domine, Domine, et non facitis quae dico? » Et iterum: « Si autem dicat servus in corde suo: Tardat dominus meus; et incipiat caedere conservos, et manducare, et bibere, et inebriari; veniet dominus ejus in die qua non sperat, et dividet eum, et partem ejus cum hypocritis ponet. » Et omnia talia, quae liberum et suae potestatis ostendunt hominem, et quia consilio instruat Deus, adhortans nos ad

subjectionem sibi et avertens ab incredulitate, non tamen de violentia cogens.

4. Etenim ipsum Evangelium si noluerit quis sequi, licet quidem ei, non tamen expedit. Inobedientia enim Dei, et amissio boni est quidem in hominis potestate; laesionem autem et damnum non quamlibet infert. Et propter hoc Paulus ait: « Omnia licent, sed non omnia expediunt; » et libertatem referens hominis, quapropter et « omnia licent, » non cogente eum Deo; et id, « non expedit, » ostendens, ut non ad velamen malitiae abutamur libertate: non enim hoc expedit. Et iterum ait: « Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo. » Et: « Omnis sermo malus de ore vestro non exeat, aut turpitudo, aut vaniloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. » Et: « Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lumen in Domino: quasi filii lucis honeste ambulate: non in comessationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus et in libidinibus, non in ira et zelo. Et haec quidam fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri. » Si igitur non in nobis esset facere haec, aut non facere, quam causam habebat Apostolus, et multo prius ipse Dominus, consilium dare, quaedam quidem facere, a quibusdam vero abstinere? Sed quoniam liberae sententiae ab initio est homo, et liberae sententiae est Deus, cui ad similitudinem factus est; semper consilium datur ei, continere bonum, quod perficitur ex ea, quae est ad Deum obedientia.

5. Et non tantum in operibus, sed etiam in fide liberum et suae potestatis arbitrium hominis ser-

vavit Dominus, dicens: « Secundum fidem tuam fiat tibi; » propriam fidem hominis ostendens, quoniam propriam suam habet sententiam. Et iterum: « Omnia possibilia sunt credenti; » et: « Vade, sicut credidisti, fiat tibi. » Et omnia talia suae potestatis secundum fidem ostendunt hominem. Et propter hoc is « qui credit ei habet vitam aeternam; qui autem non credit Filio, non habet vitam aeternam, sed ira Dei manebit super ipsum. » Secundum hanc igitur rationem, et suum proprium bonum ostendens Dominus, et sui arbitrii ac suae potestatis hominem significans, dicebat ad Jerusalem: « Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina pullos suos sub ascellas, et noluisti? Quapropter relinquetur vobis domus vestra deserta. »

6. Qui autem his contraria dicunt, ipsi impotentem introducunt Dominum, scilicet quasi non potuerit perficere hoc quod voluerit: aut rursum ignorantem natura choicos, ut ipsi dicunt, et eos, qui non possunt accipere ejus incorruptelam. Sed oportebat, inquit, eum neque angelos tales fecisse, ut possent transgredi, neque homines qui statim ingrati exsisterent in eum; quoniam rationabiles, et examinatores, et judiciales facti sunt, et non (quemadmodum irrationabilia, sive inanimalia, quae sua voluntate nihil possunt facere, sed cum necessitate et vi ad bonum trahuntur, in quibus unus sensus, et unus mos), inflexibiles, et sine judicio, qui nihil aliud esse possunt, praeterquam quod facti sunt. Sic autem nec suave esset eis quod est bonum, neque pretiosa communicatio Dei, neque magnopere appetendum bonum,

quod sine suo proprio motu, et cura, et studio provenisset, sed ultro et otiose insitum: ita ut essent nullius momenti boni, eo quod natura magis quam voluntate tales exsisterent, et ultroneum haberent bonum, sed non secundum electionem; et propter hoc nec hoc ipsum intelligentes, quoniam pulchrum sit quod bonum, neque fruentes eo. Quae enim fruitio boni apud eos qui ignorant? Quae autem gloria his qui non studuerunt illud? Quae autem corona his qui non eam, ut victores in certamine, consecuti sunt?

7. Et propter hoc Dominus violentum dixit regnum coelorum: « Et qui vim faciunt, inquit, diripiunt illud; » hoc est, qui cum vi et agone vigilantes instanter, diripiunt illud. Propter hoc autem et Paulus apostolus ait Corinthiis: « Nescitis, quoniam hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. Sic currite, ut comprehendatis. Omnis autem qui agonizatur, in omnibus continens est: illi quidem ut corruptibilem accipiant coronam, nos autem incorruptibilem. Ego autem sic curro, non in incertum: sic pugno, non quasi aerem caedens; sed lividum facio corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte aliis praedicans, ipse reprobus efficiar. » Bonus igitur agonista ad incorruptelae agonem adhortatur nos, uti coronemur, et pretiosam arbitremur coronam, videlicet quae per agonem nobis acquiritur, sed non ultro coalitam. Et quanto per agonem nobis advenit, tanto est pretiosior; quanto autem pretiosior, tanto eam semper diligamus. Sed neque similiter diliguntur ea quae ultro adveniunt, quam illa quae cum

multa sollicitudine adinveniuntur. Quoniam igitur pro nobis erat plus diligere Deum, cum labore hoc nobis adinvenire Dominus docuit, et Apostolus tradidit. Et alias autem esset videlicet nostrum insensatum bonum, quod esset inexercitatum. Sed et videre non in tantum nobis esset desiderabile, nisi cognovissemus quantum esset malum non videre: et bene valere autem male valentis experientia honorabilius efficit; et lucem, tenebrarum comparatio, et vitam, mortis. Sic et coeleste regnum honorabilius est his qui cognoverunt terrenum. Quanto autem honorabilius, tanto magis diligimus illud: et si plus illud dilexerimus, clariores erimus apud Deum. Pro nobis igitur omnia haec sustinuit Dominus, uti per omnia eruditi, in omnibus in futurum simus cauti, et perseveremus in omni ejus dilectione, rationabiliter edocti diligere Deum: Deo quidem magnanimitatem praestante in apostasia hominis; homine autem erudito per eam, quemadmodum et propheta ait: « Emendabit te abscessio tua; » praefiniente Deo omnia ad hominis perfectionem, et ad efficaciam, et manifestationem dispositionum: uti et bonitas ostendatur, et justitia perficiatur, et Ecclesia ad figuram imaginis Filii ejus coaptetur, et tandem aliquando maturus fiat homo, in tantis maturescens ad videndum et capiendum Deum.

CAPUT XXXVIII

Cur non ab initio perfectus factus est homo.

1. Si hoc dicat aliquis: Quid enim? Non poterat ab initio Deus perfectum fecisse hominem? Sciat,

quoniam Deus quidem cum semper sit idem et innatus, quantum ad ipsum est omnia possibilia ei. Quae autem facta sunt ab eo, secundum quod postea facturae initium habuerunt, secundum hoc et minora esse oportuit eo qui se fecerit: nec enim poterant infecta esse, quae nuper facta sunt. Propter quod autem non sunt infecta, propter hoc et [ideo] deficiunt a perfecto. Secundum enim quod sunt posteriora, secundum hoc et infantilia; et secundum quod infantilia, secundum hoc et insueta, et inexercitata ad perfectam disciplinam. Quemadmodum enim mater potest quidem praestare perfectam escam infanti, ille autem adhuc non potest robustiorem se percipere escam: sic et Deus ipse quidem potens fuit homini praestare perfectionem ab initio, homo autem impotens percipere illam: infans enim fuit. Et propter hoc Dominus noster in novissimis temporibus, recapitulans in semetipso omnia, venit ad nos, non quomodo ipse poterat, sed quomodo illum nos videre poteramus. Ipse enim in sua inenarrabili gloria ad nos venire poterat: sed nos magnitudinem gloriae ipsius portare non poteramus. Et propter hoc, quasi infantibus, ille qui erat panis perfectus Patris, lac nobis semetipsum praestavit, quod erat secundum hominem ejus adventus: ut quasi a mamilla carnis ejus enutriti, et per talem lactationem assueti manducare et bibere Verbum Dei, et eum qui est immortalitatis panis, qui est Spiritus Patris, in nobis ipsis continere possimus.

2. Et propter hoc Paulus Corinthiis ait: « Lac vobis potum dedi non escam: nondum enim po-

teratis escam percipere; » id est, eum quidem adventum Domini, qui secundum hominem, didicistis; nondum autem Patris Spiritus requiescit super vos, propter vestram infirmitatem. « Ubi enim zelus et discordia, ait, in vobis, et dissentiones, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? » Hoc est, quoniam nondum Spiritus Patris erat in ipsis, propter imperfectionem eorum, et infirmitatem conversationis. Quemadmodum igitur Apostolus poterat dare escam (quibuscunque enim imponebant apostoli manus, accipiebant Spiritum sanctum, qui est esca vitae); illi autem non poterant accipere illud, quoniam infirmum adhuc et inexercitabilem sensum erga Deum conversationis habebant: sic et initio Deus quidem potens fuit dare perfectionem homini; ille autem nunc nuper factus non poterat illud accipere, vel accipiens capere, vel capiens continere. Et propter hoc coinfantiatum est homini Verbum Dei, cum esset perfectus, non propter se, sed propter hominis infantiam sic capax effectus, quemadmodum homo illum capere potuit. Non igitur erga Deum impossibile et indigens, sed circa eum qui nunc nuper factus est homo; quoniam non infectus erat.

3. Erga Deum autem virtus simul, et sapientia, et bonitas ostenditur: virtus quidem et bonitas, in eo quod ea, quae nondum erant, voluntarie constituerit et fecerit; sapientia vero, in eo quod apta et consonantia, quae sunt, fecerit. Quaedam autem propter immensam ejus benignitatem augmentum accipientia, et in multum temporis perseverantia, infecti gloriam referunt, Deo sine

invidia donante quod bonum est. Secundum enim id quod facta sunt, non sunt infecta: secundum id vero quod perseverant longis aeonibus, virtutem infecti assument, Deo gratuito donante eis sempiternam perseverationem. Et sic principalitatem quidem habebit in omnibus Deus, quoniam et solus infectus, et prior omnium, et omnibus, ut sint, ipse est causa: reliqua vero omnia in subjectione manent Dei. Subjectio autem Dei, incorruptelae perseverantia est: incorruptela autem, gloria infecti. Per hanc igitur ordinationem, et hujusmodi convenientiam, et tali ductu, factus et plasmatus homo secundum imaginem et similitudinem constituitur infecti Dei: Patre quidem bene sentiente et jubente; Filio vero ministrante et formante; Spiritu vero nutriente et augente; homine vero paulatim proficiente et perveniente ad perfectum, id est proximum infecto fieri. Perfectus enim est infectus: hic autem est Deus. Oportuerat autem hominem primo fieri, et factum augeri, et auctum corroborari, et corroboratum multiplicari, et multiplicatum convalescere, convalescentem vero glorificari, et glorificatum videre suum Dominum. Deus enim est qui habet videri: visio autem Dei efficax est incorruptelae: « incorruptela vero proximum facit esse Deo. »

4. Irrationabiles igitur omni modo, qui non exspectant tempus augmenti, et suae naturae infirmitatem ascribunt Deo. Neque Deum, neque semetipsos scientes, insatiabiles et ingrati, nolentes primo esse hoc quod et facti sunt, homines passionum capaces; sed supergredientes legem humani generis, et antequam fiant homines, jam

volunt similes esse factori Deo, et nullam esse differentiam infecti Dei, et nunc facti hominis, qui plus irrationales sunt quam muta animalia. Haec enim non imputant Deo, quoniam non homines facit ea; sed unumquodque eo quod factum est, quoniam factum est, gratias agit. Nos enim imputamus ei, quoniam non ab initio dii facti sumus, sed primo quidem homines, tunc demum dii: quamvis Deus secundum simplicitatem bonitatis suae hoc fecerit, ne quis eum putet invidiosum, aut impraestantem. « Ego, inquit, dixi: dii estis, et filii Excelsi omnes. » Nobis autem potestatem divinitatis bajulare non sustinentibus: « Vos autem, inquit, sicut homines moriemini; » utraque referens, et illud quod est benignum suae donationis, et infirmitatem nostram, et quod essemus nostrae potestatis. Secundum enim benignitatem suam bene dedit bonum, et similes sibi suae potestatis homines fecit: secundum autem providentiam scivit hominum infirmitatem, et quae ventura essent ex ea; secundum autem dilectionem et virtutem vincet factae naturae substantiam. Oportuerat autem primo naturam apparere, post deinde vinci et absorbi mortale ab immortalitate, et corruptibile ab incorruptibilitate, et fieri hominem secundum imaginem et similitudinem Dei, agnitione accepta boni et mali.

CAPUT XXXIX

Bonum a malo discernendi facultatem homini inditam esse, ut sua voluntate et electione, nulla

vi coactus, Dei mandata peragat, quo ab eo perficiatur, malaque rebellibus parata a se avertat.

1. Agnitionem autem accepit homo boni et mali. Bonum est autem obedire Deo, et credere ei, et custodire ejus praeceptum; et hoc est vita hominis: quemadmodum non obedire Deo, malum; et hoc est mors ejus. Magnanimitatem igitur praestante Deo, cognovit homo et bonum obedientiae, et malum inobedientiae: uti oculus mentis utrorumque accipiens experimentum, electionem meliorum cum judicio faciat, et nunquam segnis, neque negligens praecepti fiat Dei; et id quod aufert ab eo vitam, id est, non obedire Deo, experimento discens quoniam malum est, neque tentet quidem illud unquam; quod autem conservatorium vitae ejus est obedire Deo, sciens quoniam bonum est cum omni intentione diligenter custodiat. Propter hoc etiam duplices habuit sensus, utrorumque agnitionem habentes, ut electionem meliorum cum disciplina faciat. Disciplinam autem boni quemadmodum habere potuisset, ignorans quod est contrarium? Firmior est enim et indubitata subjacentium apprehensio, quam ea quae est ex suspicione conjectura. Quemadmodum enim lingua per gustum accipit experimentum dulcis et amari, et oculus per visionem discernit quod est nigrum ab albo, et auris per auditum differentias sonorum scit; sic et mens per utrorumque experimentum disciplinam boni accipiens, firmior ad conservationem ejus efficitur, obediens Deo: inobedientiam quidem primum respuens per poenitentiam, quoniam amarum et malum est; deinde ex compre-

hensione discens, quale sit quod contrarium est bono et dulcedini, ne tentet quidem unquam inobedientiam gustare Dei. Si autem utrorumque eorum cognitionem, et duplices sensus cognitionis quis defugiat, latenter semetipsum occidit hominem.

2. Quemadmodum igitur erit Deus, qui nondum factus est homo? quomodo autem perfectus, nuper effectus? quomodo autem immortalis, qui in natura mortali non obedivit factori? Oportet enim te primo quidem ordinem hominis custodire, tunc deinde participari gloriae Dei. Non enim tu Deum facis, sed Deus te facit. Si ergo opera Dei es, manum artificis tui exspecta, opportune omnia facientem; opportune autem, quantum ad te attinet, qui efficeris. Praesta autem ei cor tuum molle et tractabile, et custodi figuram, qua te figuravit artifex, habens in temetipso humorem, ne induratus amittas vestigia digitorum ejus. Custodiens autem compaginationem, ascendes ad perfectum: ab artificio enim Dei absconditur, quod est in te, lutum. Fabricavit substantiam in te manus ejus: liniet te ab intus et a foris auro puro et argento, et in tantum ornabit te, ut et ipse Rex concupiscat speciem tuam. Si vero statim obduratus respuas artem ejus, et ingratus exsistas in eum, quoniam homo factus es; ingratus Deo factus, simul et artem ejus, et vitam amisisti. Facere enim proprium est benignitatis Dei: fieri autem proprium est hominis naturae. Si igitur tradideris ei quod est tuum, id est fidem in eum et subjectionem, recipies ejus artem, et eris perfectum opus Dei.

3. Si autem non credideris ei, et fugeris manus ejus, erit causa imperfectionis in te, qui non obedisti, sed non in illo, qui vocavit. Ille enim misit, qui vocarent ad nuptias; qui autem non obedierunt ei, semetipsos privaverunt a regia coena. Non igitur ars deficit Dei; potens est enim de lapidibus suscitare filios Abrahae; sed ille qui non consequitur eam, sibimet suae imperfectionis est causa. Nec enim lumen deficit propter eos qui semetipsos excaecaverunt: sed illo perseverante quale et est, excaecati per suam culpam in caligine constituuntur. Neque lumen cum magna necessitate subjiciet sibi quemquam: neque Deus coget eum qui nolit continere ejus artem. Qui igitur abstiterunt a paterno lumine, et transgressi sunt legem libertatis; per suam abstiterunt culpam, liberi arbitrii et suae potestatis facti.

4. Deus autem omnia praesciens, utrisque aptas praeparavit habitationes: eis quidem qui inquirunt lumen incorruptibilitatis, et ad id recurrunt, benigne donans hoc quod concupiscunt lumen; aliis vero id contemnentibus, et avertentibus se ab eo, et id fugientibus, et quasi semetipsos excaecantibus, congruentes lumini adversantibus praeparavit tenebras: et his qui fugiunt ei esse subjecti, convenientem subdidit poenam. Subjectio autem Dei requietio est aeterna, ut hi qui fugiunt lumen, dignum fugae suae habeant locum, et qui fugiunt aeternam requiem, congruentem fugae suae habeant habitationem. Cum autem apud Deum omnia sint bona, qui ex sua sententia fugiunt Deum, semetipsos ab omnibus fraudant bonis; fraudati autem omnibus

erga Deum bonis, consequenter in Dei justum judicium incident. Qui enim fugiunt requiem, juste in poena conversabuntur; et qui fugerunt lumen, juste inhabitabunt tenebras. Quemadmodum autem in hoc temporali lumine, qui fugiunt illud, ipsos se tenebris mancipant; ita ut ipsi sibi causa fiant, quod destituuntur a lumine, et inhabitant tenebras, et non lumen causa est eis hujusmodi conversationis, quemadmodum praediximus: sic aeternum Dei qui fugiunt lumen, quod continet in se omnia bona, ipsi sibi causa sunt, ut aeternas inhabitent tenebras, destituti omnibus bonis, sibimetipsis causa hujusmodi habitationis facti.

CAPUT XL

Unum et eumdem Deum Patrem poenas infligere reprobis, ac electis praemia tribuere.

1. Unus igitur et idem Deus Pater, qui quidem concupiscentibus ejus communicationem, et perseverantibus in subjectione ejus, quae sunt apud se praeparat bona: principi autem abscessionis diabolo, et qui cum eo abscesserunt angelis aeternum ignem praeparans: in quem mittentur, inquit Dominus, illi qui in sinistra separati sunt. Et hoc est quod a propheta dictum est: « Ego Deus zelans, faciens pacem, et condens mala: » in eos quidem qui poenitentiam habent, et convertuntur ad eum, faciens pacem, et amicitiam, et unitatem componens; super eos vero qui poenitentiam non agunt, sed refugiunt ejus lumen, ignem aeternum et exteriores tenebras praeparans: quae quidem sunt mala his qui incidunt in ea.

2. Si autem alius quidem esset qui requiem donat Pater, et alius qui ignem praeparavit Deus; fuissent aeque differentes eis filii; alius quidem in Patris regnum mittens, alius vero in aeternum ignem. Sed quoniam unus et idem Dominus separari demonstravit in judicio omne genus humanum, « quemadmodum pastor segregat oves ab haedis; » et aliis quidem dicet: « Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod paratum est vobis; » aliis vero: « Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, quem praeparavit Pater meus diabolo et angelis ejus; » unus et idem Pater manifestissime ostenditur, « faciens pacem, et condens mala, » praeparans utrisque quae sunt apta: quemadmodum et unus judex utrosque in aptum mittens locum. Quemadmodum in zizaniorum et in tritici parabola manifestavit Dominus, dicens: « Quemadmodum colliguntur zizania, et igni comburuntur; sic erit in consummatione saeculi. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in clibanum ignis: illic erit fletus et stridor dentium. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris ipsorum. » Qui ergo regnum praeparavit justis Pater, in quod assumpsit Filius ejus dignos; hic et caminum ignis praeparavit, in quem dignos mittent ii, qui a Filio hominis missi sunt, angeli, secundum jussum Dei.

3. Hic enim in agro suo bonum semen seminavit: « Ager autem, inquit, saeculum est. Cum autem dormirent homines, venit inimicus, et superseminavit zizania inter frumentum, et abiit. »

Extunc enim apostata est angelus hic, et inimicus, ex quo zelavit plasma Dei, et inimicum illum Deo facere aggressus est. Quapropter et Deus eum quidem, qui a semetipso zizania absconse seminavit, id est, transgressionem quam ipse intulit, separavit a sua conversatione: eum autem, qui negligenter quidem, sed male accepit inobedientiam, hominem miseratus est, et retorsit inimicitiam, per quam inimicum Deo facere voluit, in ipsum inimicitiarum auctorem; auferens quidem suam, quae erat adversus hominem, inimicitiam; retorquens autem illam, et remittens illam in serpentem. Quemadmodum et Scriptura ait dixisse serpenti Deum: « Et inimicitiam ponam inter te et inter mulierem, et inter semen tuum et inter semen mulieris. Ipse tuum calcabit caput, et tu observabis calcaneum ejus. » Et inimicitiam hanc Dominus in semetipsum recapitulavit, de muliere factus homo, et calcans ejus caput; quemadmodum in eo, qui ante hunc est, libro ostendimus.

CAPUT XLI

Qui Deo non credunt, ipsique non obediunt, angeli et filii diaboli sunt; non natura quidem, sed imitatione. Epilogus hujus libri, et scopus sequentis.

1. Quoniam angelos quosdam dixit diaboli, quibus aeternus ignis praeparatus est, et rursus in zizaniis ait: « Zizania sunt filii maligni; » necessarium est dicere, quoniam omnes, qui sunt abscessionis, ascripsit illi, qui princeps est hujus transgressionis. Sed non ille quidem natura aut

angelos, aut homines fecit. Nihil enim in totum diabolus invenitur fecisse, videlicet cum et ipse creatura sit Dei, quemadmodum et reliqui angeli. Omnia enim fecit Deus, quemadmodum et David ait: « Quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse praecepit, et creata sunt. »

2. Cum igitur a Deo omnia facta sunt, et diabolus sibimetipsi et reliquis factus est abscessionis causa; juste Scriptura eos, qui in abscessione perseverant, semper filios diaboli, et angelos dixit maligni. Filius enim, quemadmodum et quidam ante nos dixit, dupliciter intelligitur: alius quidem secundum naturam, eo quod natus sit filius; alius autem secundum id quod factus est, reputatur filius; licet sit differentia inter natum et factum. Quoniam ille quidem ex eo natus est, ille autem ab ipso factus est, sive secundum conditionem, sive secundum doctrinae magisterium. Qui enim ab aliquo edoctus est, verbo, filius docentis dicitur, et ille ejus pater. Secundum igitur naturam quae est secundum conditionem, ut ita dicam, omnes filii Dei sumus, propter quod a Deo omnes facti sumus. Secundum autem dicto audientiam et doctrinam, non omnes filii Dei sunt, sed qui credunt ei, et faciunt ejus voluntatem. Qui autem non credunt, et non faciunt ejus voluntatem, filii et angeli sunt diaboli. Quoniam autem ita se habet hoc, in Isaia dixit: « Filios genui et exaltavi, ipsi autem me spreverunt. » Et iterum quae dicit filios alienos eos ita: « Filii alieni mentiti sunt mihi. » Secundum enim naturam filii sunt, propter hoc quod ab eo facti sunt; secundum autem opera non sunt filii.

3. Quemadmodum enim in hominibus indicto audientes patribus filii abdicati, natura quidem filii eorum sunt, lege vero alienati sunt; non enim haeredes fiunt naturalium parentum: eodem modo apud Deum, qui non obediunt ei, abdicati ab eo, desierunt filii ejus esse. Unde nec haereditatem ejus percipere possunt; quemadmodum David ait: « Alienati sunt peccatores ab utero: ira eis secundum similitudinem serpentis. » Et propter hoc Dominus quos sciebat hominum esse progeniem, dixit sic progeniem viperarum, secundum similitudinem horum animalium in varietate ambulantes, et laedentes reliquos. « Attendite, inquit, a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum. » Sed et de Herode dicens: « Dicite, inquit, vulpi huic; » nequam astutiam ejus et dolum significans. Quapropter David propheta ait: « Homo in honore positus, assimilatus est jumentis. » Et iterum Jeremias: « Equi furentes circa feminas facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. » Et Isaias in Judaea praeconans, et cum Israel disputans, principes Sodomorum, et populum Gomorrhae dicebat eos: similem Sodomitis transgressionem, et eadem, quae illis fuerunt, peccata esse apud eos significans, propter similem operationem eodem vocabulo vocans eos. Et quia non natura essent sic facti a Deo, sed qui possent et juste agere, idem dicebat, consilium eis dans bonum: « Lavamini, mundi estote, auferte nequitias ab animabus vestris ante oculos meos, quiescite ab iniquitatibus vestris. » Scilicet, quoniam idem ipsi cum transgrederentur et peccarent, eamdem quam Sodomitae percepe-

runt objurgationem. Cum enim converterentur, et poenitentiam agerent, et quiescerent a malitia, filii poterant esse Dei, et haereditatem consequi incorruptelae, quae ab eo praestatur. Secundum hanc igitur rationem, angelos diaboli, et filios dixit maligni, qui diabolo credunt, et ea quae sunt ejus agunt. Qui quidem ab initio omnes ab uno et eodem Deo facti sunt. Verum quando credunt, et subjecti esse Deo perseverant, et doctrinam ejus custodiunt, filii sunt Dei: cum autem abscesserint, et transgressi fuerint, diabolo ascribuntur principi, ei qui primo sibi, tunc et reliquis causa abscessionis sit factus.

4. Quoniam autem multi quidem Domini sermones, unum autem et eumdem omnes annuntiant Patrem factorem mundi hujus, oportebat et nos propter eos, qui in multis erroribus continentur, per multa confutare; si quomodo possent per multa confutati et ad veritatem converti, et salvari. Necessarium est autem conscriptioni huic, in sequenti post Domini sermones subjungere Pauli quoque doctrinam, et examinare sententiam ejus, et Apostolum exponere, et quaecunque ab haereticis, in totum non intelligentibus quae a Paulo dicta sunt, alias acceperunt interpretationes, explanare et dementiam insensationis eorum ostendere: et ab eodem Paulo, ex quo nobis quaestiones inferunt, manifestare, illos quidem mendaces, Apostolum vero praedicatorem esse veritatis, et omnia consonantia veritatis praeconio docuisse, unum Deum Patrem eum, qui locutus sit ad Abraham, qui legisdationem fecerit, qui prophetas praemiserit, qui novissimis tempori-

bus Filium suum misit, et salutem suo plasmati donat, quod est carnis substantia. Reliquos igitur sermones Domini, quos quidem non per parabolas, sed simpliciter ipsis dictionibus docuit de Patre, et expositionem Epistolarum beati Apostoli in altero libro disponentes, integrum tibi opus exprobrationis et eversionis falso cognominatae agnitionis, praestante Deo, praebebimus; et nos ipsos, et te ad contradictionem omnium haereticorum in quinque exercentes libris.

Liber quintus

Praefatio

Traductis, dilectissime, omnibus haereticis in quatuor libris, qui sunt tibi ante hunc a nobis editi, et doctrinis ipsorum manifestatis; eversis quoque his, qui irreligiosas adinvenerunt sententias, aliquid quidem ex propria uniuscujusque illorum doctrina, quam in suis conscriptis reliquerunt; aliquid autem ex ratione, universis ostensionibus procedente; et veritate ostensa, et manifestato praeconio Ecclesiae, quod prophetae quidem praeconaverunt, quemadmodum demonstravimus, perfecit autem Christus, Apostoli vero tradiderunt, a quibus Ecclesia accipiens, per universum mundum sola bene custodiens, tradidit filiis suis; quaestionibusque omnibus solutis, quae ab haereticis nobis proponuntur; et apostolorum doctrina explanata, et manifestatis pluribus, quae a Domino per parabolas, et dicta sunt, et facta: in hoc libro quinto, operis universi, quod est de traductione, et eversione falso cognominatae agnitionis, ex reliquis doctrinae Domini nostri, et ex apostolicis epistolis, conabimur ostensiones facere, quemadmodum postulasti a nobis, obedientibus tuo praecepto (quoniam et in administratione sermonis positi sumus), et omnimodo elaborantibus, secundum

nostram virtutem, plurima tibi quidem in subsidium praestare adversum contradictiones haereticorum, errantes autem retrahere, et convertere ad Ecclesiam Dei; neophytorum quoque sensum confirmare, ut stabilem custodiant fidem, quam bene custoditam ab Ecclesia acceperunt, ut nullo modo transvertantur ab his, qui male docere eos, et abducere a veritate conantur. Oportebit et te, et omnes lecturos hanc scripturam, impensius legere ea quae a nobis praedicta sunt, ut et argumenta ipsa scias, adversus quae contradictiones facimus. Sic enim et legitime eis contradices, et de praeparato accipies adversus eos contradictiones, illorum quidem sententias per coelestem fidem, velut stercora, abjiciens; solum autem verum et firmum magistrum sequens, Verbum Dei, Jesum Christum Dominum nostrum: qui propter immensam suam dilectionem factus est quod sumus nos, uti nos perficeret esse quod est ipse.

CAPUT PRIMUM

Solus Christus divina nos docere, ac redimere potuit, idemque ut nos repararet, non opinione, sed reipsa, Spiritus sancti operatione ex Maria Virgine carnem assumpsit; adversus Valentini et Ebionis vanitates.

1. Non enim aliter nos discere poteramus quae sunt Dei, nisi magister noster, verbum exsistens, homo factus fuisset. Neque enim alius poterat enarrare nobis quae sunt Patris, nisi proprium ipsius Verbum. « Quis enim » alius « cognovit sensum Domini? aut quis » alius « ejus consiliarius factus est? » Neque rursus nos aliter discere

poteramus, nisi magistrum nostrum videntes, et per auditum nostrum vocem ejus percipientes; uti imitatores quidem operum, factores autem sermonum ejus facti, communionem habeamus cum ipso; a perfecto, et eo qui est ante omnem conditionem, augmentum accipientes. Qui nunc nuper facti sumus, a solo optimo et bono, et ab eo qui habet donationem incorruptibilitatis, in eam, quae est ad eum, similitudinem facti, praedestinati quidem ut essemus, qui nondum eramus, secundum praescientiam Patris, facti autem initium facturae, accepimus in praecognitis temporibus secundum ministrationem Verbi, qui est perfectus in omnibus; quoniam Verbum potens, et homo verus, sanguine suo rationabiliter redimens nos, redemptionem semetipsum dedit pro his, qui in captivitatem ducti sunt. Et quoniam injuste dominabatur nobis apostasia; et cum natura essemus Dei omnipotentis, alienavit nos contra naturam, suos proprios faciens discipulos; potens in omnibus Dei Verbum, et non deficiens in sua justitia, juste etiam adversus ipsam conversus est apostasiam, ea quae sunt sua redimens ab ea; non cum vi, quemadmodum illa initio dominabatur nostri, ea quae non erant sua insatiabiliter rapiens; sed secundum suadelam, quemadmodum decebat Deum suadentem, et non vim inferentem, accipere quae vellet: ut neque quod est justum confringeretur, neque antiqua plasmatio Dei deperiret. Suo igitur sanguine redimente nos Domino, et dante animam suam pro nostra anima, et carnem suam pro nostris carnibus, et effundente Spiritum Patris

in adunitionem et communionem Dei et hominis, ad homines quidem deponente Deum per Spiritum, ad Deum autem rursus imponente hominem per suam incarnationem, et firme et vere in adventu suo donante nobis incorruptelam, per communionem quae est ad eum; perierunt omnes haereticorum doctrinae.

2. Vani enim sunt qui putative dicunt eum apparuisse. Non enim putative haec, sed in substantia veritatis fiebant. Si autem, cum homo non esset, apparebat homo; neque, quod erat vere, perseveravit, Spiritus Dei, quoniam invisibilis est Spiritus: neque veritas quaedam erat in eo; non enim illud erat quod videbatur. Praediximus autem, quoniam Abraham et reliqui prophetae prophetice videbant eum; id, quod futurum erat, per visionem prophetantes. Si igitur et nunc talis apparuit, non exsistens quod videbatur, quaedam prophetica visio facta est hominibus, et oportet alium exspectare adventum ejus, in quo talis erit, qualis nunc visus est prophetice. Ostendimus autem, quoniam idem est, putative dicere eum visum, et nihil ex Maria accepisse. Neque enim esset vere sanguinem et carnem habens, per quam nos redemit, nisi antiquam plasmationem Adae in semetipsum recapitulasset. Vani igitur qui a Valentino sunt, hoc dogmatizantes, uti excludant salutem carnis, et reprobent plasmationem Dei.

3. Vani autem et Ebionaei, unitionem Dei et hominis per fidem non recipientes in suam animam, sed in veteri generationis perseverantes fermento; neque intelligere volentes, quoniam

Spiritus sanctus advenit in Mariam, et virtus Altissimi obumbravit eam; quapropter et quod generatum est, sanctum est, et filius Altissimi Dei Patris omnium, qui operatus est incarnationem ejus, et novam ostendit generationem; uti quemadmodum per priorem generationem mortem haereditavimus, sic per generationem hanc haereditaremus vitam. Reprobant itaque hi commistionem vini coelestis, et solam aquam saecularem volunt esse, non recipientes Deum ad commistionem suam; perseverantes autem in eo qui victus est, Adam, et projectus est de paradiso: non contemplantes, quoniam, quemadmodum ab initio plasmationis nostrae in Adam ea quae fuit a Deo aspiratio vitae, unita plasmati, animavit hominem, et animal rationale ostendit, sic in fine Verbum Patris, et Spiritus Dei, adunitus antiquae substantiae plasmationis Adae, viventem et perfectum effecit hominem, capientem perfectum Patrem; ut quemadmodum in animali omnes mortui sumus, sic in spiritali omnes vivificemur. Non enim effugit aliquando Adam manus Dei, ad quas Pater loquens, dicit: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. » Et propter hoc in fine non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex placito Patris manus ejus vivum perfecerunt hominem, uti fiat Adam secundum imaginem et similitudinem Dei.

CAPUT II

Christus non venit in aliena, cum sua nos gratia visitavit, et carni nostrae contulit capacem esse salutis, verum pro nobis sanguinem funden-

do, veramque carnem suam nobis in eucharistia exhibendo.

1. Vani autem et qui in aliena dicunt Deum venisse, velut aliena concupiscentem, uti eum hominem qui ab altero factus esset, exhiberet ei Deo, qui neque fecisset, neque condidisset, sed et qui desolatus esset ab initio a propria hominum fabricatione. Non ergo justus adventus ejus, qui secundum eos venit in aliena; neque vere redemit nos sanguine suo, si non vere homo factus est, restaurans suo plasmati, quod dictum est in principio, factum esse hominem secundum imaginem et similitudinem Dei, non aliena in dolo diripiens, sed sua propria juste et benigne assumens; quantum attinet quidem ad apostasiam, juste suo sanguine redimens nos ab ea; quantum autem ad nos, qui redempti sumus, benigne. Nihil enim illi ante dedimus, neque desiderat aliquid a nobis, quasi indigens; nos autem indigemus ejus, quae est ad eum, communionis; et propterea benigne effudit semetipsum, ut nos colligeret in sinum Patris.

2. Vani autem omnimodo, qui universam dispositionem Dei contemnunt, et carnis salutem negant, et regenerationem ejus spernunt, dicentes non eam capacem esse incorruptibilitatis. Si autem non salvetur haec, videlicet nec Dominus sanguine suo redemit nos; neque calix eucharistiae communicatio sanguinis ejus est neque panis quem frangimus, communicatio corporis ejus est. Sanguis enim non est, nisi a venis et carnibus, et a reliqua quae est secundum hominem substantia, qua vere factum est Verbum

Dei. Sanguine suo redemit nos, quemadmodum et Apostolus ejus ait: « In quo habemus redemptionem, per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. » Et quoniam membra ejus sumus, et per creaturam nutrimur; creaturam autem ipse nobis praestat, solem suum oriri faciens, et pluens quemadmodum vult; eum calicem, qui est creatura, suum sanguinem qui effusus est, ex quo auget nostrum sanguinem; et eum panem, qui est a creatura, suum corpus confirmavit, ex quo nostra auget corpora.

3. Quando ergo et mistus calix, et factus panis percipit verbum Dei, et fit eucharistia sanguinis et corporis Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostrae substantia; quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quae est vita aeterna, quae sanguine et corpore Christi nutritur, et membrum ejus est? Quemadmodum et beatus Apostolus ait in ea, quae est ad Ephesios, Epistola: « Quoniam membra sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus: » non de spirituali aliquo et invisibili homine dicens haec: « Spiritus enim neque ossa, neque carnes habet; » sed de ea dispositione, quae est secundum verum hominem, quae ex carnibus, et nervis et ossibus consistit: quae de calice, qui est sanguis ejus, nutritur, et de pane, quod est corpus ejus, augetur. Et quemadmodum lignum vitis depositum in terram suo fructificat tempore, et granum tritici decidens in terram, et dissolutum, multiplex surgit per Spiritum Dei, qui continet omnia: quae deinde per sapientiam in usum hominis veniunt, et percipientia verbum Dei eucharistia fiunt,

quod est corpus et sanguis Christi: sic et nostra corpora ex ea nutrita, et reposita in terram, et resoluta in ea, resurgent in suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris; qui huic mortali immortalitatem circumdat, et corruptibili incorruptelam gratuito donat, quoniam virtus Dei in infirmitate perficitur; ut non quasi ex nobisipsis habentes vitam, inflemur aliquando et extollamur adversus Deum, ingratam mentem accipientes; experimento autem discentes, quoniam ex illius magnitudine, et non ex nostra natura, habemus in aeternum perseverantiam, neque ab ea quae est circa Deum gloria, sicuti est, frustremur aliquando, neque nostram naturam ignoremus; sed ut sciamus et quid Deus potest, et quid homo beneficii accipit: et non eremus aliquando a vera comprehensione eorum quae sunt, et quemadmodum sunt, id est Dei et hominis. Et nunquid forte, quemadmodum praediximus, propter hoc passus est Deus fieri in nobis resolutionem; ut per omnia eruditi, in omnibus simus diligentes, neque Deum, neque nosmetipsos ignorantes?

CAPUT III

In infirmitate carnis humanae elucet virtus et gloria Dei, qui corpus nostrum resurrectionis et immortalitatis particeps efficiet, cum illud ex limo terrae formaverit: ipsique aevo sempiterno frui concedet, cui exiguam et communem hanc vitam largitur.

1. Manifestissime autem Apostolus ostendit, quoniam traditus est suae infirmitati homo, ne

elatus aliquando excideret a veritate, in secunda, quae est ad Corinthios, dicens: « Et ut sublimitate revelationum non superextollar, datus est mihi stimulus carnis, angelus Satanae, uti me colaphizet. Et super haec ter Dominum rogavi, ut absistat a me; et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter ergo magis gloriabor in infirmitatibus, ut inhabitet in me virtus Christi. » Quid ergo? dicet enim aliquis, voluit ergo Dominus Apostolum suum sic colaphizari, et talem sustinere infirmitatem? Etiam, dicit verbum. Virtus enim in infirmitate perficitur, meliorem efficiens hunc, qui per suam infirmitatem cognoscit virtutem Dei. Quemadmodum enim didicisset homo, quoniam ipse quidem infirmus et natura mortalis, Deus autem immortalis et potens, nisi id quod est in utroque, didicisset experimento? (Suam enim infirmitatem discere per sustinentiam, nihil est malum: magis autem et bonum est non aberrare in natura sua. Extolli autem adversus Deum, et praesumptionem suae gloriae assumere, ingratum reddens hominem, multum mali inferebat ei): ut nec veritatem simul et dilectionem auferret ab eo, et eam quae est ad eum qui fecit eum. Utrorumque autem experientia vera, quae est de Deo et homine, agnitionem indidit ei; et auxit ejus erga Deum dilectionem. Ubi autem augmentum est dilectionis, ibi major gloria Dei virtute perficitur his qui diligunt eum.

2. Refutant igitur potentiam Dei, et non contemplantur quod est verbum, qui infirmitatem intuentur carnis, virtutem autem ejus qui susci-

tat eam a mortuis, non contemplantur. Si enim mortale non vivificat, et corruptibile non revocat ad incorruptelam, jam non potens est Deus. Sed quoniam potens est in his omnibus, de initio nostro contemplari debemus: quoniam sumpsit Deus limum de terra, et formavit hominem. Et quidem multo difficilius et incredibilius est, ex non exsistentibus ossibus, et nervis, et venis, et reliqua dispositione, quae est secundum hominem, facere ad hoc ut sit, et quidem animalem et rationabilem facere hominem; quam quod factum est, et deinde resolutum est in terram, propter causas quas praediximus, rursus redintegrare, licet in illa cesserit, unde et initio nondum factus, factus est homo. Qui enim initio eum, qui non erat, fecit ut esset, quando voluit; multo magis eos, qui jam fuerunt, rursus restituet volens in eam quae ab eo datur vitam. Invenietur autem perceptrix et capax caro virtutis Dei, quae ab initio percepit artem Dei. Et aliud quidem factum est oculus videns, aliud auris audiens, aliud manus palpans et operans, aliud nervi undique condensi et continentes membra, aliud arteriae et venae, sanguinis et spiritus transitoria; aliud vero inviscera diversa; aliud sanguis, copulatio animae et corporis. Quid enim? Non est numerum dicere universae fabricationis, quae est secundum membra hominis, quae non alias facta est, sed ex magna sapientia Dei. Quae autem sapientiam participant Domini, participant et virtutem ejus.

3. Non igitur exsors est caro sapientiae et virtutis Dei. Nam virtus ejus quae vitam praestat, in

infirmitate perficitur, id est in carne. Dicant autem nobis, qui dicunt non esse capacem carnem illius vitae quae datur a Deo, utrum viventes nunc, et participantes vitam dicunt haec; an in totum vitae quidem habentes nihil, mortuos autem semetipsos in praesenti confitebuntur? Et si quidem mortui, quomodo et moventur, et loquuntur, et reliqua faciunt, quae non mortuorum, sed vivorum sunt opera? Si autem vivunt nunc, et totum illorum corpus participat vitae, quomodo audent dicere non esse carnem participatricem vitae, confitentes habere se vitam in praesenti? Simile est quemadmodum si quis spongiam aquae plenam tenens, vel faculam ignis, non posse participare aquae dicat spongiam, neque faculam igni. Eo modo et hi vivere se dicentes, et portare vitam dicentes, et in suis membris exsultantes, postea sibimetipsis contrarii exsistentes, dicunt non esse membra ipsorum percapabilia vitae. Si autem haec, quae est temporalis vita, cum sit multo infirmior quam illa aeterna vita, tamen tantum potens est, ut vivificet nostra membra mortalia; cur illa, quae est aeterna vita, non vivificabit eam carnem, quae jam meditata et assueta sit portare vitam? Quoniam autem participatrix vitae sit caro, ex hoc quod vivat, ostenditur: vivit enim, in quantum eam Deus vult vivere. Quoniam autem et Deus potens est praestare ei vitam, manifestum est. Illo enim praestante vitam nobis, vivimus. Et Dominus itaque cum sit potens vivificare plasma suum, et caro cum possit vivificari; quid superest quod

prohibeat eam percipere incorruptelam, quae est longa et sine fine a Deo attributa vita?

CAPUT IV

Falluntur qui, praeter mundi fabricatorem, alterum Deum Patrem confingunt; quem infirmum et inutilem, aut malignum et invidum esse necesse est, si corporibus nostris vitam aeternam praestare vel non possit, vel nolit.

1. Latent autem semetipsos, qui alterum affingunt Patrem, praeter Demiurgum, et bonum eum vocant; infirmum, et inutilem, et negligentem inferentes eum; ut non dicamus, quoniam lividum et invidum, in eo quod dicant non vivificari ab eo nostra corpora. Cum enim dicant ea quae omnibus sunt manifesta, quoniam perseverant immortalia, utputa spiritus et anima, et quae sunt talia, quoniam vivificantur a Patre; aliud autem quod non alias vivificatur, nisi illi Deus praestet, vita derelinqui: aut impotentem et infirmum ostendit Patrem ipsorum, aut invidum et lividum. Demiurgo enim et hic vivificante mortalia corpora nostra, et resurrectionem eis per prophetas promittente, quemadmodum ostendimus; quis potentior, et fortior, et vere bonus ostenditur? utrum Demiurgus, qui totum vivificat hominem; an falso cognominatus ipsorum Pater? Qui ea quidem quae sunt natura immortalia, quibus a sua natura adest vivere, fingit se vivificare; quibus autem opus est ab eo adjutorium ut vivant, non vivificans illa benigne, sed relinquens illa negligenter in mortem. Utrum ergo et his vitam Pater ipsorum, cum possit praestare, non praestat, an

cum non possit? Si quidem cum non possit, jam non potens est, neque perfectus super Demiurgum: Demiurgus enim praestat, quemadmodum adest videre, quod ille non potest praestare. Si autem cum possit praestare, non praestat; jam non bonus ostenditur, sed invidus et malignus Pater.

2. Si autem et causam aliquam dixerint, per quam non vivificat corpora Pater ipsorum; ipsam causam majorem necesse est apparere quam Patrem, obtinentem benignitatem ejus; et infirmabitur benignitas ejus, propter causam eam quae ab ipsis dicitur. Quoniam autem possunt corpora percipere vitam, omnibus videre est. Vivunt enim in quantum ea Deus vult vivere; et jam non possunt dicere, quod minime valeant vitam capere. Si igitur propter necessitatem et causam aliam quamdam non vivificantur, quae possunt participare vitam; erit necessitati et causae serviens Pater ipsorum, et non jam liber et suae potestatis in sententia.

CAPUT V

Priscorum vita longaeva, Eliae et Enoch cum propriis corporibus translatio, una cum Jonae, Ananiae, Azariae et Misaelis in summis periculis conservatione, evidenter ostendunt, Deum excitare posse corpora nostra ad vitam aeternam.

1. Quoniam autem multo tempore perseverant corpora, in quantum placuit Deo bene habere; legant Scripturas, et invenient eos qui ante nos fuerunt, septingentos, et octingentos, et nongentos annos supergressos: et consequebantur

corpora ipsorum longinquitatem dierum, et participabant vitam, in quantum ea Deus vivere volebat. Quid autem de illis dicamus? Quandoquidem Enoch placens Deo, in quo placuit corpore translatus est, translationem justorum praemonstrans. Et Elias, sicut erat in plasmatis substantia, assumptus est, assumptionem patrum prophetans: et nihil impediit eos corpus in translationem et assumptionem eorum. Per illas enim manus, per quas in initio plasmati sunt, per ipsas assumptionem et translationem acceperunt. Assuetae enim erant in Adam manus Dei coaptare, et tenere, et bajulare suum plasma, et ferre, et ponere ubi ipsae vellent. Ubi ergo primus positus est homo? scilicet in paradiso, quemadmodum Scriptura dicit: « Et plantavit Deus paradisum in Eden contra orientem, et posuit ibi hominem quem plasmavit. » Et inde projectus est in hunc mundum, non obediens. Quapropter dicunt presbyteri, qui sunt apostolorum discipuli, eos qui translati sunt, illuc translatos esse (justis enim hominibus, et Spiritum habentibus praeparatus est paradisus, in quem et Paulus apostolus asportatus audivit sermones inenarrabiles, quantum ad nos in praesenti); et ibi manere eos qui translati sunt usque ad consummationem, coauspicantes incorruptelam.

2. Si autem quis impossibile aestimet tantis temporibus permanere homines, et Eliam non in carne assumptum, consumptam autem carnem ejus in igneo curru; intendat, quoniam Jonas quidem in profundum projectus est, et in ventrem ceti absorptus, salvus iterum exsputus est

terrae jussu Dei. Ananias etiam, et Azarias et Mizael missi in caminum ignis septuplum exardentem, neque nociti sunt aliquid, neque odor ignis inventus est in eis. Quae igitur adfuit illis manus Dei, et inopinata, et impossibilia naturae hominis in eis perficiens; quid mirum, si in his qui translati sunt, effecit aliquid inopinatum, deserviens voluntati Patris? Hic est autem Filius Dei, quemadmodum Scriptura ait dixisse Nabuchodonosor regem: « Nonne tres viros misimus in caminum? et ecce, ego video quatuor deambulantes in medio ignis, et quartus similis est Filio Dei. » Neque igitur natura alicujus eorum quae facta sunt, neque infirmitas carnis fortior erit super voluntatem Dei. Non enim Deus his quae facta sunt, sed ea quae facta sunt, subjecta sunt Deo: et omnia serviunt voluntati ejus.

Quapropter et Dominus ait: « Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. » Quemadmodum igitur his qui nunc sunt hominibus, ignorantibus dispositionem Dei, incredibile et impossibile videtur, tantos annos aliquem hominem posse vivere; et vixerunt hi qui ante nos fuerunt, et vivunt qui translati sunt, ad exemplum futurae longitudinis dierum; et de ventre ceti, et de camino ignis salvos exiisse, et tamen exierunt, educti velut manu Dei, ad ostensionem virtutis ejus: sic et nunc, quamvis quidam ignorantes virtutem et promissionem Dei, contradicant suae saluti, impossibile existimantes posse Deum suscitantem corpora in sempiternum perseverationem eis donare; non tamen incredulitas talium evacuabit fidem Dei.

CAPUT VI

Integrum et perfectum hominem, corpore et anima constantem et conjunctum, salvum faciet Deus, cum eum Verbum assumpserit, et donis Spiritus sancti ornaverit, cujus corpora nostra templa sunt et dicuntur.

1. Glorificabitur autem Deus in suo plasmate, conforme illud et consequens suo puero adaptans. Per manus enim Patris, id est per Filium et Spiritum fit homo secundum similitudinem Dei, sed non pars hominis. Anima autem et spiritus pars hominis esse possunt, homo autem nequaquam: perfectus autem homo, commistio et adunitio est animae assumentis Spiritum Patris, et admista ei carni, quae est plasmata secundum imaginem Dei. Propter quod et Apostolus ait: « Sapientiam loquimur inter perfectos; » perfectos dicens eos qui perceperunt Spiritum Dei, et omnibus linguis loquuntur per Spiritum Dei, quemadmodum et ipse loquebatur. Quemadmodum et multos audivimus fratres in Ecclesia, prophetica habentes charismata, et per Spiritum universis linguis loquentes, et absconsa hominum in manifestum producentes ad utilitatem, et mysteria Dei enarrantes, quos et spirituales Apostolus vocat: secundum participationem Spiritus exsistentes spirituales, sed non secundum defraudationem et interceptionem carnis, et nude hoc ipsum solum.

Si enim substantiam tollat aliquis carnis, id est plasmatis, et nude ipsum solum spiritum intelligat, jam non spiritualis homo est, quod est

tale, sed spiritus hominis aut Spiritus Dei. Cum autem Spiritus hic commistus animae unitur plasmati; propter effusionem Spiritus, spiritualis et perfectus homo factus est: et hic est qui secundum imaginem et similitudinem factus est Dei. Si autem defuerit animae Spiritus, animalis est vere, qui est talis, et carnalis derelictus imperfectus erit; imaginem quidem habens in plasmate, similitudinem vero non assumens per Spiritum. Sicut autem hic imperfectus est; sic iterum si quis tollat imaginem, et spernat plasma, jam non hominem intelligere potest, sed aut partem aliquam hominis, quemadmodum praediximus, vel aliud aliquid praeter hominem. Neque enim plasmatio carnis ipsa secundum se homo perfectus est; sed corpus hominis, et pars hominis. Neque enim et anima ipsa secundum se homo; sed anima hominis, et pars hominis. Neque Spiritus homo: Spiritus enim, et non homo vocatur. Commistio autem et unitio horum omnium, perfectum hominem efficit.

Et propter hoc Apostolus seipsum exponens, explanavit perfectum et spiritualem salutis hominem, in prima Epistola ad Thessalonicenses dicens sic: « Deus autem pacis sanctificet vos perfectos, et integer vester spiritus, et anima, et corpus sine querela in adventum Domini Jesu Christi servetur. » Et quam utique causam habebat his tribus, id est animae, et corpori, et spiritui, integram et perfectam perseverationem precari in adventum Domini, nisi redintegrationem et adunitionem trium, et unam et eamdem ipsorum sciebat salutem? Propter quod et perfectos ait

eos, qui tria sine querela exhibent Domino. Perfecti igitur, qui et Spiritum in se perseverantem habuerint Dei, et animas et corpora sine querela servaverint; Dei, id est illam quae ad Deum est fidem servantes, et eam quae ad proximum est justitiam custodientes.

2. Unde et templum Dei plasma esse ait: « Nescitis, dicens, quoniam templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos; » manifeste corpus templum dicens, in quo habitat Spiritus. Quemadmodum et Dominus de se ait: « Solvite hoc templum, et in tribus diebus suscitabo illud. Hoc autem, inquit, dicebat de corpore suo. » Et non tantum templum, sed et templum Christi scit corpora nostra, Corinthiis dicens sic: « Nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? » Non de alio quodam homine spiritali dicens haec; non enim ille complectitur meretricem: sed corpus nostrum (id est caro quae cum sanctimonia perseverat et munditia), membra dixit esse Christi; quando autem complectitur meretricem, membra fieri meretricis. Et propter hoc dixit: « Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. » Templum igitur Dei, in quo Spiritus inhabitat Patris, et membra Christi non participare salutem, sed in perditionem redigi dicere, quomodo non maximae est blasphemiae? Quoniam autem corpora nostra, non ex sua substantia, sed ex Dei virtute suscitantur, Corinthiis dicit: « Corpus autem non fornicatio-

ni, sed Domino: et Dominus corpori. Deus autem et Dominum suscitavit, et nos suscitabit per virtutem suam. »

CAPUT VII

Quia Christus in carne nostra resurrexit, consequitur nos in eadem resurrecturos; cum etiam resurrectio nobis promissa ad spiritus naturaliter immortales referri non debeat, sed ad corpora ex se mortalia.

1. Quomodo igitur Christus in carnis substantia surrexit, et ostendit discipulis figuras clavorum, et apertionem lateris (haec autem sunt indicia carnis ejus, quae resurrexit a mortuis): sic « et nos, » inquit, « suscitabit per virtutem suam. » Et iterum ad Romanos ait: « Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra. » Quae sunt ergo mortalia corpora? Nunquidnam animae? Sed incorporales animae, quantum ad comparationem mortalium corporum. « Insufflavit » enim « in faciem hominis » Deus « flatum vitae, et factus est homo in animam viventem: » flatus autem vitae incorporalis. Sed ne mortalem quidem possunt dicere ipsum flatum vitae exsistentem. Et propter hoc David ait: « Et anima mea illi vivet; » tanquam immortali substantia ejus exsistente. Sed neque spiritum possunt dicere mortale corpus. Quid igitur superest dicere mortale corpus, nisi plasma, id est caro, de qua et sermo est, quoniam vivificabit eam Deus? Haec enim est quae moritur, et solvitur; sed non anima, neque spiri-

tus. Mori enim est vitalem amittere habilitatem, et sine spiramine in posterum, et inanimalem, et immemorabilem fieri, et deperire in illa, ex quibus et initium substantiae habuit. Hoc autem neque animae evenit, flatus est enim vitae; neque spiritui, incompositus est enim et simplex spiritus, qui resolvi non potest, et ipse vita est eorum qui percipiunt illum. Superest igitur ut circa carnem mors ostendatur: quae posteaquam exierit anima, sine spiratione et inanimal efficitur, et paulatim resolvitur in terram ex qua sumpta est. Haec igitur mortalis. Haec autem de qua et dicit: « Vivificabit et mortalia corpora vestra. » Et propter hoc ait de ea in prima ad Corinthios: « Sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. » Etenim « tu, ait, quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur. »

2. Quid est autem quod ut granum tritici seminatur, et putret in terra, nisi corpora quae in terra ponuntur, in qua et semina jactantur? Et propter hoc dixit: « Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. » Quid enim ignobilius carne mortua? Vel quid iterum gloriosius surgente ea, et percipiente incorruptelam? « Seminatur in infirmitate, surgit in virtute: » in infirmitate quidem sua, quoniam cum sit terra, in terram vadit; virtute autem Dei, qui eam suscitat a mortuis. « Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. » Indubitate docuit, quoniam neque de anima, neque de spiritu sermo est ei, sed de mortificatis corporibus. Haec sunt enim corpora animalia, id est participantia animae; quam cum amiserint, mor-

tificantur: deinde per Spiritum surgentia, fiunt corpora spiritualia, uti per Spiritum semper permanentem habeant vitam. « Nunc enim, inquit, ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus: tunc autem facie ad faciem. » Hoc est quod et a Petro dictum est: « Quem cum non videritis, diligitis; in quem nunc quoque non videntes creditis, credentes autem exsultabitis gaudio inenarrabili. » Facies enim nostra videbit faciem Dei vivi, et gaudebit gaudio inenarrabili; videlicet cum suum videat gaudium.

CAPUT VIII

Dona Spiritus sancti, quae recipimus, praeparant nos ad incorruptelam, spiritualesque reddunt, et a carnalibus discernunt: qui mundis et immundis animalibus in lege significantur.

1. Nunc autem partem aliquam a Spiritu ejus sumimus, ad perfectionem et praeparationem incorruptelae, paulatim assuescentes capere et portare Deum: quod et pignus dixit Apostolus (hoc est pars ejus honoris qui a Deo nobis promissus est), in Epistola quae ad Ephesios est, dicens: « In quo et vos, audito verbo veritatis, Evangelio salutis vestrae, in quo credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae. » Sic ergo pignus hoc habitans in nobis jam spirituales efficit, et absorbetur mortale ab immortalitate: « Vos enim, ait, non estis in carne, sed in Spiritu, si quidem Spiritus Dei habitat in vobis. » Hoc autem non secundum jacturam carnis, sed secundum communionem Spiritus fit. Non enim erant sine carne, quibus

scribebat; sed qui assumpserant Spiritum Dei, « in quo clamamus: Abba, Pater. » Si igitur nunc pignus habentes clamamus, « Abba, Pater; » quid fiet quando resurgentes, facie ad faciem videbimus eum; quando omnia membra affluenter exsultationis hymnum protulerint, glorificantia eum, qui suscitaverit ea ex mortuis, et aeternam vitam donaverit? Si enim pignus complectens hominem in semetipsum, jam facit dicere, « Abba, Pater, » quid faciet universa Spiritus gratia, quae hominibus dabitur a Deo? Similes nos ei efficiet, et perficiet voluntate Patris; efficiet enim hominem secundum imaginem et similitudinem Dei.

2. Qui ergo pignus Spiritus habent et non concupiscentiis carnis serviunt, sed subjiciunt semetipsos Spiritui, ac rationabiliter conversantur in omnibus; juste Apostolus spirituales vocat, quoniam Spiritus Dei habitat in ipsis. Incorporales autem spiritus non erunt homines spirituales; sed substantia nostra, id est, animae et carnis adunatio assumens Spiritum Dei, spiritualem hominem perficit. Eos autem qui abjiciunt quidem Spiritus consilium, carnis autem voluptatibus serviunt, et irrationabiliter vivunt, et ineffrenati dejiciuntur in sua desideria, quippe nullam habentes aspirationem divini Spiritus, sed porcorum et canum more vivunt; hos juste Apostolus carnales vocat, quoniam nihil aliud quam carnalia sentiunt. Et prophetae autem propter hanc eamdem causam irrationabilibus animalibus assimilant eos, propter irrationalem conversationem ipsorum dicentes: « Equi furentes ad feminas facti sunt, unusquisque ipsorum

hinniens ad uxorem proximi sui. » Et rursus: « Homo cum in honore esset, assimilatus est jumentis. » Hoc quia secundum suam causam assimilatur jumentis, irrationabilem aemulans vitam. Sed et nos in consuetudine hujusmodi homines jumenta et pecora irrationabilia dicimus.

3. Praedixit autem figuraliter omnia haec lex, de animalibus delineans hominem; quaecunque, inquit, duplicem ungulam habent et ruminant, munda enuntians; quaecunque autem aut utrumque, vel alterum horum non habent, velut immunda segregans. Qui sunt ergo mundi? Qui in Patrem et Filium per fidem iter firmiter faciunt; haec est enim firmitas eorum, qui duplicis sunt ungulae: et eloquia Dei meditantur die ac nocte, uti operibus bonis adornentur; haec est enim ruminantium virtus. Immunda autem, quae neque duplicem ungulam habent, neque ruminant, hoc est, qui neque in Deum fidem habent, neque eloquia ejus meditantur; haec autem ethnicorum est abominatio. Quae autem ruminant quidem, non habent autem ungulam duplicem, et ipsa immunda; haec Judaeorum est imaginalis descriptio, qui quidem eloquia Dei in ore habent, stabilitatem autem radicis suae non infigunt in Patre et in Filio: propter hoc autem et lubricum est genus ipsorum. Etenim quae sunt unius ungulae animalia facile labuntur; firmiora autem sunt quae duplicem ungulam habent, succedentibus invicem ungulis fissis secundum iter, et altera ungula subbajulant aliam. Immunda autem similiter, quae duplicem quidem ungulam habent, non autem ruminant: haec est autem omnium vi-

delicet haereticorum ostensio, et eorum qui non meditantur eloquia Dei, neque operibus justitiae adornantur, quibus et Dominus ait: « Quid mihi dicitis: Domine, Domine, et non facitis quae dico vobis? » Qui enim sunt tales, in Patrem quidem et Filium dicunt se credere, nunquam autem meditantur eloquia Dei, quemadmodum oportet, neque justitiae operibus sunt adornati; sed, quemadmodum praediximus, porcorum et canum assumpserunt vitam, immunditiae, et gulae, et reliquae incuriae semetipsos tradentes. Juste igitur tales omnes, qui propter suam incredulitatem et luxuriam non adipiscuntur divinum Spiritum, et variis characteribus ejiciunt se vivificans Verbum, et in suis concupiscentiis irrationabiliter ambulant, Apostolus quidem « carnales » et « animales » vocavit; prophetae autem jumenta et feras dixerunt; consuetudo autem pecora et irrationabilia interpretata est; lex autem immundos enuntiavit.

CAPUT IX

Quomodo intelligendus sit locus Apostoli, quo haeretici abutebantur: « Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt. »

1. Hoc autem est quod et in aliis ab Apostolo dicitur: « Quoniam caro et sanguis regnum Dei haereditare non possunt. » Id est quod ab omnibus haereticis profertur in amentiam suam, ex quo et nos retardare, et ostendere conantur, non salvari plasmationem Dei; non conspicientes quia sunt tria, ex quibus, quemadmodum ostendimus, perfectus homo constat, carne, anima et

spiritu: et altero quidem salvante et figurante, qui est spiritus; altero quod unitur et formatur, quod est caro; id vero quod inter haec est duo, quod est anima; quae aliquando quidem subsequens spiritum, elevatur ab eo; aliquando autem consentiens carni, decidit in terrenas concupiscentias. Quotquot ergo id quod salvat et format, et unitatem non habent, hi consequenter erunt et vocabuntur caro et sanguis; quippe qui non habent Spiritum Dei in se. Propter hoc autem et mortui tales dicti sunt a Domino: « Sinite enim, » inquit, « mortuos sepelire mortuos suos; » quoniam non habent spiritum qui vivificet hominem.

2. Quotquot autem timent Deum, et credunt in adventum Filii ejus, et per fidem constituunt in cordibus suis Spiritum Dei, hi tales juste homines dicentur, et mundi, et spirituales, et viventes Deo: quia habent spiritum Patris, qui emundat hominem et sublevat in vitam Dei. Sicut enim « caro infirma, » sic « spiritus promptus » a Domino testimonium accepit. Hic est potens perficere quaecunque in promptu habet. Si igitur hoc, quod est promptum spiritus, admisceat aliquis velut stimulum infirmitati carnis, necesse est omnimodo, ut id quod est forte, superet infirmum, ita ut absorbeatur infirmitas carnis a fortitudine spiritus: et esse eum qui sit talis, non jam carnalem, sed spiritualem, propter spiritus communionem. Sic igitur martyres testantur et contemnunt mortem, non secundum infirmitatem carnis, sed secundum quod promptus est spiritus. Infirmitas enim carnis absorpta, potentem ostendit spiritum; spiritus autem rursus absor-

bens infirmitatem, haereditate possidet carnem in se: et ex utrisque factus est vivens homo; vivens quidem propter participationem spiritus, homo autem propter substantiam carnis.

3. Igitur caro sine Spiritu Dei mortua est, non habens vitam, regnum Dei possidere non potest: sanguis irrationalis, velut aqua effusa in terram. Et propter hoc ait: « Qualis terrenus, tales terreni. » Ubi autem spiritus Patris, ibi homo vivens, sanguis rationalis ad ultionem a Deo custoditus, caro a spiritu possessa, oblita quidem sui, qualitatem autem Spiritus assumens, conformis facta Verbo Dei. Et propterea ait: « Sicut portavimus imaginem ejus qui de terra est, portemus et imaginem ejus qui de coelo est. » Quid est ergo terrenum? Plasma. Quid autem coeleste? Spiritus. Sicut igitur, ait, sine Spiritu coelesti conversati sumus aliquando in vetustate carnis, non obedientes Deo: sic nunc accipientes Spiritum, in novitate vitae ambulemus, obedientes Deo. Quoniam igitur sine Spiritu Dei salvari non possumus, adhortatur Apostolus nos, per fidem et castam conversationem conservare Spiritum Dei, ut non sine participatione sancti Spiritus facti amittamus regnum coelorum: et clamavit, non posse carnem solam et sanguinem regnum Dei possidere.

4. Si enim oportet verum dicere, non possidet, sed possidetur caro; sicut et Dominus ait: « Beati mites, quoniam ipsi haereditate possidebunt terram; » quasi haereditate possideatur terra in regno, unde et substantia carnis nostrae est: et ideo mundum templum esse vult, ut delectetur

Spiritus Dei in eo, quemadmodum sponsus ad sponsam. Sicut igitur sponsa assumere sponsum non potest, assumi autem a sponso potest, cum venerit et acceperit eam sponsus: sic et caro haec secundum seipsam, id est sola, regnum Dei haereditate possidere non potest: haereditate autem possideri in regno a Spiritu potest. Haereditate enim possidet qui vivit ea quae sunt mortui: et aliud quidem est haereditate possidere, aliud autem haereditate possideri. Ille enim dominatur, et praeest, et disponit ea quae haereditate possidet, quemadmodum ipse velit; illa vero subjecta sunt, et obediunt, et dominantur ab eo, et sub dominio sunt ejus qui possidet. Quid igitur est quod vivit? scilicet Spiritus Dei. Quae sunt autem, quae sunt mortui? Scilicet membra hominis, quae et corrumpuntur in terra. Haec autem possidentur a Spiritu, translata in regnum coelorum. Propter hoc autem et Christus mortuus est, uti testamentum Evangelii apertum, et universo mundo lectum, primum quidem liberos faceret servos suos; post deinde haeredes eos constitueret eorum quae essent ejus, haereditate possidente Spiritu, quemadmodum demonstravimus. Haereditate enim possidet ille qui vivit, haereditate autem acquiritur caro. Ut non amittentes eum qui nos possidet Spiritum, amittamus vitam, adhortans nos Apostolus ad Spiritus communicationem, secundum rationem quae praedicta sunt, dixit: « Quoniam caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt. » Velut si dicat: Nolite errare; quoniam nisi Verbum Dei inhabitaverit, et Spiritus Patris fuerit in vobis, vane autem, et prout

evenit, conversati fueritis, quasi hoc tantum, caro et sanguis exsistentes, regnum Dei possidere non poteritis.

CAPUT X

Superiora probat similitudine ducta ab oleastro, cujus qualitas tantum, non natura per insitionem mutatur; ostendit quoque hominem sine Spiritu, nec fructus edere, nec regnum Dei possidere posse.

1. Hoc ideo, uti non gratificantes carni, respuamus insertionem spiritus: « Tu autem oleaster, ait, cum esses, insertus es in bonam olivam, et socius pinguedinis olivae factus es. » Quemadmodum igitur oleaster inserta si permanserit in eo, quod ante fuerit, oleaster, « exciditur, et in ignem mittitur; » si autem tenuerit insertionem, et transmutetur in bonam olivam, oliva fit fructifera, quasi in paradiso regis plantata: sic et homines, si quidem per fidem profecerint in melius, et assumpserint Spiritum Dei, et illius fructificationem germinaverint; erunt spirituales, tanquam in paradiso Dei plantati. Si autem respuerint spiritum, et perseveraverint in eo quod fuerunt ante, magis carnis esse volentes quam spiritus, justissime in ejusmodi dicitur, « quoniam caro et sanguis regnum Dei non possident: » tanquam si quis dicat, quoniam oleaster non assumitur in paradisum Dei. Mirabiliter igitur Apostolus naturam ostendit nostram, et universam dispositionem Dei, in eo sermone qui est de carne, et sanguine, et oleastro. Quemadmodum enim oliva neglecta, tempore quodam in desertum relicta, et

silvestria fructificans, secundum se oleaster fit; vel rursum oleaster diligentiam percipiens, et inserta, in pristinam naturae recurrit fructificationem: sic et homines in negligentia constituti, et concupiscentias carnis tanquam silvestria fructificantes, secundum suam causam infructuosi justitia constituuntur. In eo enim quod dormiunt homines, inseminat inimicus materiam zizaniae; et propter hoc Dominus discipulis suis vigilare praecepit. Et rursus qui infructuosi sunt a justitia, et velut sentibus obvoluti homines, si diligentiam percipiant; et velut insertionem accipientes verbum Dei, in pristinam veniunt hominis naturam, eam quae secundum imaginem et similitudinem facta est Dei.

2. Sed quemadmodum oleaster inserta, substantiam quidem ligni non amittit, qualitatem autem fructus immutat, et aliud percipit vocabulum, jam non oleaster, sed fructifera oliva exsistens edicitur: sic et homo per fidem insertus, et assumens Spiritum Dei, substantiam quidem carnis non amittit, qualitatem autem fructus operum immutat, et aliud accipit vocabulum, significans illam quae in melius est transmutationem; jam non caro et sanguis, sed homo spiritalis exsistens edicitur. Quemadmodum autem rursus oleaster, si non percipiat insertionem, perseverat inutilis suo domino per suam silvestrem qualitatem, et quasi infructuosum lignum exciditur, et in ignem mittitur; sic et homo non assumens per fidem spiritus insertionem, perseverat hoc esse quod erat ante: caro et sanguis exsistens, regnum Dei haereditate possidere non potest. Bene igitur

Apostolus ait: « Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt; » et: « Qui in carne sunt, Deo placere non possunt; » non substantiam rejiciens carnis, sed infusionem spiritus attrahens. Et propter hoc ait: « Oportet mortale istud induere immortalitatem; et corruptibile hoc induere incorruptelam. » Et iterum ait: « Vos autem non estis in carne, sed in spiritu, si quidem Spiritus Dei habitat in vobis. » Manifestius autem illud adhuc ostendit, dicens: « Corpus quidem mortuum propter peccatum, spiritus autem vita propter justitiam. Si autem spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. » Et rursus in ea Epistola quae est ad Romanos ait: « Si enim secundum carnem vivitis, incipietis mori: » non conversationem quae est in carne repellens ab eis; etenim ipse in carne cum esset, scribebat eis: sed concupiscentias abscindens carnis, eas quae mortificant hominem. Et propter hoc intulit: « Si autem spiritu opera carnis mortificatis, vivetis. Quicunque enim ducuntur Spiritu Dei, hi sunt filii Dei. »

CAPUT XI

De carnalium et spiritualium operibus, ablutioneque spirituali non ad corporum substantiam, sed pristinae vitae conversationem referenda.

1. Et ipsas autem operas manifestavit, quas dicit carnales, quae sint, praevidens calumniam infidelium; et ipse semetipsum exponens, ne re-

linqueretur quaestio his, qui infideliter retractant de eo, in ea Epistola quae est ad Galatas, sic dicens: « Manifesta autem sunt opera carnis, quae sunt adulteria, fornicationes, immunditia, luxuria, idololatria, veneficia, inimicitiae, contentiones, zeli, irae, aemulationes, animositates, irritationes, dissensiones, haereses, invidiae, ebrietates, comessationes, et his similia; quae praedico vobis, quemadmodum et praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. » Manifestius praedicans his qui audiunt, quid est: « Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt. » Qui enim illa agunt, vere secundum carnem ambulantes, vivere Deo non possunt. Et iterum spirituales actus intulit vivificantes hominem, id est insertionem spiritus, sic dicens: « Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas, benignitas, fides, lenitas, continentia, castitas: adversus haec non est lex. » Sicut igitur qui in melius profecerit, et fructum operatus fuerit spiritus, omnimodo salvatur propter spiritus communionem; sic et is qui remanserit in praedictis carnis operationibus, carnalis vere deputatus, eo quod non assumat Spiritum Dei, regnum non poterit possidere coelorum. Quemadmodum rursus ipse Apostolus testificatur: « An nescitis, dicens Corinthiis, quoniam injusti regnum Dei non haereditabunt? Nolite errare, ait, neque fornicarii, neque idololatrae, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et haec, ait, quidem

fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. » Manifestissime ostendit, per quae perit homo, si perseveraverit secundum carnem vivere; et per quae rursus salvatur. Ea autem quae salvant, ait esse nomen Domini nostri Jesu Christi, et Spiritum Dei nostri.

2. Quoniam igitur isthic numeravit eas, quae sunt sine spiritu, carnis operationes, quae sunt mortiferae; consequenter his quae praedicta sunt ab eo, in fine Epistolae ad summam exclamavit: « Sicut portavimus imaginem ejus qui de limo est, portemus et imaginem ejus qui de coelis est. Hoc enim dico, fratres, quoniam caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt. » Hoc autem quod ait: « Sicut portavimus imaginem ejus qui de limo est; » simile illi dicto est: « Et haec quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. » Quando igitur portavimus imaginem ejus qui est de limo? Scilicet quando hae, quae praedictae sunt, carnis operationes perficiebantur in nobis. Quando autem iterum imaginem coelestis? Scilicet quando ait: « Abluti estis » credentes « in nomine Domini, » et accipientes ejus Spiritum. Abluti autem sumus non substantiam corporis, neque imaginem plasmatis, sed pristinam vanitatis conversationem. In quibus igitur periebamus membris, operantes ea quae sunt corruptelae; in iisdem ipsis vivificamur, operantes ea quae sunt spiritus.

CAPUT XII

De differentia mortis et vitae, afflatus vitae et spiritus vivificantis; et quomodo eadem substantia carnis, quae mortua est, reviviscit.

1. Quemadmodum enim corruptelae est capax caro, sic et incorruptelae: et quemadmodum mortis, sic et vitae. Haec autem invicem cedunt, et utraque non permanent in idipsum, sed expellitur alterum ab altero, et praesente altero, interit alterum. Si igitur mors possidens hominem expulit ab eo vitam, et mortuum ostendit; multo magis vita possidens hominem expellit mortem, et viventem hominem restituet Deo. Si enim mors mortificavit, quare vita adveniens non vivificavit hominem? quemadmodum Isaias propheta ait: « Devoravit mors potens. » Et rursus: « Deus abstulit omnem lacrymam ab omni facie. » Explosa est autem pristina vita, quoniam non per spiritum, sed per afflatum fuerat data.

2. Aliud enim est afflatus vitae, qui et animalem efficit hominem; et aliud spiritus vivificans, qui et spiritalem efficit eum. Et propter hoc Isaias ait: « Sic dicit Dominus, qui fecit coelum et fixit illud, qui firmavit terram, et quae in ea sunt; et dedit afflatum populo, qui super eam est; et spiritum his qui calcant illam; » afflatum quidem communiter omni qui super terram est populo dicens datum: spiritum autem proprie his, qui inculcant terrenas concupiscentias. Propter quod rursus ipse Isaias distinguens quae praedicta sunt, ait: « Spiritus enim a me exiet, et afflatum omnem ego feci. » Spiritum quidem proprie in Deo deputans, quem in novissimis temporibus effudit per adoptionem filiorum in genus huma-

num: afflatum autem communiter in conditionem et facturam ostendens illum. Aliud autem est quod factum est, ab eo qui fecit. Afflatus igitur temporalis; spiritus autem sempiternus. Et afflatus quidem auctus ad modicum, et tempore aliquo manens, deinde abit, sine spiramento relinquens illud in quo fuit ante. Spiritus autem circumdans intus et foris hominem, quippe semper perseverans, nunquam relinquens eum. « Sed non primo quod spiritale est, » ait Apostolus (hoc tanquam ad nos homines dicens), « sed primo quod animale, deinde quod spiritale, » secundum rationem. Oportuerat enim primo plasmari hominem, et plasmatum accipere animam; deinde sic communionem Spiritus recipere. Quapropter et « primus Adam factus est » a Domino « in animam viventem, secundus Adam in spiritum vivificantem. » Sicut igitur qui in animam viventem factus est, divertens in pejus, perdidit vitam; sic rursus idem ipse in melius recurrens, assumens vivificantem spiritum, inveniet vitam.

3. Non enim aliud est quod moritur, et aliud quod vivificatur; quemadmodum neque aliud quod perit, et aliud quod invenitur; sed illam ipsam quae perierat ovem invenit Dominus exquirens. Quid ergo erat quod moriebatur? Utique carnis substantia, quae amiserat afflatum vitae, et sine spiramento et mortua facta. Hanc itaque Dominus venit vivificaturus; uti quemadmodum in Adam omnes morimur, quoniam animales, in Christum vivamus, quoniam spirituales, deponentes non plasma Dei, sed concupiscentias carnis, et assumentes Spiritum sanctum, sicut

Apostolus in Epistola quae est ad Colossenses ait: « Mortificate itaque membra vestra quae sunt super terram. » Quae sunt autem haec, ipse exposuit: « Fornicationem, immunditiam, passionem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quae est idololatria. » Horum depositionem Apostolus praeconatur, et eos qui talia operantur, velut carnem et sanguinem tantum exsistentes, non posse ait regnum coelorum possidere. Anima enim ipsorum declinans in pejus, et in terrenas concupiscentias descendens, ejusdem cujus et illa sunt, participavit appellationis: quae deponere nos jubens, ait rursus in eadem Epistola: « Exspoliantes vos veterem hominem cum operibus ejus. » Hoc autem dicebat, non veterem amovens plasmationem: alioquin oportebat nosmetipsos interficientes, separari ab ea quae est isthic conversatione.

4. Sed et ipse Apostolus, ille exsistens qui in vulva plasmatus erat, et de utero exierat, scribebat nobis: « Et vivere in carne fructus operis est; » confessus est in ea, quae est ad Philippenses, Epistola dicens: « Fructus autem » operis « Spiritus, » est carnis salus. Quis enim alius apparens fructus ejus est, qui non apparet Spiritus, quam maturam efficere carnem et capacem incorruptelae? « Si igitur vivere in carne, hic mihi fructus operis est, » non utique substantiam contemnebat carnis, in eo quod dixerat: « Spoliantes vos veterem hominem cum operibus ejus; » sed spoliationem pristinae nostrae conversationis manifestavit, eam quae veterascit et corrumpitur: et propter hoc intulit: « Et induentes novum

hominem, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit eum. » In eo ergo quod ait: « Qui renovatur in agnitionem, » demonstrabat quoniam ipse ille qui ignorantiae erat ante homo, id est ignorans Deum, per eam quae in eum est agnitionem renovatur. Agnitio enim Dei renovat hominem. Et in eo quod dicit: « Secundum imaginem conditoris, » recapitulationem manifestavit ejus hominis, qui in initio secundum imaginem factus est Dei.

5. Quoniam autem idem ipse erat Apostolus, qui ex utero generatus fuerat, hoc est antiqua carnis substantia, ipse in ea Epistola quae est ad Galatas, dixit: « Cum autem placuit Deo, qui me ex utero matris meae segregavit, et vocavit per gratiam suam, revelare Filium suum in me, ut evangelizarem eum in gentibus: » non alius erat qui natus fuerat ex utero, sicut praediximus, et alius qui evangelizabat Filium Dei; sed idem ille qui ante ignorabat et persequebatur Ecclesiam, revelatione ei de coelo facta, et colloquente cum eo Domino, quemadmodum in tertio libro ostendimus, evangelizabat Filium Dei Christum Jesum, qui sub Pontio Pilato crucifixus est, praeterita ignorantia exterminata a posteriore agnitione: quemadmodum caeci, quos curavit Dominus, caecitatem quidem amiserunt, perfectam autem receperunt substantiam oculorum, et iisdem ipsis quibus ante non videbant oculis, recipiebant visionem, caligine a visione tantum exterminata, servata autem substantia oculorum; ut per quos non viderant oculos, per eos rursus videntes, gratias agerent ei, qui rursus visum eis redintegravit;

et qui aridam curavit manum, et omnes omnino quos curavit, non ea, quae ab initio ex utero edita fuerant, membra mutaverunt; sed eadem ipsa salva recipiebant.

6. Fabricator enim universorum Dei Verbum, qui et ab initio plasmavit hominem, a malitia inveniens labefactatum suum plasma omni modo curavit: hoc quidem et secundum unumquodque membrum, sicut et in suo plasmate est; hoc autem et in semel totum sanum et integrum redintegravit hominem, perfectum eum sibi praeparans ad resurrectionem. Et quam enim causam habebat carnis membra curare, et restituere in pristinum characterem si non habebant salvari, quae ab illo curata fuerant? Si enim temporalis erat ab eo utilitas, nihil grande praestitit his qui ab eo curati sunt. Aut quomodo dicunt non esse capacem carnem vitae, quae est ab eo, quae percepit curationem ab eo? Vita enim per curationem, incorruptela autem per vitam efficitur. Qui igitur curationem confert, hic et vitam; et qui vitam, hic et incorruptela circumdat plasma suum.

CAPUT XIII

Maximum specimen resurrectionis habemus in mortuis a Christo suscitatis; cordaque nostra capacia esse vitae aeternae eo ostenduntur, quod nunc Spiritum Dei recipiant.

1. Dicant enim nobis hi qui contraria dicunt, id est, qui contradicunt suae saluti: summi sacerdotis mortua filia, et viduae filius qui circa portam mortuus efferebatur, et Lazarus qui in monumento quartam habebat diem, in quibus

resurrexerint corporibus? In iisdem ipsis scilicet, in quibus et mortui fuerant. Si enim non in iisdem ipsis, videlicet nec iidem ipsi qui mortui erant, resurrexerunt. Sed enim « apprehendit, ait, Dominus manum mortui, et dixit ei: Juvenis, tibi dico, surge: et sedit mortuus, et jussit ei dari manducare, et dedit eum matri suae. » Et Lazarum « vocavit voce magna, dicens: Lazare, veni foras: et exivit, inquit, mortuus, colligatus pedes et manus institis. » Hoc symbolum ejus hominis, qui illigatus fuerat in peccatis. Et propter hoc ait Dominus: « Solvite illum, et dimittite abire. » Sicut igitur qui curati sunt, in his quae ante passa fuerant membra, curati sunt; et mortui in iisdem surrexerunt corporibus, membris et corporibus ipsorum percipientibus curationem, et eam vitam quae dabatur a Domino, per temporalia praeformante aeterna, et ostendente quoniam ipse est qui et curationem plasmati suo, et vitam praestare potest, uti ejus de resurrectione quoque credatur sermo: sic et in fine « in novissima tuba » clamante Domino, resurrecturi sunt mortui, quemadmodum ipse ait: « Veniet hora, in qua omnes mortui, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis, et exient, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae: et qui mala operati sunt, in resurrectionem judicii. »

2. Vani igitur et vere infelices, qui sic manifesta et clara nolunt conspicere, sed fugiunt lumen veritatis, secundum tragicum Oedipodem semetipsos excaecantes. Et quemadmodum in palaestra insueti concertantes aliis, unam quamlibet partem corporis totis complectentes manibus, per

illud quod detinent, cadent, et cadentes putant se vincere, eo quod contentiose teneant illud quod primum apprehenderunt membrum, super hoc autem, quod ceciderunt, et derisui habentur: sic autem et haeretici: « Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, » duas dictiones tollentes a Paulo, neque sensum Apostoli perspexerunt, neque virtutem dictionum scrutati sunt; nude autem ipsas dictiones tenentes, circa eas moriuntur, universam dispositionem Dei, quantum in ipsis est, evertentes.

3. Sic enim proprie de carne hoc dictum dicent, et non de carnalibus operationibus, quemadmodum demonstravimus, ipsum sibi contraria Apostolum dicentem ostendentes. Ait enim statim in eadem Epistola demonstrative de carne sic dicens: « Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam, et mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, aculeus tuus? Ubi est, mors, victoria tua? » Haec autem juste dicentur tunc, quando mortalis haec et corruptibilis caro, circa quam et mors est, quae et quodam dominio mortis pressa est, in vitam conscendens, induerit incorruptelam et immortalitatem. Tunc enim vere erit victa mors, quando ea quae continetur ab ea caro, exierit de dominio ejus. Et rursus ad Philippenses ait: « Nostra autem conversatio in coelis est, unde et Salvatorem exspectamus Dominum Jesum, qui transfigurabit corpus humilitatis nostrae conforme corpori gloriae suae, ita ut possit secundum

operationem virtutis suae. » Quod igitur est humilitatis corpus, quod transfigurabit Dominus conformatum corpori gloriae suae? Manifestum est quoniam corpus quod est caro, quod et humiliatur cadens in terram. Transfiguratio autem ejus, quoniam cum sit mortalis et corruptibilis, immortalis fit et incorruptibilis; non secundum propriam substantiam, sed secundum Domini operationem, qui potest mortali immortalitatem, et corruptibili circumdare incorruptibilitatem. Et propter hoc ait in secunda ad Corinthios: « Ut absorbeatur mortale a vita. Qui autem perficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus; » manifestissime hoc de carne dicens: nec enim anima mortalis, neque spiritus. Absorbetur autem mortale a vita, quando et caro jam non mortua, sed viva et incorrupta perseveraverit, hymnum dicens Deo, qui in hoc ipsum perficit nos. Ut ergo in hoc perficiamur, bene Corinthiis ait: « Glorificate Deum in corpore vestro. » Deus incorruptibilitatis est effector.

4. Quoniam autem non de alio quodam corpore, sed de corpore carnis dicit haec, manifeste et indubitate, et sine ulla ambiguitate Corinthiis ait: « Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut vita Jesu Christi in corpore nostro manifestetur. Semper enim qui vivimus, in mortem tradimur per Jesum, ut et vita Jesu manifestetur in carne mortali nostra. » Et quoniam spiritus complectitur carnem, in eadem Epistola ait: « Quoniam estis epistola Christi, ministrata a nobis, inscripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis

cordis carnalibus. » Si ergo nunc corda carnalia capacia Spiritus fiunt; quid mirum si in resurrectione eam, quae a Spiritu datur, capiunt vitam? De qua resurrectione Apostolus in ea, quae est ad Philippenses, ait: « Conformis morti ejus, si quo modo occurram ad resurrectionem, quae est a mortuis. » In qua igitur alia mortali carne intelligi potest vita manifestari, nisi in hac substantia, quae et mortificatur propter eam, quae est ad Deum, confessionem? Quemadmodum ipse dixit: « Si secundum hominem cum bestiis Ephesi pugnavi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Si enim mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit; si autem Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est et fides vestra. Invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testificamur, quod suscitavit Christum, quem non suscitavit. Si enim mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est fides vestra: quoniam adhuc estis in peccatis vestris. Ergo et qui dormierunt, in Christo, perierunt. Si in vita hac in Christo sperantes sumus tantum, miserabiliores omnibus sumus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium: quoniam enim per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. »

5. In his igitur omnibus, quemadmodum praediximus, aut contraria sentientem sibimetipsi Apostolum dicent, quantum ad illud, « Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt: » aut iterum malignas et extortas cogentur omnium dictorum facere expositiones, ad transver-

tendam et immutandam sententiam dictorum. Quid enim dicere habebunt sanum, si conabuntur aliter interpretari hoc quod scribit: « Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam, et mortale hoc induere immortalitatem; » et: « Ut vita Jesu manifestetur in carne mortali nostra; » et reliqua omnia, in quibus Apostolus manifeste et clare resurrectionem et incorruptelam carnis praedicat? Cogentur itaque haec tanta male interpretari, qui unum nolunt bene intelligere.

CAPUT XIV

Nisi caro servanda esset, carnem ejusdem substantiae cum nostra Verbum non assumpsisset; quapropter nec per ipsum essemus reconciliati.

1. Quoniam autem non adversus ipsam substantiam carnis et sanguinis dixit Apostolus, non possidere regnum Dei, ubique idem Apostolus in Domino Jesu Christo usus est carnis et sanguinis nomine; aliquid quidem, uti hominem ejus statueret (etenim ipse semetipsum Filium dicebat hominis); aliquid autem, uti salutem carnis nostrae confirmaret. Si enim non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset. Et si non haberet sanguis justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus. Sed quoniam ab initio vocalis est sanguis, Deus ad Cain dixit, cum occidisset fratrem suum: « Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. » Et quoniam haberet exquiri sanguis ipsorum, dixit ad eos qui circa Noe erant: « Etenim vestrum sanguinem animarum vestrarum exquiram illum

de manu omnium bestiarum. » Et iterum: « Qui effundet sanguinem hominis, pro sanguine ejus effundetur. » Similiter autem et Dominus his, qui habebant ejus sanguinem effundere, dicebat: « Exquiretur omnis sanguis justus, qui effunditur super terram, a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae, quem occidistis inter templum et altare; etiam dico vobis, venient omnia ista super generationem istam. » Recapitulationem effusionis sanguinis ab initio omnium justorum et prophetarum, in semetipsum futuram indicans, et exquisitionem sanguinis ipsorum per semetipsum. Non autem exquireretur hoc, nisi et salvari haberet; nec in semetipsum recapitulatus esset haec Dominus, nisi et ipse caro et sanguis secundum principalem plasmationem factus fuisset, salvans in semetipso in fine illud, quod perierat in principio in Adam.

2. Si autem ob aliam quamdam dispositionem Dominus incarnatus est, et ex altera substantia carnem attulit, non ergo in semetipsum recapitulatus est se hominem; adhuc etiam nec caro quidem dici potest. Caro enim vere primae plasmationis e limo facta est successio. Si autem ex alia substantia habere eum oportuit materiam, ab initio ex altera substantia Pater operatus fuisset fieri conspersionem ejus. Nunc autem quod fuit, qui perierat, homo, hoc salutare factum est Verbum; per semetipsum eam, quae esset ad eum, communionem, et exquisitionem salutis ejus efficiens. Quod autem perierat, sanguinem et carnem habebat. Limum enim de terra accipiens Dominus, plasmavit hominem; et propter hunc

omnis dispositio adventus Domini. Habuit ergo et ipse carnem et sanguinem; non alteram quamdam, sed illam principalem Patris plasmationem in se recapitulans, exquirens id quod perierat. Et propter hoc Apostolus in Epistola quae est ad Colossenses ait: « Et vos cum essetis aliquando alienati, et inimici cogitationi ejus in operibus malis, nunc autem reconciliati in corpore carnis ejus, per mortem ejus, exhibere vos sanctos, et castos, et sine crimine in conspectu ejus. In corpore, ait, reconciliati carnis ejus; » hoc quoniam justa caro reconciliavit eam carnem, quae in peccato detinebatur, et in amicitiam adduxit Deo.

3. Si quis igitur secundum hoc alteram dicit Domini carnem a nostra carne, quoniam illa quidem non peccavit, neque inventus est dolus in anima ejus, nos autem peccatores, recte dicit. Si autem alteram substantiam carnis Domino affingit, jam non constabit illi reconciliationis sermo. Reconciliatur enim illud, quod fuit aliquando in inimicitia. Si autem ex altera substantia carnem attulit Dominus, jam non illud reconciliatum est Deo, quod per transgressionem factum fuerat inimicum. Nunc autem per eam, quae est ad se, communicationem, reconciliavit Dominus hominem Deo Patri; reconcilians nos sibi per corpus carnis suae, et sanguine suo redimens nos, quemadmodum Apostolus Ephesiis ait: « In quo habuimus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. » Et rursus eisdem: « Vos, inquit, qui aliquando eratis longe, facti estis juxta, in sanguine Christi. » Et iterum: « Inimicitias in carne sua, legem praeceptorum

decretis evacuans. » Et in omni autem Epistola manifeste testificatur Apostolus, quoniam per carnem Domini nostri et sanguinem ejus nos salvati sumus.

4. Si igitur caro et sanguis sunt, quae faciunt nobis vitam, non proprie de carne dictum est et sanguine, non posse ea possidere regnum Dei; sed de praedictis carnalibus actibus, qui ad peccatum transvertentes hominem, privant eum vita. Et propter hoc in Epistola quae est ad Romanos ait: « Non ergo regnet peccatum in corpore mortali vestro ad obediendum ei; neque exhibeatis membra vestra arma injustitiae peccato; sed exhibete vosmetipsos Deo, velut a mortuis viventes, et membra vestra arma justitiae Deo. » Quibus igitur membris serviebamus peccato, et fructificabamus morti, iisdem ipsis membris servire nos vult justitiae, ut fructificemus vitae. Memor igitur, dilectissime, quoniam carne Domini nostri redemptus es, et sanguine ejus redhibitus, « et tenens caput, ex quo universum corpus » Ecclesiae « compaginatum augescit, » hoc est, carnalem adventum Filii Dei, et Deum confitens, et hominem ejus firmiter excipiens, utens etiam his ostensionibus, quae sunt ex Scripturis, facile evertis, quemadmodum demonstravimus, omnes eas, quae postea affictae sunt, haereticorum sententias.

CAPUT XV

Testimoniis Isaiae et Ezechielis probat resurrectionem, eumdemque Deum nos resuscitaturum esse, qui creavit.

1. Quoniam autem is qui ab initio condidit hominem, post resolutionem ejus in terram promisit ei secundam generationem, Isaias quidem sic ait: « Resurgent mortui, et surgent qui in monumentis, et laetabuntur qui sunt in terra. Ros enim qui a te est, sanitas est eis: » Et iterum: « Ego vos advocabo, et in Jerusalem advocabimini, et videbitis, et gratulabitur cor vestrum, et ossa vestra quasi herba orientur, et cognoscetur manus Domini his qui colunt eum. » Et Ezechiel autem sic: « Et facta est super me manus Domini, et eduxit me in spiritu Dominus, et posuit me in medio campi, et hic erat plenus ossibus, et circumduxit me super ea in circuitum in gyro, et ecce multa super faciem campi arida valde. Et dixit ad me: Fili hominis, si vivunt ossa haec? Et dixi: Domine, tu scis, qui fecisti haec. Et dixit ad me: Prophetare super ossa haec, et dices eis: Ossa arida, audite sermonem Domini. Haec dicit Dominus ossibus his: Ecce ego superduco super vos spiritum vitae, et dabo super vos nervos, et reduco super vos carnem, et extendam super vos cutem, et dabo spiritum meum in vos, et vivetis, et cognoscetis quia ego sum Dominus. Et prophetavi, sicut praecepit mihi Dominus. Et factum est cum prophetarem, et ecce terrae motus, et adducebantur ossa unumquodque ad compaginem suam; et vidi, et ecce super ea nervi et carnes nascebantur, et ascendebant super ea cutes desuper, et spiritus non erat in eis. Et dixit ad me: Ad spiritum propheta, fili hominis, et dic spiritui: Haec dicit Dominus: A quatuor spiritibus veni, et insuffla in mortuos istos, et vivant. Et prophe-

tavi, quemadmodum praecepit mihi Dominus, et intravit in eos spiritus, et vixerunt, et steterunt supra pedes suos collectio multa valde. »

Et rursus ipse ait: « Haec dicit Dominus: Ecce ego aperiam monumenta vestra, et educam vos de monumentis vestris, et inducam vos in terram Israel, et cognoscetis quia ego sum Dominus, cum aperiam ego sepulcra vestra, ut reducam de sepulcris populum meum, et dabo spiritum meum in vos, et vivetis, et ponam vos in terram vestram, et cognoscetis quia ego Dominus. Locutus sum, et faciam, dicit Dominus. » Demiurgo itaque et hic vivificante corpora nostra mortua, quemadmodum videre adest, et resurrectionem eis repromittente, et de sepulcris et monumentis suscitationem, et incorruptelam donante: « Secundum enim lignum vitae, ait, dies ipsorum erunt; » hic solus Deus ostenditur, qui haec facit, et ipse bonus Pater, benigne vitam donans his, qui ex se non habeant vitam.

2. Et propter hoc manifestissime Dominus ostendit se, et Patrem quidem suis discipulis; ne scilicet quaererent alterum Deum, praeter eum qui plasmaverit hominem, et afflatum vitae donaverit ei; neque in tantam insaniam procederent, uti super Demiurgum alterum affingerent Patrem. Et ideo reliquos quidem omnes, quibuscunque propter transgressionem eorum eveniebant languores, curabat sermone; quibus et dicebat: « Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat; » manifestans quoniam propter inobedientiae peccatum subsecuti sunt languores hominibus. Ei autem qui caecus fuerat

a nativitate, jam non per sermonem, sed per operationem praestitit visum; non vane, neque prout evenit hoc faciens, sed ut ostenderet manum Dei, eam quae ab initio plasmavit hominem. Et propterea interrogantibus eum discipulis, qua ex causa caecus natus esset, utrumne sua, an parentum culpa? ait: « Nec hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in ipso. » Opera autem Dei plasmatio est hominis. Hanc enim per operationem fecit, quemadmodum Scriptura ait: « Et sumpsit Dominus limum de terra, et plasmavit hominem. » Quapropter et Dominus exspuit in terram, et fecit lutum, et superlinivit illud oculis; ostendens antiquam plasmationem quemadmodum facta est, et manum Dei manifestans his qui intelligere possint, per quam e limo plasmatus est homo. Quod enim in ventre plasmare praetermisit artifex Verbum, hoc in manifesto adimplevit; uti manifestarentur opera Dei in ipso, nec jam alteram requireremus manum, per quam plasmatus est homo, neque alterum Patrem; scientes quoniam quae plasmavit nos initio, et plasmat in ventre manus Dei, haec in novissimis temporibus perditos exquisivit nos, suam lucrifaciens, et super humeros assumens ovem perditam, et cum gratulatione in cohortem restituens vitae.

3. Quoniam autem in ventre plasmat nos Verbum Dei, ait Jeremiae: « Priusquam plasmarem te in utero, novi te, et priusquam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in gentibus posui te. » Sed et Paulus similiter ait: « Quando autem complacuit ei, qui me segregavit ex utero matris

meae, uti evangelizarem eum in gentibus. » Cum ergo in ventre a Verbo plasmemur, idipsum Verbum ei, qui a nativitate caecus fuerat, formavit visionem; eum, qui in abscondito plasmator noster est, in manifesto ostendens, quoniam ipsum Verbum manifestum hominibus factum fuerat; et antiquam plasmationem Adae disserens, et quomodo factus est, et per quam plasmatus est manum, ex parte totum ostendens. Qui enim visionem formavit Dominus, hic est qui universum hominem formavit, voluntati Patris deserviens. Et quoniam in illa plasmatione, quae secundum Adam fuit, in transgressione factus homo indigebat lavacro regenerationis; postquam linivit lutum super oculos ejus, dixit ei: « Vade in Siloam, et lavare; » simul et plasmationem, et eam quae est per lavacrum regenerationem restituens ei. Et propter hoc lotus venit videns, ut et suum cognosceret plasmatorem, et disceret homo eum qui donavit ei vitam.

4. Excidunt itaque et hi qui a Valentino sunt, dicentes, non ex hac terra plasmatum esse hominem, sed a fluida materia et effusa. Ex qua enim terra Dominus ei formavit oculos, ex hac manifestum est quoniam et ab initio plasmatus est homo. Non enim consequens erat, aliunde quidem oculos, aliunde autem reliquum corpus plasmatum esse: quemadmodum nec consequens est, alterum quidem corpus, alterum vero plasmasse oculos. Sed idem ipse qui ab initio plasmavit Adam, cum quo et loquebatur Pater: « Faciamus hominem secundum imaginem et similitudinem nostram; » in novissimis temporibus semetip-

sum manifestans hominibus, ei qui ab Adam caecus erat, formavit visionem. Et propter hoc Scriptura significans quod futurum erat, ait, abscondito Adam propter inobedientiam, Dominum venisse vespere ad eum, et evocasse eum, et dixisse ei: « Ubi es? » Hoc est, quoniam in novissimis temporibus idipsum venit Verbum Dei advocare hominem, recommemorans eum opera sua, in quibus degens absconditus fuerat Domino. Quemadmodum enim tunc ad Adam vespere locutus est exquirens illum Deus; sic in novissimis temporibus per eamdem vocem visitavit exquirens genus ejus.

CAPUT XVI

Cum in terram corpora nostra revertantur, sequitur ea inde substantiam habere. Item Verbi adventu clarius in nobis imago Dei apparuit.

1. Et quoniam ex hac quae secundum nos est terra, plasmatio fuit Adae, Scriptura dicit dixisse Deum ei: « In sudore vultus tui manducabis panem tuum, quoadusque convertaris in terram, ex qua sumptus es. » Si igitur in aliquam alteram terram revertuntur post mortem corpora nostra, consequens est ea inde et substantiam habere. Si vero in hanc ipsam, manifestum est, quoniam, et ex hac plasma eis factum est; quomodo et Dominus fecit manifestum, ex hac eadem oculos formans. Et manu itaque vere liquido ostensa Dei, per quam plasmatus est quidem Adam, plasmati autem sumus et nos; et cum sit unus et idem Pater, cujus vox ab initio usque ad finem adest plasmati suo; et substantia plasma-

tis nostri per Evangelium ostensa manifeste, jam non oportet quaerere alium Patrem praeter hunc; neque aliam substantiam plasmationis nostrae, praeter praedictam et ostensam a Domino; neque alteram manum Dei praeter hanc, quae ab initio usque in finem format nos, et coaptat in vitam, et adest plasmati suo, et perficit illud secundum imaginem et similitudinem Dei.

2. Tunc autem hoc Verbum ostensum est, quando homo Verbum Dei factum est, semetipsum homini, et hominem sibimetipsi assimilans, ut per eam quae est ad Filium similitudinem, pretiosus homo fiat Patri. In praeteritis enim temporibus, dicebatur quidem secundum imaginem Dei factum esse hominem, non autem ostendebatur. Adhuc enim invisibile erat Verbum, cujus secundum imaginem homo factus fuerat. Propter hoc autem et similitudinem facile amisit. Quando autem caro Verbum Dei factum est, utraque confirmavit; et imaginem enim ostendit veram, ipse hoc fiens, quod erat imago ejus; et similitudinem firmans restituit, consimilem faciens hominem invisibili Patri per visibile Verbum.

3. Et non solum autem per ea quae praedicta sunt, et Patrem, et semetipsum manifestavit Dominus, sed etiam per ipsam passionem. Dissolvens enim eam, quae ab initio in ligno facta fuerat, hominis inobedientiam, « obediens factus est usque ad mortem, mortem autem crucis; » eam quae in ligno facta fuerat inobedientiam, per eam quae in ligno fuerat obedientiam sanans. Non autem per eamdem venisset exsolvere eam, quae fuerat erga plasmatorem nostrum inobe-

dientiam, si alterum annuntiabat Patrem. Quoniam autem per haec, per quae non audivimus Deum, et non credidimus ejus verbo, per haec eadem obedientiam introduxit, et eam quae esset erga verbum ejus assensionem, per quae manifeste ipsum ostendit Deum, quem in primo quidem Adam offendimus, non facientes ejus praeceptum; in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti. Neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi, cujus et praeceptum transgressi fueramus ab initio.

CAPUT XVII

Deus et Dominus, Pater et creator universorum, unicus et solus est, qui nos in Christo dilexit, praecepta dedit, et remisit nobis peccata: cujus Filium et Verbum sese Christus probavit, cum peccata condonaret.

1. Est autem hic Demiurgus, qui secundum dilectionem quidem, Pater est; secundum autem virtutem, Dominus; secundum autem sapientiam, factor et plasmator noster: cujus et praeceptum transgredientes, inimici facti sumus ejus. Et propter hoc in novissimis temporibus, in amicitiam restituit nos Dominus per suam incarnationem, « mediator Dei et hominum » factus; propitians quidem pro nobis Patrem, in quem peccaveramus, et nostram inobedientiam per suam obedientiam consolatus; nobis autem donans eam, quae est ad factorem nostrum, conversationem et subjectionem. Quapropter et in oratione dicere nos docuit: « Et remitte nobis debita nostra; » utique quoniam hic est Pater

noster, cujus eramus debitores, transgressi ejus praeceptum. Quis autem est hic? Utrumne incognitus aliquis, et nulli nunquam praeceptum dans Pater? An vero qui a Scripturis praedicatur Deus, cui et debitores eramus, transgressi ejus praeceptum? Datum est autem praeceptum homini per Verbum: « Audivit enim Adam, ait, vocem Domini Dei. » Bene igitur Verbum ejus ad hominem dicit: « Remittuntur tibi peccata; » idem ille, in quem peccaveramus in initio, remissionem peccatorum in fine donans. Aut si alterius quidem transgressi sumus praeceptum, alius autem erat qui dixit: « Remittuntur tibi peccata tua; » neque bonus, neque verax, neque justus est hujusmodi. Quomodo enim bonus, qui non ex suis donat? Aut quomodo justus, qui aliena rapit? Quomodo autem vere remissa sunt peccata, nisi ille ipse, in quem peccavimus, donavit remissionem, « per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos » per Filium suum?

2. Quapropter et curato paralytico, « Videntes, inquit, populi clarificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. » Quem igitur Deum clarificaverunt circumstantes populi? Nunquidnam ab haereticis inventum, incognitum Patrem? Et quomodo eum, qui initio tunc non cognoscebatur ab eis, glorificabant? Manifestum est ergo, quoniam eum, qui a lege et prophetis praedicatus est Deus, glorificabant Israelitae, qui et est Pater Domini nostri: et propter hoc docebat homines in sensu per ea signa, quae faciebat, dare gloriam Deo. Si autem ab altero quidem Patre ipse venisset, alterum autem Patrem glorificabant ho-

mines videntes ejus virtutes; ingratos eos in eum Patrem, qui miserat curationem, efficiebat. Sed quoniam ab eo, qui est Deus, unigenitus Filius venerat ad salutem hominum, et incredulos per eas quas faciebat virtutes, provocabat dare gloriam Patri; et non recipientibus adventum Filii ejus, et propter hoc non credentibus, quae ab eo fiebat remissioni, Pharisaeis dicebat: « Ut sciatis quoniam potestatem habet Filius hominis remittere peccata; » et hoc cum dixisset, jussit paralyticum hominem tollere grabatum, super quem jacebat, et ire in domum suam: per hoc quod efficit, confundens incredulos, et significans quoniam ipse est vox Dei, per quam accepit homo praecepta, quae supergressus est, et factus est peccator; ex peccatis enim paralysis subsecuta est.

3. Peccata igitur remittens, hominem quidem curavit, semetipsum autem manifeste ostendit quis esset. Si enim nemo potest remittere peccata, nisi solus Deus; remittebat autem haec Dominus, et curabat homines: manifestum, quoniam ipse erat Verbum Dei, Filius hominis factus, a Patre potestatem remissionis peccatorum accipiens, quoniam homo, et quoniam Deus: ut quomodo homo compassus est nobis, tanquam Deus misereatur nostri, et remittat nobis debita nostra, quae factori nostro debemus Deo. Et propter hoc David praedixit: « Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus homo, cui non imputavit Dominus peccatum, » eam, quae per adventum ejus est, remissionem praemonstrans, per quam « delevit chirographum » debiti nostri, « et affixit illud cruci: »

uti quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus nostri debiti remissionem.

4. Hoc et per alios quidem multos, jam autem et per Eliseum prophetam significanter ostensum est. Cum enim hi, qui cum illo erant, prophetae conciderent ligna ad fabricationem tabernaculi, et ferrum excussum de securi cecidisset in Jordanem, et non inveniretur ab ipsis, veniens autem Eliseus in ipsum locum, cum didicisset quid esset factum, lignum in aquam misit; hoc autem cum fecisset, supernatavit ferrum securis, et de superficie aquae sumpserunt illud, qui ante amiserant: per operationem ostendente propheta, quod firmum verbum Dei, quod per lignum negligenter amiseramus, nec inveniebamus, recepturi essemus iterum per ligni dispositionem. Quoniam autem securi similis est verbum Dei, Joannes Baptista ait de eo: « Jam autem securis ad radicem arborum posita est. » Et Jeremias autem similiter ait: « Verbum Domini, quemadmodum bipennis caedens petram. » Hoc ergo verbum absconditum a nobis manifestavit, quemadmodum praediximus, ligni dispositio. Quoniam enim per lignum amisimus illud, per lignum iterum manifestum omnibus factum est, ostendens altitudinem, et longitudinem, et latitudinem in se; et quemadmodum dixit quidam de senioribus, per extensionem manuum, duos populos ad unum Deum congregans. Duae quidem manus, quia et duo populi dispersi in fines terrae; unum autem medium caput, quoniam et unus Deus super omnes et per omnes, et in omnibus nobis.

CAPUT XVIII

Creaturas universas, quibus Deus Pater et ejus Verbum utuntur, sua propria virtute et sapientia condiderunt; non ex labe, aut ignorantia: alias nunquam carnem assumpsisset Dei Filius, qui omnem a Patre potestatem accepit.

1. Et talem vel tantam dispositionem non per alienas, sed per suas efficiebat conditiones: neque per ea quae ex ignorantia et labe facta sunt, sed per ea quae ex sapientia et virtute Patris ejus substantiam habuerunt. Neque enim iniquus, ut aliena concupiscat; neque indigens, ut non per sua propria suis propriis efficiat vitam, sua utens conditione ad hominis salutem. Neque enim portasset illum conditio, si quod ignorantiae et labis erat, emisit. Quoniam enim ipsum Verbum Dei incarnatum suspensum est super lignum, per multa ostendimus: et ipsi autem haeretici crucifixum confitentur. Quomodo igitur ignorantiae et labis emissio eum, qui contineat universorum agnitionem, et sit verus, et perfectus, portare potuit? Aut quomodo ea, quae absconsa est a Patre, et multum separata conditio, portavit ejus Verbum? Si autem et ab angelis haec facta est, sive ignorantibus eum, qui super omnia est Deus, sive scientibus; cum dixerit Dominus: « Quoniam ego in Patre, et Pater in me est; » quomodo Patrem et Filium simul fabricatio angelorum portare sustinuit? Quomodo autem ea, quae extra Pleroma est, conditio cepit eum, qui continet universum Pleroma? Cum igitur haec omnia impossibilia sint, et probationem non habeant; illud solum ve-

rum est Ecclesiae praeconium, quoniam propria conditio, quae ex virtute, et arte, et sapientia Dei subsistit, portavit eum (quae quidem secundum invisibilitatem a Patre portatur, secundum visibilitatem autem e contrario portat ejus Verbum); et hoc est Verbum.

2. Pater enim conditionem simul et Verbum suum portans, et Verbum portatum a Patre, praestat Spiritum omnibus, quemadmodum vult Pater: quibusdam quidem secundum conditionem, quod est factum; quibusdam autem secundum adoptionem, quod est ex Deo, quod est generatio. Et sic unus Deus Pater ostenditur, qui est super omnia, et per omnia, et in omnibus. Super omnia quidem Pater, et ipse est caput Christi: per omnia autem Verbum, et ipse est caput Ecclesiae: in omnibus autem nobis Spiritus, et ipse est aqua viva, quam praestat Dominus in se recte credentibus, et diligentibus se, et scientibus, quia « unus Pater, qui est super omnia, et per omnia, et in omnibus nobis. » Testimonium perhibet his et Joannes Domini discipulus, in Evangelio dicens sic: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. » Deinde de ipso Verbo dixit: « In hoc mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In sua propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. » Et iterum significans ejus secundum hominem dispensationem, dixit: « Et Verbum

caro factum est, et habitavit in nobis. » Et iterum intulit: « Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate. » Manifeste ostendens audire volentibus, id est aures habentibus, quoniam unus Deus Pater super omnes, et unum Verbum Dei, quod per omnes, per quem omnia facta sunt; et quoniam hic mundus proprius ipsius, et per ipsum factus est voluntate Patris, et non per angelos; neque per apostasiam, et defectionem, et ignorantiam; neque per virtutem aliquam Prunici, quam et Matrem appellant quidam; neque per alium quemdam mundi factorem ignorantem Patrem.

3. Mundi enim factor vere Verbum Dei est: hic autem est Dominus noster, qui in novissimis temporibus homo factus est, in hoc mundo exsistens, et secundum invisibilitatem continet quae facta sunt omnia, et in universa conditione infixus, quoniam Verbum Dei gubernans et disponens omnia; et propter hoc in sua invisibiliter venit, et caro factum est, et pependit super lignum, uti universa in semetipsum recapituletur. « Et sui proprii illum non receperunt » homines, quemadmodum Moyses hoc ipsum manifestavit in populo: « Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, et non credes vitae tuae. » Qui igitur non receperunt illum, non acceperunt vitam. « Quotquot autem receperunt illum, dedit illis potestatem filios Dei fieri. » Ipse est enim qui universorum potestatem habet a Patre, quoniam Verbum Dei, et homo verus, invisibilibus quidem participans rationabiliter, et sensuabiliter legem statuens, universa quaeque in suo per-

severare ordine; super visibilia autem et humana regnans manifeste, et omnibus dignum superducens justum judicium: quemadmodum et David manifeste significans, ait: « Deus noster manifeste veniet, et non tacebit. » Deinde et quod ab eo superinducitur judicium manifestavit, dicens: « Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida. Advocabit coelum desursum, et terram discernere populum suum. »

CAPUT XIX

Cum Eva inobediente et praevaricatrice comparatur B. Virgo Maria, illius advocata; referunturque variae et dissidentes haereses.

1. Manifeste itaque in sua propria venientem Dominum, et sua propria eum bajulante conditione, quae bajulatur ab ipso, et recapitulationem ejus, quae in ligno fuit inobedientiae, per eam quae in ligno est obedientiam, facientem, et seductionem illam solutam, qua seducta est male illa, quae jam viro destinata erat virgo Eva, per veritatem evangelizata est bene ab angelo jam sub viro Virgo Maria. Quemadmodum enim illa per angeli sermonem seducta est, ut effugeret Deum, praevaricata verbum ejus; ita et haec per angelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens ejus verbo. Et si ea inobedierat Deo; sed haec suasa est obedire Deo, uti virginis Evae Virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum astrictum est morti genus humanum per Virginem, salvatur per Virginem: aequa lance disposita, virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam. Adhuc enim proto-

plasti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens, et serpentis prudentia devicta in columbae simplicitate, vinculis autem illis resolutis, per quae alligati eramus morti.

2. Indocti omnes haeretici, et ignorantes dispositiones Dei, et inscii ejus, quae est secundum hominem, dispositionis, quippe caecutientes circa veritatem, ipsi suae contradicunt saluti: alii quidem alterum introducentes, praeter Demiurgum, Patrem; alii autem ab angelis quibusdam dicentes factum esse mundum et substantiam ejus; alii quidam porro et longe separatam ab eo, qui est secundum ipsos Patre, a semetipsa floruisse, et esse ex se natam; alii autem in his quae continentur a Patre, de labe et ignorantia substantiam habuisse; alii autem manifestum adventum Domini contemnunt, incarnationem ejus non recipientes; alii autem rursus ignorantes Virginis dispensationem, ex Joseph dicunt eum generatum; et quidam quidem neque animam, neque corpus recipere posse dicunt aeternam vitam, sed tantum hominem interiorem. Esse autem hunc eum, qui in eis sit sensus, volunt, quem et solum ascendere ad perfectum decernunt; alii autem anima salvata, non participari corpus ipsorum eam quae est a Deo salutem, quemadmodum in primo diximus libro. In quo et argumenta eorum omnium enarravimus, et invalidum ipsorum et inconstabile in secundo ostendimus.

CAPUT XX

Audiendi sunt pastores, quibus apostoli commiserunt Ecclesias, unam et eamdem salutis

doctrinam habentes; fugiendi autem haeretici, et in fidei mysteriis sobrie sapiendum.

1. Omnes enim ii valde posteriores sunt quam episcopi, quibus apostoli tradiderunt Ecclesias: et hoc in tertio libro cum omni diligentia manifestavimus. Necessitatem ergo habent praedicti haeretici, quoniam sunt caeci ad veritatem, alteram et alteram ambulare exorbitantes viam; et propter hoc inconsonanter et inconsequenter dispersa sunt vestigia doctrinae ipsorum. Eorum autem, qui ab Ecclesia sunt, semita, circumiens mundum universum, quippe firmam habens ab apostolis traditionem, et videre nobis donans omnium unam et eamdem esse fidem, omnibus unum et eumdem Deum Patrem praecipientibus, et eamdem dispositionem incarnationis Filii Dei credentibus, et eamdem donationem Spiritus scientibus, et eadem meditantibus praecepta, et eamdem figuram ejus, quae est erga Ecclesiam, ordinationis custodientibus, et eumdem exspectantibus adventum Domini, et eamdem salutem totius hominis, id est animae et corporis sustinentibus. Et Ecclesiae quidem praedicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur. Huic enim creditum est lumen Dei, et propter hoc « sapientia » Dei, per quam salvat omnes homines, « in exitu canitur, in plateis autem fiducialiter agit, in summis muris praedicatur, in portis autem civitatis constanter loquitur. » Ubique enim Ecclesia praedicat veritatem: et haec est ἑπτάμυξος lucerna, Christi bajulans lumen.

2. Qui ergo relinquunt praeconium Ecclesiae, imperitiam sanctorum presbyterorum arguunt, non contemplantes, quanto pluris sit idiota religiosus a blasphemo, et impudente sophista. Tales sunt autem omnes haeretici, et qui se plus aliquid praeter veritatem invenire putant; sequentes ea quae praedicta sunt, varie, et multiformiter, et imbecille facientes iter, de iisdem non semper easdem sententias habentes, velut caeci a caecis circumducuntur: juste cadent in sublatentem ignorantiae foveam, semper quaerentes, et nunquam verum invenientes. Fugere igitur oportet sententias ipsorum, et intentius observare, necubi vexemur ab ipsis; confugere autem ad Ecclesiam, et in ejus sinu educari, et Dominicis Scripturis enutriri. Plantata est enim Ecclesia, paradisus in hoc mundo. « Ab omni » ergo « ligno » Paradisi escas « manducabitis, » ait Spiritus Dei; id est ab omni Scriptura Dominica manducate: superelato autem sensu ne manducaveritis, neque tetigeritis universam haereticam dissensionem. Ipsi enim confitentur semetipsos agnitionem habere boni et mali: et super Deum, qui fecit eos, jaculantur sensus suos impios. Supra igitur sentiunt, quam est mensura sensationis. Quapropter et Apostolus ait: « Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad prudentiam; » ut non illorum manducantes agnitionem, eam quae plus quam oportet, sapit, projiciamur de paradiso vitae: in quem Dominus inducit eos, qui obaudiunt praeceptionem ejus, « recapitulans in se omnia quae in coelis, et quae super terram: » sed quae in coelis, spiritualia sunt; quae autem in terris,

secundum hominem est dispositio. Haec igitur in semetipsum recapitulatus est, adunans hominem spiritui, et spiritum collocans in homine, ipse caput spiritus factus est; et spiritum dans esse hominis caput: per illum enim vidimus et audivimus et loquimur.

CAPUT XXI

Caput omnium quae praedicta sunt, Christus est; quem hominem assumere, a Patre universorum creatore mitti, et a Satana tentari oportuit, ut promissiones adimpleret, et gloriosam consummatamque victoriam reportaret.

1. Omnia ergo recapitulans recapitulatus est, et adversus inimicum nostrum bellum provocans, et elidens eum, qui in initio in Adam captivos duxerat nos, et calcans ejus caput, quemadmodum habes in Genesi dixisse serpenti Deum: « Et inimicitiam ponam inter te, et inter mulierem, et inter semen tuum, et semen ejus; ipse tuum observabit caput, et tu observabis ejus calcaneum. » Ex eo enim, qui ex muliere Virgine habebat nasci secundum similitudinem Adam, praeconabatur observans caput serpentis. Et hoc est semen, de quo ait Apostolus in Epistola quae est ad Galatas: « Legem factorum positam, donec veniret semen, cui promissum est. » Manifestius autem adhuc in eadem ostendit Epistola, sic dicens: « Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum de muliere. » Neque enim juste victus fuisset inimicus, nisi ex muliere homo esset, qui vicit eum. Per mulierem enim homini dominatus est ab initio, semetip-

sum contrarium statuens homini. Propter hoc et Dominus semetipsum Filium hominis confitetur, principalem hominem illum, ex quo ea quae secundum mulierem est plasmatio, facta est, in semetipsum recapitulans: uti quemadmodum per hominem victum descendit in mortem genus nostrum, sic iterum per hominem victorem ascendamus in vitam. Et quemadmodum accepit palmam mors per hominem adversus nos, sic iterum nos adversus mortem per hominem accipiamus palmam.

2. Non autem Dominus antiquam illam et primam adversus serpentem inimicitiam in semetipso recapitulatus fuisset, adimplens promissionem Demiurgi, et perficiens praeceptum ejus, si ab alio venisset Patre. Sed quoniam unus et idem est, qui ab initio plasmavit nos, et in fine Filium suum misit; praeceptum ejus perfecit Dominus, factus ex muliere, et destruens adversarium nostrum, et perficiens hominem secundum imaginem et similitudinem Dei. Et propter hoc non aliunde eum destruxit, nisi ex dictionibus legis et Patris praecepto adjutore usus ad destructionem et traductionem apostatae angeli. Primo quidem diebus quadraginta jejunans, similiter ut Moyses et Elias, postea esuriit, ut hominem eum verum et firmum intelligamus; proprium enim est hominis, jejunantem esurire; deinde autem, ut haberet adversarius ubi congrederetur. Quoniam enim in principio per escam, non esurientem hominem seduxit transgredi praeceptum Dei; in fine esurientem non potuit dissuadere, eam quae a Deo esset, sustinere escam. Tentante enim eo, et di-

cente: « Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant; » Dominus autem per praeceptum legis repulit eum, dicens: « Scriptum est: Non in pane tantum vivit homo. » Ad illud quidem quod ait: « Si Filius Dei es; » usus est hac, quae excaecavit eum, hominis confessione, et per paternam dictionem primum ejus impetum evacuavit. Quae ergo fuit in paradiso repletio hominis per duplicem gustationem, dissoluta est per eam, quae fuit in hoc mundo, indigentiam.

Ille autem legaliter explosus, tentavit et ipse per mendacium rursus legitime facere congressionem. In altissimum enim templi pinnaculum ducens eum, dixit: « Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: quoniam angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum; » mendacium abscondens per Scripturam, quod faciunt omnes haeretici. Illud enim, quod « angelis suis mandavit de eo, » scriptum erat: « Mitte te » autem « deorsum, » nulla dicebat Scriptura; sed a semetipso hanc suasionem diabolus afferebat. Dominus itaque legitime confutavit eum, dicens: « Item scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum; » per eam vocem, quae est in lege, ostendens, id quidem quod est secundum hominem, quoniam non debet homo tentare Deum; quantum autem ad illum, quoniam in eo homine qui videbatur, non tentaret Dominum Deum suum. Elatio itaque sensus, quae fuit in serpente, dissoluta est per eam, quae fuit in homine humilitas: et bis jam victus erat de Scriptura diabolus, cum est traductus, contraria praecepto Dei sua-

dens, et secundum sententiam suam Dei hostis ostensus.

Qui et magne confutatus, et quasi semetipsum colligens, universam quam habebat virtutem in mendacio ordinans, tertio ostendit ei saeculi regna omnia, dicens, quemadmodum meminit Lucas: « Haec omnia tibi dabo, quoniam mihi tradita sunt, et cui volo, do ea, si procidens adoraveris me. » Dominus itaque traducens eum qui esset: « Vade, inquit, Satana; scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. » Denudans eum per hoc nomen, et se ostendens qui erat. Satana enim, verbum Hebraicum, apostatam significat. Et tertio itaque vincens eum, de reliquo repulit a semetipso, quasi legitime victum: et soluta est ea, quae fuerat in Adam praecepti Dei praevaricatio, per praeceptum legis, quod servavit Filius hominis, non transgrediens praeceptum Dei.

3. Quis ergo Dominus Deus, cui Christus testimonium perhibet; quem nemo tentabit, et quem omnes adorare oportet, et ipsi soli servire? Omnimodo ille est sine dubio, qui et legem dedit Deus. Haec enim in lege praedicta fuerant, et per legis sententiam ostendit Dominus, quoniam lex quidem a Patre Verbum Domini annuntiat; apostata autem Dei angelus per illius destruitur vocem traductus quis esset, et victus a Filio hominis servante Dei praeceptum. Quoniam enim in initio homini suasit transgredi praeceptum factoris, ideo eum habuit in sua potestate; potestas autem ejus est transgressio, et apostasia, et his colligavit hominem; per hominem ipsum iterum

oportebat victum eum contrario colligari iisdem vinculis, quibus alligavit hominem, ut homo solutus revertatur ad suum Dominum, illi vincula relinquens, per quem ipse fuerat alligatus, id est, transgressionem. Illius enim colligatio, solutio facta est hominis, quoniam « non potest aliquis introire in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi primum ipsum fortem alligaverit. » Contraria ergo in sermone ejus, qui omnia fecit Dei, traducens eum Dominus, et subjiciens per praeceptum (praeceptum autem Dei, lex), fugitivum eum homo ejus, et legis transgressorem, et apostatam Dei ostendens, postea jam Verbum constanter eum colligavit, quasi suum fugitivum, et diripuit ejus vasa, id est eos qui ab eo detinebantur homines, quibus ipse injuste utebatur. Et captivus quidem ductus est juste is, qui hominem injuste captivum duxerat; qui autem ante captivus ductus fuerat homo, extractus est a possessoris potestate, secundum misericordiam Dei Patris: qui miseratus est plasmati suo, et dedit salutem ei, per Verbum, id est per Christum, redintegrans; ut experimento discat homo, quoniam non a semetipso, sed donatione Dei accipit incorruptelam.

CAPUT XXII

Dominus verus, et Deus unus a lege declaratur, et in Evangelio per Christum ejus Filium manifestatur; quem solum adorare, et ab illo omnia bona exspectare oportet, non a Satana.

1. Sic igitur manifeste ostendente Domino, quoniam Dominus verus, et unus Deus, qui a lege declaratus fuerat (quem enim lex praeconaverat

Deum, hunc Christus ostendit Patrem, cui et servire soli oportet discipulos Christi), et per eas, quae sunt in lege, sententias, adversarium nostrum evacuante (lex autem Demiurgum laudare Deum, et ipsi soli servire jubet nobis): jam non oportet quaerere alium Patrem, praeter hunc, aut super hunc: quoniam « unus Deus qui justificat circumcisionem ex fide, et praeputium per fidem. » Si enim alius quis erat super hunc perfectus Pater, nequaquam per hujus sermones et praecepta destruxisset Satanam. Nec enim ignorantia per alteram potest dissolvi ignorantiam; quemadmodum neque per labem labes evacuari. Si igitur lex ex ignorantia et labe est, quomodo sententiae quae in ea sunt, diabolica ignorantia solvere poterant, et fortem vincere? Neque enim a minori, neque ab aequali fortis vinci potest; sed ab eo qui plus potest. Plus autem potest super omnia Verbum Dei, qui in lege quidem vociferatur: « Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est, » et: « Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua; » et: « Hunc adorabis, et huic soli servies. » In Evangelio autem per has easdem sententias destruens apostasiam, et Patris voce devicit fortem, et legis praeceptum suas sententias confitetur, dicens: « Non tentabis Dominum Deum tuum. » Nec enim per alienam, sed per propriam Patris sui sententiam destruxit adversarium, et fortem vicit.

2. Nos autem solutos per ipsum praeceptum docuit, esurientes quidem sustinere eam, quae a Deo datur, escam; in sublimitate autem positos universi charismatis, vel in operibus justitiae

confidentes, vel ministrationis supereminentia adornatos, nequaquam extolli, neque tentare Deum, sed humilia sentire in omnibus, et prae manu habere: « Non tentabis Dominum Deum tuum; » quemadmodum et Apostolus docuit: « Non alta, dicens, sentientes, sed humilibus consentientes; » nec divitiis, nec gloria mundana, neque praesenti phantasia capi: scire autem, quoniam Dominum Deum tuum adorare oportet, et ipsi soli servire, et non credere ei, qui falso promisit ea, quae non sunt sua, dicens: « Haec omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me. » Ipse enim confitetur, quoniam adorare eum, et voluntatem ejus facere, cadere est a gloria Dei. Et quid aut suave, aut bonum participare potest qui cecidit? Aut quid aliud sperare, vel exspectare potest, qui talis est, nisi mortem? Ei enim qui cecidit, proxima mors est. Deinde nec illa itaque quae promisit praestabit. Quomodo enim praestabit ei, qui cecidit? Deinde, quoniam dominatur hominibus, et ei ipsi Deus; et nolente Patre nostro qui est in coelis, neque passer cadet in terram. Illud igitur quod ait: « Haec omnia mihi tradita sunt, et cui volo, do ea; » ut in superbiam elatus ait. Neque enim conditio sub ejus potestate est; quandoquidem et ipse unus de creaturis est. Neque ipse hominum regnum attribuet hominibus; sed secundum ordinationem Dei Patris, et caetera quaeque, et quae sunt erga homines, disponuntur. Dominus autem ait: Quoniam « diabolus mendax est ab initio, et in veritate non stetit. » Si itaque mendax est, et non stans in veritate, videlicet non verum

dicebat: « Quoniam haec omnia mihi tradita sunt et cui volo, do ea; » sed mendacium loquens.

CAPUT XXIII

Diabolus assuetus est mendaciis, quibus seductus Adam sexto creationis die peccavit, quo tandem per Christum reparatus fuit.

1. Assuetus enim erat jam ad seductionem hominum mentiri adversus Deum. Ab initio enim homini escam multam cum Deus dedisset, ex una autem tantum arbore praecepisset ne manducaret, quemadmodum Scriptura dicit dixisse Deum ad Adam: « Ab omni ligno quod est in paradiso escam manducabis; a ligno autem cognoscendi bonum et malum, ab eo non manducabitis; qua autem die manducaveritis ab eo, morte moriemini; » ille mentiens adversus Dominum, tentavit hominem, quemadmodum Scriptura dicit dixisse serpentem mulieri: « Quid utique dixit Deus: Ne manducaveritis ab omni ligno paradisi? » Et cum illa traduxisset mendacium, et simpliciter retulisset praeceptum, in eo quod diceret: « Ab omni ligno paradisi manducabimus: a fructu autem ligni, quod est in medio paradiso, dixit Deus: Ex eo non manducabitis, neque tetigeritis, ne moriamini; » cum didicisset a muliere praeceptum Dei, astutia usus decepit eam denuo per falsiloquium, dicens: « Non morte moriemini. Sciebat enim Deus, quoniam qua die manducaveritis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum. » Primo quidem in Dei paradiso disputabat de Deo, quasi absente eo: magnitudinem enim ignorabat Dei.

Post deinde, ab ipsa discens dixisse Dominum, morituros eos si gustassent de praedicto ligno, tertium mendacium loquens dixit: « Non morte moriemini. » Sed quoniam Deus verax, mendax autem serpens, de effectu ostensum est, morte subsecuta eos qui manducaverant. Simul enim cum esca et mortem asciverunt, quoniam inobedientes manducabant; inobedientia autem Dei mortem infert. Propter hoc ex eo traditi sunt ei, debitores mortis effecti.

2. In ipsa itaque die mortui sunt, in qua et manducaverunt, et debitores facti sunt mortis, quoniam conditionis dies unus. « Factum est enim, inquit, vespere, et factum est mane dies unus. » In ipsa autem hac die manducaverunt; in ipsa autem et mortui sunt. Secundum autem circulum et cursum dierum, secundum quem alia quidem prima, alia autem secunda, alia tertia vocatur, si quis velit diligenter discere, qua die ex septem diebus mortuus est Adam, inveniet ex Domini dispositione. Recapitulans enim universum hominem in se ab initio usque ad finem, recapitulatus est et mortem ejus. Manifestum est itaque, quoniam in illa die mortem sustinuit Dominus, obediens Patri, in qua mortuus est Adam inobediens Deo. In qua autem mortuus est, in ipsa et manducavit. Dixit enim Deus: « In qua die manducabitis ex eo, morte moriemini. » Hunc itaque diem recapitulans in semetipsum Dominus, venit ad passionem pridie ante sabbatum, quae est sexta conditionis dies, in qua homo plasmatus est; secundam plasmationem ei, eam quae est a morte, per suam passionem

donans. Quidam autem rursus in millesimum annum revocant mortem Adae: quoniam enim « dies Domini, sicut mille anni, » non superposuit autem mille annos, sed intra eos mortuus est, transgressionis adimplens sententiam. Sive ergo secundum inobedientiam, quae est mors: sive quod exinde traditi sint, et facti sint debitores mortis: sive secundum unum et eumdem diem, in quo manducaverunt, et mortui sunt, quoniam una conditionis dies: sive secundum hunc circulum dierum, quia in ipsa mortui sunt, in qua et manducaverunt, hoc est, Parasceve, quae dicitur coena pura, id est sexta feria, quam et Dominus ostendit passus in ea: sive secundum quod non sit supergressus mille annos, sed in ipsis mortuus sit: secundum omnia ergo quae significantur, Deus quidem verax; mortui enim sunt, qui gustaverunt de ligno: serpens autem mendax ostensus est, et homicida, sicut Dominus ait de eo: « Quoniam ab initio homicida est, et in veritate non stetit. »

CAPUT XXIV

De diaboli perpetuo mendacio, potestatibus quibus nos parere oportet, atque imperiis terrenis, quatenus a Deo, non autem a diabolo constituantur.

1. Sicut ergo in principio mentitus est, ita et in fine mentiebatur, dicens: « Haec omnia mihi tradita sunt, et cui volo, do ea. » Non enim ipse determinavit hujus saeculi regna, sed Deus: « Regis enim cor in manu Dei. » Et per Salomonem autem ait Verbum: « Per me reges regnant, et

potentes tenent justitiam. Per me principes exaltabuntur, et tyranni per me regnant terram. » Et Paulus autem apostolus in hoc ipsum ait: « Omnibus potestatibus sublimioribus subjecti estote: non est enim potestas nisi a Deo. Quae autem sunt a Deo dispositae sunt. » Et iterum de ipsis ait: « Non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male operatur. » Quoniam haec autem non de angelicis potestatibus, nec de invisibilibus principibus dixit, quomodo quidam audent exponere, sed de his quae sunt secundum hominem potestates, ait: « Propter hoc enim et tributa praestatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum deservientes. » Hoc autem et Dominus confirmavit, non faciens quidem quod a diabolo suadebatur; tributorum autem exactoribus jubens pro se, et pro Petro dari tributum: quoniam « ministri Dei sunt, in hoc ipsum deservientes. »

2. Quoniam enim absistens a Deo homo in tantum efferavit, ut etiam consanguineum hostem sibi putaret, et in omni inquietudine, et homicidio, et avaritia sine timore versaretur; imposuit illi Deus humanum timorem (non enim cognoscebant timorem Dei), ut potestati hominum subjecti, et lege eorum astricti, ad aliquid assequantur justitiae, et moderentur ad invicem, in manifesto propositum gladium timentes, sicut Apostolus ait: « Non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male operatur. » Et propter hoc et ipsi magistratus indumentum justitiae leges habentes, quaecunque juste et legitime fecerint, de

his non interrogabuntur, neque poenas dabunt. Quaecunque autem ad eversionem justi, inique, et impie, et contra legem, et more tyrannico exercuerint, in his et peribunt; justo judicio Dei ad omnes aequaliter perveniente, et in nullo deficiente. Ad utilitatem ergo gentilium terrenum regnum positum est a Deo (sed non a diabolo, qui nunquam omnino quietus est; imo qui nec ipsas quidem gentes vult in tranquillo agere); ut timentes regnum hominum, non se alterutrum homines vice piscium consumant, sed per legum positiones repercutiant multiplicem gentilium injustitiam. Et secundum hoc « ministri Dei » sunt, qui tributa exigunt a nobis, « in hoc ipsum servientes. »

3. « Quae sunt potestates, a Deo ordinatae sunt; » manifestum est quoniam mentitur diabolus, dicens: « Mihi tradita sunt, et cui volo, do ea. » Cujus enim jussu homines nascuntur, hujus jussu et reges constituuntur, apti his qui illo tempore ab ipsis regnantur. Quidam enim illorum ad correptionem et utilitatem subjectorum dantur, et conservationem justitiae; quidam autem ad timorem, et poenam, et increpationem; quidam autem ad illusionem, et contumeliam, et superbiam, quemadmodum et digni sunt; Dei justo judicio, sicut praediximus, in omnibus aequaliter supergrediente. Diabolus autem, quippe apostata exsistens angelus, hoc tantum potest, quod detegit in principio, seducere et abstrahere mentem hominis ad transgredienda praecepta Dei, et paulatim obcaecare corda eorum qui conaren-

tur servire ei, ad obliviscendum quidem verum Deum; ipsum autem quasi Deum adorare.

4. Quemadmodum autem si quis apostata regionem aliquam hostiliter capiens, perturbet eos qui in ea sunt, ut regis gloriam sibi vindicet apud ignorantes quod apostata et latro sit: sic etiam diabolus, cum sit unus ex angelis his, qui super spiritum aeris praepositi sunt, quemadmodum Paulus apostolus in ea quae est ad Ephesios manifestavit, invidens homini, apostata a divina factus est lege: invidia enim aliena est a Deo. Et quoniam per hominem traducta est apostasia ejus, et examinatio sententiae ejus homo factus est; ad hoc magis magisque semetipsum contrarium constituit homini, invidens vitae ejus, et in sua potestate apostatica volens concludere eum. Omnium artifex Verbum Dei, per hominem vincens eum, et apostatam ostendens, e contrario subjecit eum homini: « Ecce » dicens, « do vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici; » ut quemadmodum dominatus est homini per apostasiam, sic iterum per hominem recurrentem ad Deum, evacuetur apostasia ejus.

CAPUT XXV

Antichristi fraus, superbia, et tyrannicum regnum, prout a Daniele et Paulo descripta sunt.

1. Et non tantum autem per ea quae dicta sunt, sed et per ea quae erunt sub Antichristo, ostenditur, quoniam exsistens apostata et latro, quasi Deus vult adorari; et cum sit servus, regem se vult praeconari. Ille enim omnem suscipiens

diaboli virtutem, veniet non quasi rex justus, nec quasi in subjectione Dei legitimus; sed impius, et injustus, et sine lege, quasi apostata, et iniquus, et homicida, quasi latro, diabolicam apostasiam in se recapitulans: et idola quidem seponens, ad suadendum quod ipse sit Deus; se autem extollens unum idolum, habens in semetipso reliquorum idolorum varium errorem: ut hi qui per multas abominationes adorant diabolum, hi per hoc unum idolum serviant ipsi, de quo Apostolus in Epistola quae est ad Thessalonicenses secunda, sic ait: « Quoniam nisi venerit abscessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollit se super omne quod dicitur Deus, aut colitur: ita ut in templo Dei sedeat, ostendens semetipsum tanquam sit Deus. » Manifeste igitur Apostolus ostendit apostasiam ejus, et quoniam extollitur super omne quod dicitur Deus, vel quod colitur, hoc est, super omne idolum (hi enim sunt qui dicuntur quidem ab hominibus, non sunt autem dii), et quoniam ipse se tyrannico more conabitur ostendere Deum.

2. Super haec autem manifestavit et illud, quod a nobis per multa ostensum est, quoniam in Hierosolymis templum dispositione veri Dei factum est. Ipse enim Apostolus ex sua persona diffinitive templum illud dixit Dei. Ostendimus autem in tertio libro, nullum ab apostolis ex sua persona Deum appellari, nisi eum qui vere sit Deus, Patrem Domini nostri: cujus jussu hoc, quod est in Hierosolymis, factum est templum, ob eas causas quae a nobis dictae sunt: in quo ad-

versarius sedebit, tentans semetipsum Christum ostendere, sicut et Dominus ait: « Cum autem videritis abominationem desolationis, quod dictum est per Danielem prophetam, stantem in loco sancto (qui legit, intelligat), tunc qui in Judaea sunt, fugiant in montes: et qui in tecto est, non descendat tollere quidquam de domo. Erit enim tunc pressura magna, qualis non est facta ab initio saeculi usque nunc, sed neque fiet. »

3. Daniel autem novissimi regni finem respiciens, id est novissimos decem reges, in quos dividitur regnum illorum, super quos filius perditionis veniet, cornua dicit decem nasci bestiae; et alterum cornu pusillum nasci in medio ipsorum, et tria cornua de prioribus eradicari a facie ejus. « Et ecce, inquit, oculi quasi oculi hominis in cornu hoc, et os loquens magna, et aspectus ejus major reliquis. Videbam, et cornu illud faciebat bellum adversus sanctos, et valebat adversus eos: quoadusque venit Vetustus dierum, et judicium dedit sanctis altissimi Dei, et tempus pervenit, et regnum obtinuerunt sancti. » Postea, in exsolutione visionum, dictum est ei: « Bestia quarta, regnum quartum erit in terra, quod eminebit super reliqua regna, et manducabit omnem terram, et conculcabit eam, et concidet. Et decem cornua ejus, decem reges exsurgent; et post eos surget alius, qui superabit malis omnes, qui ante eum fuerunt, et reges tres deminorabit et verba adversus altissimum Deum loquetur, et sanctos altissimi Dei conteret, et cogitabit demutare tempora, et legem: et dabitur in manu ejus, usque ad tempus temporum, et dimidium tempus, » hoc est,

per triennium et sex menses, in quibus veniens regnabit super terram. De quo iterum et apostolus Paulus in secunda ad Thessalonicenses, simul et causam adventus ejus annuntians, sic ait: « Et tunc revelabitur iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui et destruet praesentia adventus sui, cujus est adventus secundum operationem Satanae, in omni virtute, et signis, et portentis mendaciorum, et omni seductione malitiae, pereuntibus, pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Et ideo mittet eis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. »

4. Et Dominus autem hoc item non credentibus sibi dicebat: « Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me; cum alius venerit in nomine suo, illum recipietis; » alium dicens Antichristum, qui alienus est a Domino, et ipse est « iniquus judex, » qui a Domino dictus est, quoniam « Deum non timebat, neque hominem reverebatur, » ad quem fugit vidua oblita Dei, id est terrena Jerusalem, ad ulciscendum de inimico. Quod et faciet in tempore regni sui: transferet regnum in eam, et in templo Dei sedet, seducens eos qui adorant eum, quasi ipse sit Christus. Quapropter ait Daniel iterum: « Et sanctum desolabitur: et datum est in sacrificium peccatum, et projecta est in terra justitia, et fecit, et prospere cessit. » Et Gabriel angelus exsolvens ejus visionem, de hoc ipso dicebat: « Et in novissimo regni ipsorum exsurget rex improbus facie valde, et intelligens quaestiones, et valida virtus ejus, et admirabilis,

et corrumpet, et diriget, et faciet, et exterminabit fortes, et populum sanctum, et jugum torquis ejus dirigetur: dolus in manu ejus, et in corde suo exaltabitur, et dolo disperdet multos, et ad perditionem multorum stabit, et quomodo ova manu conteret. » Deinde et tempus tyrannidis ejus significat, in quo tempore fugabuntur sancti, qui purum sacrificium offerunt Domino: « Et in dimidio hebdomadis, ait, tolletur sacrificium et libatio, et in templum abominatio desolationis, et usque ad consummationem temporis consummatio dabitur super desolationem; » dimidium autem hebdomadis tres sunt anni et menses sex.

5. Ex quibus omnibus non tantum quae sunt apostasiae manifestantur, et quae sunt ejus, qui in se recapitulatur omnem diabolicum errorem; sed et quoniam unus et idem Deus Pater, qui a prophetis annuntiatus, a Christo autem manifestatus. Si enim quae a Daniele prophetata sunt de fine, Dominus comprobavit: « Cum videritis, dicens, abominationem desolationis, quae dicta est per Danielem prophetam » (Danieli autem angelus Gabriel exsolutionem visionum fecit: hic autem est archangelus Demiurgi, et hic idem Mariae evangelizavit manifestum adventum et incarnationem Christi), unus et idem Deus manifestissime ostenditur, qui prophetas misit, et Filium praemisit, et nos vocavit in agnitionem suam.

CAPUT XXVI

Quia Joannes et Daniel praedixerunt imperii Romani dissolutionem et desolationem, quae

finem mundi et regnum Christi aeternum praecedet; refelluntur alium a Demiurgo Patrem confingentes Gnostici, Satanae organa, quorum opera nunc Deum aperte blasphemat.

1. Manifestius adhuc etiam de novissimo tempore, et de his qui sunt in eo decem regibus, in quos dividetur quod nunc regnat imperium, significavit Joannes Domini discipulus in Apocalypsi, edisserens quae fuerint decem cornua, quae a Daniele visa sunt, dicens sic dictum esse sibi: « Et decem cornua quae vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem quasi reges una hora accipient cum bestia. Hi unam sententiam habent, et virtutem et potestatem suam bestiae dant. Hi cum agno pugnabunt, et agnus vincet eos, quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum. » Manifestum est itaque, quoniam ex his tres interficiet ille qui venturus est, et reliqui subjicientur ei, et ipse octavus in eis; et vastabunt Babylonem, et comburent eam igni, et dabunt regnum suum bestiae, et effugabunt Ecclesiam: post deinde ab adventu Domini nostri destruentur. Quoniam enim oportet dividi regnum, et sic deperire, Dominus ait: « Omne regnum divisum in se, desolabitur; et omnis civitas vel domus divisa in se, non stabit. » Dividi igitur et regnum, et civitatem, et domum oportet in decem: et propterea jam partitionem et divisionem praefiguravit.

Et diligenter Daniel finem quarti regni digitos ait pedum esse ejus imaginis, quae a Nabuchodonosor visa est, in quos venit lapis sine manibus praecisus, et quemadmodum ipse ait: « Pedes,

pars quidem aliqua ferrea, et pars aliqua fictilis, quoadusque abscissus est lapis sine manibus, et percussit imaginem in pedes ferreos et fictiles, et comminuit eos usque ad finem. » Post deinde in exsolutione ait: « Et quoniam vidisti pedes et digitos, partem quidem fictilem, partem autem ferream, regnum divisum erit, et a radice ferrea erit in eo, quemadmodum vidisti ferrum commistum testae. Et digiti pedum, pars quidem aliqua ferrea, pars autem aliqua fictilis. » Ergo decem digiti pedum, hi sunt decem reges, in quibus dividetur regnum: ex quibus quidam quidem fortes et agiles, sive efficaces: alii autem pigri et inutiles erunt, et non consentient; quemadmodum et Daniel ait: « Pars aliqua regni erit fortis, et ab ipsa pars erit minuta. Quoniam vidisti ferrum commistum testae, commistiones erunt in semine hominum, et non erunt adjuncti invicem, quemadmodum ferrum non commiscetur cum testa. » Et quoniam finis fiet, inquit: « Et in diebus regum illorum excitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non corrumpetur, et regnum ejus alteri populo non relinquetur. Comminuet et ventilabit omnia regna, et ipsum exaltabitur in aeternum. Quemadmodum vidisti, quoniam de monte praecisus est lapis sine manibus, et comminuit testam, ferrum, et aeramentum, et argentum, et aurum. Deus magnus significavit regi, quae futura sunt post haec; et verum est somnium, et fidelis interpretatio ejus. »

2. Si ergo Deus magnus significavit per Danielem futura, et per Filium confirmavit: et Christus est lapis, qui praecisus est sine manibus, qui

destruet temporalia regna, et aeternum inducet, quae est justorum resurrectio (« Resuscitabit, ait, Deus coeli regnum, quod in aeternum nunquam corrumpetur »); confutati resipiscant qui Demiurgum respuunt, et non consentiunt ab eo Patre praemissos prophetas, a quo et Dominus venit; sed asseverant ex differentibus Virtutibus factas esse prophetias. Quae enim a Demiurgo praedicta sunt similiter per omnes prophetas, haec Christus in fine perfecit, ministrans Patris sui voluntati, et adimplens secundum humanum genus dispositiones. Qui ergo blasphemant Demiurgum, vel ipsis verbis et manifeste, quemadmodum qui a Marcione sunt; vel secundum eversionem sententiae, quemadmodum qui a Valentino sunt, et omnes qui falso dicuntur esse Gnostici, organa Satanae ab omnibus Deum colentibus cognoscantur esse, per quos Satanas nunc, et non ante, visus est, maledicere Deo, qui ignem aeternum praeparavit omni apostasiae. Nam ipse per semetipsum nude non audet blasphemare suum Dominum; quemadmodum et initio per serpentem seduxit hominem, quasi latens Deum. Bene Justinus dixit, quoniam ante Domini adventum nunquam ausus est Satanas blasphemare Deum, quippe nondum sciens suam damnationem: quoniam et in parabolis, et allegoriis, a prophetis de eo sic dictum est. Post autem adventum Domini ex sermonibus Christi et apostolorum ejus discens manifeste, quoniam ignis aeternus ei praeparatus est ex sua voluntate abscedenti a Deo, et omnibus qui sine poenitentia perseverant in apostasia: per hujusmodi homines blasphe-

mat eum Deum, qui judicium importat, quasi jam condemnatus, et peccatum suae apostasiae conditori suo imputat, et non suae voluntati et sententiae: quemadmodum et qui supergrediuntur leges, et poenas dant, queruntur de legislatoribus, sed non de semetipsis. Sic autem et hi diabolico spiritu pleni, innumeras accusationes inferunt factori nostro, qui et Spiritum vitae nobis donaverit, et legem omnibus aptam posuerit; et nolunt justum esse judicium Dei. Quapropter et alterum quemdam excogitant Patrem, neque curantem, neque providentem eorum, quae sunt erga nos, aut etiam consentientem omnibus peccatis.

CAPUT XXVII

De futuro judicio per Christum, communione et separatione divina, atque infidelium poenis aeternis.

1. Si enim non judicat Pater, aut non pertinet ad eum, aut consentit his quae fiunt omnibus; et si non judicat, omnes in aequo erunt, et in eodem dinumerabuntur statu. Supervacuus ergo erit adventus Christi, et contrarius, in eo quod non judicet. « Venit enim dividere hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem, et nurum adversus socrum: » et cum duo sint in eodem lecto, unum assumere et alterum relinquere: et duabus molentibus in mola, alteram assumere, et alteram relinquere: ad finem jubere messoribus colligere primum zizania, et fasciculos alligare, et comburere igni inexstinguibili; triticum autem colligere in horreum; et agnos

quidem vocare in praeparatum regnum; haedos autem in aeternum ignem mittere, qui praeparatus est a Patre ejus diabolo et angelis ejus. Et quid enim? Verbum venit in ruinam et in resurrectionem multorum? In ruinam quidem non credentium ei, quibus et majorem damnationem, quam Sodomorum et Gomorrhae in judicio comminatus est; in resurrectionem autem credentium, et facientium voluntatem Patris ejus, qui est in coelis. Si ergo adventus Filii super omnes quidem similiter advenit, judicialis est autem et discretor credentium et non credentium, quoniam ex sua sententia credentes faciunt ejus voluntatem, et ex sua sententia indicto audientes non accedunt ad ejus doctrinam; manifestum, quoniam et Pater ejus omnes quidem similiter fecit, propriam sententiam unumquemque habentem, et sensum liberum; respicit autem omnia, et providet omnibus, « solem suum oriri faciens super malos et bonos, et pluens super justos et injustos. »

2. Et quicunque erga eum custodiunt dilectionem, suam his praestat communionem. Communio autem Dei, vita et lumen, et fruitio eorum quae sunt apud eum bonorum. Quicunque autem absistunt secundum sententiam suam ab eo, his eam quae electa est ab ipsis, separationem inducit. Separatio autem Dei, mors; et separatio lucis, tenebrae; et separatio Dei, amissio omnium quae sunt apud eum bonorum. Qui ergo per apostasiam amiserunt quae praedicta sunt, quippe desolati ab omnibus bonis, in omni poena conversantur; Deo quidem principaliter non a semetipso eos puniente, prosequente autem eos

poena, quoniam sint desolati ab omnibus bonis. Aeterna autem, et sine fine sunt a Deo bona: et propter hoc et amissio eorum aeterna et sine fine est: quemadmodum in immenso lumine, qui excaecaverunt semetipsos, vel ab aliis excaecati sunt, semper privati sunt jucunditate luminis; non quod lumen poenam eis inferat caecitatis, sed quod ipsa caecitas superinducat eis calamitatem. Et propter hoc Dominus dicebat: « Qui credit in me, non judicatur, » id est, non separatur a Deo; adunitus est enim per fidem Deo. « Qui autem non credit, ait, jam judicatus est, quoniam non credidit in nomine unigeniti Filii Dei, » id est, separavit semetipsum a Deo voluntaria sententia. « Hoc est enim judicium, quoniam lumen venit in hunc mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Omnis enim qui male agit, odit lumen, et non venit ad lumen, ne traducantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lumen, ut manifestentur opera ejus, quoniam in Deo est operatus. »

CAPUT XXVIII

De piorum et impiorum discrimine, apostasia futura sub Antichristo, atque mundi consummatione.

1. Quoniam igitur in hoc mundo quidam quidem accurrunt lumini, et per fidem uniunt se Deo; alii autem absistunt a lumine, et separant seipsos a Deo: venit Verbum Dei, omnibus aptam habitationem inferens; his quidem qui in lumine sunt, ut fruantur eo, et his quae in eo sunt bonis; his autem qui in tenebris sunt, ut participentur

eas calamitates quae in eis sunt. Et propter hoc ait, hos quidem qui sunt ad dexteram, vocari in regnum Patris; illos autem qui sunt ad sinistram, in aeternum ignem missurum. Semetipsos enim omnibus privaverunt bonis.

2. Et propter hoc Apostolus ait: « Pro eo quod dilectionem Dei non receperunt, ut salvi fierent, et ideo mittet eos Deus in operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. » Illo enim veniente, et sua sententia apostasiam recapitulante in semetipsum, et sua voluntate et arbitrio operante quaecunque operabitur, et in templo Dei sedente, ut sicut Christum adorent illum qui seducentur ab illo; quapropter et juste « in stagnum projicietur ignis: » Deo (autem) secundum suam providentiam praesciente omnia, et apto tempore eum, qui talis futurus erat, immittente, « ut credant falso, et judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. »

Cujus adventum Joannes in Apocalypsi significavit ita: « Et bestia quam videram, similis erat pardo, et pedes ejus quasi ursi, et os ejus quasi os leonis, et dedit ei draco virtutem suam, et thronum suum, et potestatem magnam, et unum ex capitibus ejus quasi occisum in mortem, et plaga mortis ejus curata est, et admirata est universa terra post bestiam: et adoraverunt draconem, quoniam dedit potestatem bestiae; et adoraverunt bestiam dicentes: Quis similis bestiae illi, et quis potest pugnare cum ipsa? Et datum est ei os loquens magna et blasphemiam, et data est

ei potestas mensibus quadraginta et duobus. Et aperuit os suum blasphemum adversus Deum, blasphemare nomen ejus, et tabernaculum ejus, et eos qui in coelo habitant. Et data est ei potestas super omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem. Et adoraverunt eam omnes qui habitant super terram, cujus non est scriptum nomen in libro vitae Agni occisi a constitutione mundi. Si quis habet aures, audiat. Si quis in captivitatem duxerit, in captivitatem ibit. Si quis gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi. Hic est sustinentia et fides sanctorum. »

Post deinde et de armigero ejus, quem et pseudoprophetam vocat: « Loquebatur, inquit, quasi draco, et potestatem primae bestiae omnem faciebat in conspectu ejus: et facit terram, et qui habitant in ea, ut adorarent bestiam primam, cujus curata est plaga mortis ejus. Et faciet signa magna, ut et ignem faciat de coelo descendere in terram in conspectu hominum, et seducet inhabitantes super terram. » Haec ne quis eum divina virtute putet signa facere, sed magica operatione. Et non est mirandum, si daemoniis et apostaticis spiritibus ministrantibus ei, per eos faciat signa, in quibus seducat habitantes super terram. « Et imaginem, ait, jubebit fieri bestiae, et spiritum dabit imagini, uti et loquatur imago, et eos qui non adoraverint eam, faciet occidi. Et characterem autem, ait, in fronte, et in manu dextra faciet dari, ut non possit aliquis emere vel vendere, nisi qui habet characterem nominis bestiae, vel numerum nominis ejus: et esse numerum sexcentos sexaginta sex, quod est, sexies centeni, et deni

sexies, et singulares sex; » in recapitulationem universae apostasiae ejus, quae facta est in sex millibus annorum.

3. Quotquot enim diebus hic factus est mundus, tot et millenis annis consummatur. Et propter hoc ait Scriptura Geneseos: « Et consummata sunt coelum et terra, et omnis ornatus eorum. Et consummavit Deus die sexto omnia opera sua quae fecit, et requievit in die septimo ab omnibus operibus suis quae fecit. » Hoc autem est et antefactorum narratio, quemadmodum facta sunt, et futurorum prophetia. Si etenim dies Domini quasi mille anni, in sex autem diebus consummata sunt quae facta sunt; manifestum est quoniam consummatio ipsorum sextus millesimus annus est.

4. Et propter hoc in omni tempore, plasmatus initio homo per manus Dei, id est Filii et Spiritus, fit secundum imaginem et similitudinem Dei, paleis quidem abjectis, quae sunt apostasia; frumento autem in horreum assumpto, quod est hi qui ad Deum fide fructificant. Et propterea tribulatio necessaria est his qui salvantur, ut quodammodo contriti, et attenuati, et consparsi per patientiam Verbo Dei, et igniti, apti sint ad convivium regis. Quemadmodum quidam de nostris dixit, propter martyrium in Deum adjudicatus ad bestias: « Quoniam frumentum sum Christi, et per dentes bestiarum molor, ut mundus panis Dei inveniar. »

CAPUT XXIX

Universa ad utilitatem hominum facta esse; et de Antichristi dolis, nequitia, vi apostatica, a diluvio et deinceps in Ananiae, Azariae, et Misaelis persecutione praefigurata.

1. Causas autem reddidimus in his qui sunt ante hunc libris, propter quas passus est Deus haec ita fieri: ostendimusque quoniam omnia quae sunt talia, pro eo qui salvatur homine facta sunt: illud quod est sui arbitrii et suae potestatis maturans ad immortalitatem, et aptabiliorem eum ad aeternam subjectionem Deo praeparans. Et propter hoc conditio insumitur homini: non enim homo propter illam, sed conditio facta est propter hominem. Gentes autem quae et ipsae non allevaverunt oculos suos ad coelum, neque gratias egerunt factori suo, neque lumen veritatis videre voluerunt, sed sicut mures caeci absconditi in profundo insipientiae, juste sermo « ut stillicidium de cado, et sicut momentum staterae, et sicut nihil » deputavit; in tantum utiles et aptabiles justis, quantum utilitatis praestat stipula ad tritici augmentum, et palea ejus in ustionem, ad operationem auri. Et propterea cum in fine repente hinc Ecclesia assumetur: « Erit, inquit, tribulatio qualis non est facta ab initio, neque fiet. » Novissimus enim agon hic justorum, in quo vincentes coronantur incorruptela.

2. Et propter hoc in bestia veniente recapitulatio fit universae iniquitatis et omnis doli, ut in ea confluens et conclusa omnis virtus apostatica, in caminum mittatur ignis. Congruenter autem et nomen ejus habebit numerum, sexcentos sexaginta sex; recapitulans in semetipso omnem quae

fuit ante diluvium, malitiae commistionem, quae facta est ex angelica apostasia. Noe enim fuit annorum sexcentorum, et diluvium advenit terrae, delens inresurrectionem terrae propter nequissimam generationem, quae fuit temporibus Noe. Recapitulans autem et omnem qui fuit a diluvio errorem commentatorem idolorum, et prophetarum interfectionem, et succensionem justorum. Illa enim quae fuit a Nabuchodonosor instituta imago, altitudinem quidem habuit cubitorum sexaginta, latitudinem autem cubitorum sex: propter quam et Ananias, et Azarias, et Misael, non adorantes eam, in caminum missi sunt ignis, per id quod eis evenit, prophetantes eam, quae in finem futura est justorum succensio. Universa enim imago illa praefiguratio fuit hujus adventus, ab omnibus omnino hominibus ipsum solum decernens adorari. Sexcenti itaque anni Noe, sub quo fuit diluvium propter apostasiam, et numerus cubitorum imaginis, propter quam justi in caminum ignis missi sunt, numerum nominis significat illius, in quem recapitulatur sex millium annorum omnis apostasia, et injustitia, et nequitia, et pseudoprophetia, et dolus, propter quae et diluvium superveniet ignis.

CAPUT XXX

Certus quidem est numerus nominis Antichristi; sed de hoc nihil temere affirmandum, cum multis nominibus is aptari queat; et cur aperte a Spiritu S. explicatum non fuerit; ac de regno morteque illius.

1. His autem sic se habentibus, et in omnibus antiquis et probatissimis et veteribus scripturis numero hoc posito, et testimonium perhibentibus his, qui facie ad faciem Joannem viderunt, et ratione docente nos, quoniam numerus nominis bestiae, secundum Graecorum computationem, per litteras quae in eo sunt, sexcentos habebit, et sexaginta, et sex; hoc est, decadas aequales hecatontasin, et hecatontadas aequales monasin (numerus enim qui digitus sex, similiter custoditus, recapitulationes ostendit universae apostasiae ejus quae initio, et quae in mediis temporibus, et quae in fine erit), ignoro quomodo erraverunt quidam sequentes idiotismum, et medium frustrantes numerum nominis, quinquaginta numeros deducentes, pro sex decadis unam decadem volentes esse. Hoc autem arbitror scriptorum peccatum fuisse, ut solet fieri, quoniam et per litteras numeri ponuntur, facile litteram Graecam, quae sexaginta enuntiat numerum, in iota Graecorum litteram expansam; post deinde quidam sine exquisitione hoc acceperunt; alii quidem simpliciter et idiotice usurpaverunt denarium numerum: quidam autem per ignorantiam ausi sunt et nomina exquirere, habentia falsum erroris numerum. Sed his quidem qui simpliciter et sine malitia hoc fecerunt, arbitramur veniam dari a Deo. Quotquot autem secundum inanem gloriam statuunt nomina continentia falsum numerum, et quod a se fuerit adinventum nomen, definierunt esse illius qui venturus est; non sine damno tales exient, quippe qui et semetipsos, et credentes sibi sedu-

xerunt. Et primum quidem damnum est excidere a veritate, et quod non sit, quasi [sit] arbitrari: post deinde, apponenti, vel auferenti de Scriptura poenam non modicam fore, in quam incidere necesse est eum qui sit talis. Subsequitur autem et aliud non quodlibet periculum eos, qui falso praesumunt scire nomen ejus. Si enim aliud quidem hi putant, aliud autem ille habens adveniet; facile seducentur ab eo, quasi necdum adsit ille, quem cavere convenit.

2. Oportet itaque tales discere, et ad verum recurrere nominis numerum; ut non in pseudoprophetarum loco deputentur. Sed scientes firmum numerum qui a Scriptura annuntiatus est, id est, sexcentorum sexaginta sex, sustineant primum quidem divisionem regni in decem: post deinde, illis regnantibus, et incipientibus corrigere sua negotia, et augere suum regnum; qui de improviso advenerit regnum sibi vindicans et terrebit praedictos, habens nomen continens praedictum numerum, hunc vere cognoscere esse abominationem desolationis. Hoc et Apostolus ait: « Cum dixerint, pax et munitio, tunc subitaneus illis superveniet interitus. » Jeremias autem non solum subitaneum ejus adventum, sed et tribum, ex qua veniet, manifestavit dicens: « Ex Dan audiemus vocem velocitatis equorum ejus; a voce hinnitus decursionis equorum ejus commovebitur tota terra; et veniet, et manducabit terram, et plenitudinem ejus, et civitatem, et qui habitant in ea. » Et propter hoc non annumeratur tribus haec in Apocalypsi cum his quae salvantur.

3. Certius ergo et sine periculo est, sustinere adimpletionem prophetiae quam suspicari et divinare nomina quaelibet; quando multa nomina inveniri possunt habentia praedictum numerum: et nihilominus quidem erit haec eadem quaestio. Si enim multa sunt quae inveniuntur nomina, habentia numerum hunc; quod ex ipsis portabit qui veniet, quaeritur. Quoniam autem non propter inopiam nominum habentium numerum nominis ejus dicimus haec, sed propter timorem erga Deum et zelum veritatis; EYANΘAΣ enim nomen habet numerum de quo quaeritur: sed nihil de eo affirmamus. Sed et ΛATEINOΣ nomen habet sexcentorum sexaginta sex numerum; et valde verisimile est, quoniam novissimum regnum hoc habet vocabulum. Latini enim sunt qui nunc regnant; sed non in hoc nos gloriabimur. Sed et TEITAN, prima syllaba per duas Graecas vocales ε et ι scripta, omnium nominum quae apud nos inveniuntur, magis fide dignum est. Etenim praedictum numerum habet in se, et litterarum est sex, singulis syllabis ex ternis litteris constantibus, et vetus, et semotum; neque enim eorum regum, qui secundum nos sunt, aliquis vocatus est Titan; neque eorum quae publice adorantur, idolorum apud Graecos et barbaros habet vocabulum hoc: et divinum putatur apud multos esse hoc nomen, ut etiam sol Titan vocetur ab his qui nunc tenent: et ostentationem quamdam continet ultionis, et vindictam inferentis, quod ille simulat se male tractatos vindicare. Et alias autem et antiquum, et fide dignum, et regale, magis autem et tyrannicum nomen. Cum igitur tantum

suasionum habeat hoc nomen Titan, tamen habet verisimilitudinem, ut ex multis colligamus ne forte Titan vocetur, qui veniet. Nos tamen non periclitabimur in eo, nec asseverantes pronuntiabimus, hoc eum nomen habiturum: scientes, quoniam si oporteret manifeste praesenti tempore praeconari nomen ejus, per ipsum utique editum fuisset, qui et Apocalypsim viderat. Neque enim ante multum temporis visum est, sed pene sub nostro saeculo ad finem Domitiani imperii.

4. Hunc autem numerum nominis ostendit, ut caveamus illum venientem, scientes quis est: nomen autem ejus tacuit, quoniam dignum non est praeconari a Spiritu sancto. Si enim praeconatum ab eo fuisset, fortassis et in multum permaneret. Nunc autem quoniam « fuit, et non est, et ascendet ab abysso, et in perditionem vadit, » quasi qui non sit; sic nec nomen ejus praeconatum est: ejus enim quod non est, nomen non praeconatur. Cum autem vastaverit Antichristus hic omnia in hoc mundo, regnans annis tribus et mensibus sex, et sederit in templo Hierosolymis; tunc veniet Dominus de coelis in nubibus, in gloria Patris, illum quidem et obedientes ei in stagnum ignis mittens; adducens autem justis regni tempora, hoc est, requietionem, septimam diem sanctificatam; et restituens Abrahae promissionem haereditatis: in quo regno ait Dominus, multos ab Oriente et Occidente venientes, recumbere cum Abraham, Isaac et Jacob.

MONITUM

Illi qui in gratia et amicitia moriuntur Dei et qui perfecte sunt purificati, in aeternum cum Christo vivunt. In aeternum sunt similes Deo quia Eum vident « sicuti est » (1 Io 3,2), « facie ad faciem » (1 Cor 13,12):

« Auctoritate apostolica diffinimus: quod secundum communem Dei ordinationem animae sanctorum omnium [...] et aliorum fidelium defunctorum post sacrum ab eis Christi Baptisma susceptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando decesserunt, [...] vel si tunc fuerit aut erit aliquid purgabile in eisdem, cum post mortem suam fuerint purgatae [...] etiam ante resumptionem suorum corporum et iudicium generale post Ascensionem Salvatoris Domini nostri Iesu Christi in caelum, fuerunt, sunt et erunt in caelo, caelorum Regno et paradiso caelesti cum Christo, sanctorum angelorum consortio congregatae, ac post Domini Iesu Christi passionem et mortem viderunt et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura ».

Catechismus Catholicae Ecclesiae, n. 1023; Benedictus XII, Const. Benedictus Deus: DS 1000.

CAPUT XXXI

Confirmatur reservatio corporum nostrorum morte, resurrectione et ascensione Christi; animae sanctorum interea tempus illud exspectant, ut perfectam consummatamque gloriam percipiant.

1. Quoniam autem quidam ex his qui putantur recte credidisse, supergrediuntur ordinem promotionis justorum, et motus meditationis ad

incorruptelam ignorant, haereticos sensus in se habentes: haeretici enim despicientes plasmationem Dei, et non suscipientes salutem carnis suae, contemnentes autem et repromissionem Dei, et totum supergredientes Deum sensu, simul atque mortui fuerint, dicunt se supergredi coelos et Demiurgum, et ire ad Matrem, vel ad eum, qui ab ipsis affingitur, Patrem. Qui ergo universam reprobant resurrectionem, et quantum in ipsis est, auferunt eam de medio, quid mirum est, si nec ordinem resurrectionis sciunt; nolentes intelligere, quoniam si haec ita essent, quemadmodum dicunt, ipse utique Dominus, in quem se dicunt credere, non in tertia die fecisset resurrectionem; sed super crucem exspirans, confestim utique abiisset sursum, relinquens corpus terrae? Nunc autem tribus diebus conversatus est ubi erant mortui, quemadmodum propheta ait de eo: « Commemoratus est Dominus sanctorum mortuorum suorum, eorum qui ante dormierunt in terra sepelitionis, et descendit ad eos, extrahere eos, et salvare eos. » Et ipse autem Dominus: « Quemadmodum, ait, Jonas in ventre ceti tres dies, et tres noctes mansit, sic erit et Filius hominis in corde terrae. » Sed et Apostolus ait: « Ascendit autem, quid est, nisi quia et descendit in inferiora terrae? » Hoc et David in eum prophetans dixit: « Et eripuisti animam meam ex inferno inferiori. » Resurgens autem tertia die, et Mariae, quae se prima vidit, et adoravit, dicebat: « Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem; sed vade ad discipulos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum. »

2. Si ergo Dominus legem mortuorum servavit, ut fieret primogenitus a mortuis, et commoratus usque in tertiam diem in inferioribus terrae; post deinde surgens in carne, ut etiam fixuras clavorum ostenderet discipulis, sic ascendit ad Patrem: quomodo non confundantur, qui dicunt inferos quidem esse hunc mundum, qui sit secundum nos; interiorem autem hominem ipsorum derelinquentem hic corpus, in supercoelestem ascendere locum? Cum enim Dominus « in medio umbrae mortis abierit, » ubi animae mortuorum erant, post deinde corporaliter resurrexit, et post resurrectionem assumptus est: manifestum est quia et discipulorum ejus, propter quos et haec operatus est Dominus, animae abibunt in invisibilem locum, definitum eis a Deo, et ibi usque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem: post recipientes corpora, et perfecte resurgentes, hoc est corporaliter, quemadmodum et Dominus resurrexit, sic venient ad conspectum Dei. « Nemo enim est discipulus super magistrum; perfectus autem omnis erit, sicut magister ejus. » Quomodo ergo magister noster non statim evolans abiit, sed sustinens definitum a Patre resurrectionis suae tempus (quod et per Jonam manifestatum est), post triduum resurgens assumptus est; sic et nos sustinere debemus definitum a Deo resurrectionis nostrae tempus, praenuntiatum a prophetis, et sic resurgentes assumi, quotquot Dominus ad hoc dignos habuerit.

MONITUM

Haec antichristica fallacia iam in mundo adumbratur quotiescumque intenditur messianicam in historia adimplere spem quae non nisi ultra historiam per iudicium eschatologicum perfici potest: Ecclesia hanc Regni futuri adulterationem, etiam sub eius forma mitigata, nomine millenarismi reiecit, praecipue sub forma politica messianismi saecularizati, « intrinsecus pravi ».

Catechismus Catholicae Ecclesiae, n. 676.

CAPUT XXXII

In ea carne, qua sancti multas hic aerumnas pertulerunt, laborum suorum fructus percipient; maxime cum id omnis creatura exspectet, ac Deus Abrahae et semini ejus promittat.

1. Quoniam igitur transferuntur quorumdam sententiae ab haereticis sermonibus, et sunt ignorantes dispositiones Dei, et mysterium justorum resurrectionis, et regni, quod est principium incorruptelae, per quod regnum qui digni fuerint, paulatim assuescunt capere Deum: necessarium est autem dicere de illis, quoniam oportet justos primos in conditione hac, quae renovatur, ad apparitionem Dei resurgentes recipere promissionem haereditatis, quam Deus promisit patribus, et regnare in ea: post deinde fieri judicium. In qua enim conditione laboraverunt, sive afflicti sunt, omnibus modis probati per sufferentiam, justum est in ipsa recipere eos fructus sufferentiae; et qua conditione interfecti sunt propter Dei dilectionem, in ipsa vivificari; et in qua conditione servitutem sustinuerunt, in ipsa regnare eos. Dives enim in omnibus Deus, et om-

nia sunt ejus. Oportet ergo et ipsam conditionem reintegratam ad pristinum, sine prohibitione servire justis: et hoc Apostolus fecit manifestum in ea quae est ad Romanos, sic dicens: « Nam exspectatio creaturae revelationem filiorum Dei exspectat. Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit in spe: quoniam et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptelae, in libertatem gloriae filiorum Dei. »

2. Sic ergo et promissio Dei, quam promisit Abrahae, firma perseverat. Dixit enim: « Respice sursum oculis, et vide a loco hoc, ubi nunc tu es, ad Aquilonem, et Africum, et Orientem, et mare, quoniam omnem terram, quam tu vides, tibi dabo et semini tuo usque in sempiternum. » Et iterum ait: « Surgens ingredere terram in longitudinem ejus, et in latitudinem, quoniam tibi dabo eam: » et non accepit in illa haereditatem, nec vestigium pedis, sed semper peregrinus et advena in ea fuit. Et quando mortua est Sara uxor ejus, volentibus Ethaeis gratuito locum dare ei, ut sepeliret eam, noluit accipere, sed emit monumentum, quadringentas dans didrachmas argenti, ab Ephron filio Seor Ethaeo; sustinens promissionem Dei, et nolens videri accipere ab hominibus, quod ei promiserat dare Deus, dicens ei iterum sic: « Semini tuo dabo terram hanc, a flumine Aegypti, usque ad flumen magnum Euphratem. » Si ergo huic promisit Deus haereditatem terrae, non accepit autem in omni suo incolatu: oportet eum accipere cum semine suo, hoc est, qui timent Deum, et credunt in eum, in resurrectione justorum.

Semen autem ejus Ecclesia, per Dominum adoptionem, quae est ad Deum, accipiens, sicut dicebat Joannes Baptista: « Quoniam potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahae. » Sed et Apostolus ait in ea quae est ad Galatas: « Vos autem, fratres, secundum Isaac repromissionis filii estis. » Et iterum manifeste in eadem ait, eos qui in Christo crediderunt percipere Christum, Abrahae promissionem, sic dicens: « Abrahae dictae sunt promissiones, et semini ejus. Et non dicit: et seminibus; quasi de multis, sed quasi de uno: et semini tuo; quod est Christus. » Et iterum confirmans quae dicta sunt, ait: « Quemadmodum Abraham credidit Deo, et deputatum est ei ad justitiam. Cognoscitis ergo, quoniam quidem qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae. Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, praenuntiavit Abrahae, quia benedicentur in te omnes gentes. Itaque qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. » Sic ergo qui sunt ex fide, benedicentur cum fideli Abraham, et hi sunt filii Abraham. Repromisit autem Deus haereditatem terrae Abrahae et semini ejus; et neque Abraham, neque semen ejus, hoc est, qui ex fide justificantur, nunc sumunt in ea haereditatem: accipient autem eam in resurrectione justorum. Verus enim et firmus Deus: et propter hoc « beatos » dicebat « mites, quoniam ipsi haereditabunt terram. »

CAPUT XXXIII

Propositum confirmat promissionibus iis, quibus Christus se de generatione vitis in regno

Patris bibiturum esse recepit, simul et mercedem centuplam, et prandia promisit; quod et longe antea benedictio Jacob praesignarat; uti Papias et seniores sunt interpretati.

1. Propter hoc autem ad passionem veniens, ut evangelizaret Abrahae, et iis qui cum eo, apertionem haereditatis, cum gratias egisset, tenens calicem, et bibisset ab eo, et dedisset discipulis, dicebat eis: « Bibite ex eo omnes. Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, amodo non bibam de generatione vitis hujus, usque in diem illum, quando illum bibam vobiscum novum in regno Patris mei. » Utique haereditatem terrae ipse novabit, et reintegrabit mysterium gloriae filiorum; quemadmodum David ait: « Qui renovavit faciem terrae. » Promisit bibere de generatione vitis cum suis discipulis; utrumque ostendens, et haereditatem terrae, in qua bibitur nova generatio vitis, et carnalem resurrectionem discipulorum ejus. Quae enim nova resurgit caro, ipsa est quae et novum percepit poculum. Neque autem sursum in supercoelesti loco constitutus cum suis, potest intelligi bibens vitis generationem; neque rursus sine carne sunt, qui bibunt illud: carnis enim proprium est, et non spiritus, qui ex vite accipitur potus.

2. Et propter hoc dicebat Dominus: « Cum facis prandium, vel coenam, noli vocare divites, neque amicos, et vicinos, et cognatos, ne ipsi invicem vocent te, et fiat retributio ab eis: sed voca claudos, caecos, mendicos, et beatus eris, quoniam non habent retribuere tibi: retribuetur

enim tibi in resurrectione justorum. » Et iterum ait: « Quicunque dimiserit agros, aut domos, aut parentes, aut fratres, aut filios propter me, centuplum accipiet in hoc saeculo, et in futuro vitam aeternam haereditabit. » Quae enim sunt in hoc saeculo centupla, et prandia exhibita pauperibus, et coenae quae redduntur? Haec sunt in regni temporibus, hoc est, in septima die, quae est sanctificata, in qua requievit Deus ab omnibus operibus quae fecit, quae est verum justorum Sabbatum, in qua non facient omne terrenum opus; sed adjacentem habebunt paratam mensam a Deo, pascentem eos epulis omnibus.

3. Quemadmodum et Isaac continet benedictio, qua benedixit filium minorem Jacob: « Ecce, dicens, odor filii mei, quasi odor agri pleni, quem benedixit Deus. Ager autem mundus est; » et propterea addidit: « Det tibi Deus de rore coeli, et a fertilitate terrae, multitudinem tritici et vini. Et serviant tibi gentes, et adorent te principes, et esto dominus fratris tui, et adorabunt te filii patris tui. Qui maledicet te, maledictus erit; et qui benedicet te, benedictus erit. » Haec ergo si non quis accipiat ad praefinita regni, in grandem contradictionem et contrarietatem incidet, quemadmodum Judaei incidentes in omni aporia constituuntur. Non solum enim in hac vita huic Jacob non servierunt gentes; sed et post benedictionem ipse profectus, servivit avunculo suo Laban Syro annos viginti: et non tantum non est factus Dominus fratris sui, sed et ipse Esau adoravit fratrem suum, quando reversus est a Mesopotamia ad patrem, et munera multa obtulit ei.

Multitudinem autem tritici et vini quomodo haereditavit hic, qui propter famem factam in terra, in qua habitabat, in Aegyptum transmigravit, subjectus Pharaoni, qui tunc regnabat in Aegypto? Praedicta itaque benedictio ad tempora regni sine contradictione pertinet, quando regnabunt justi surgentes a mortuis; quando et creatura renovata, et liberata, multitudinem fructificabit universae escae, ex rore coeli, et ex fertilitate terrae; quemadmodum presbyteri meminerunt, qui Joannem discipulum Domini viderunt, audisse se ab eo, quemadmodum de temporibus illis docebat Dominus, et dicebat: « Venient dies, in quibus vineae nascentur, singulae decem millia palmitum habentes, et in una palmite dena millia brachiorum, et in uno vero palmite dena millia flagellorum, et in unoquoque flagello dena millia botruum, et in unoquoque botro dena millia acinorum, et unumquodque acinum expressum dabit viginti quinque metretas vini. Et cum eorum apprehenderit aliquis sanctorum botrum, alius clamabit: Botrus ego melior sum, me sume, per me Dominum benedic. » Similiter et granum tritici decem millia spicarum generaturum, et unamquamque spicam habituram decem millia granorum, et unumquodque granum quinque bilibres similae clarae mundae; et reliqua autem poma, et semina, et herbam secundum congruentiam iis consequentem: et omnia animalia iis cibis utentia, quae a terra accipiuntur, pacifica et consentanea invicem fieri, subjecta hominibus cum omni subjectione.

4. Haec autem et Papias Joannis auditor, Polycarpi autem contubernalis, vetus homo, per scripturam testimonium perhibet, in quarto librorum suorum: sunt enim illi quinque libri conscripti. Et adjecit, dicens: « Haec autem credibilia sunt credentibus. » Et « Juda, inquit, proditore non credente, et interrogante: Quomodo ergo tales geniturae a Domino perficientur? » dixisse Dominum: « Videbunt qui venient in illa. » Haec ergo tempora prophetans Isaias ait: « Et compascetur lupus cum agno, et pardus conquiescet cum haedo, et vitulus, et taurus, et leo simul pascentur, et puer pusillus ducet eos. Et bos, et ursus simul pascentur, et simul infantes eorum erunt; et leo, et bos manducabunt paleas. Et puer infans in cavernam aspidum, et in cubile filiorum aspidum manum mittet, et non male facient, nec poterunt perdere aliquem in monte sancto meo. » Et iterum recapitulans ait: « Tunc lupi et agni pascentur simul, et leo quasi bos vescetur paleis, serpens autem terram quasi panem; et non nocebunt, neque vexabunt in monte sancto meo, dicit Dominus. » Non ignoro autem, quoniam quidam haec in feros, et ex diversis gentibus et variis operibus credentes, et cum crediderint consentientes justis, tentent transferre. Sed etsi nunc hoc sit in quibusdam hominibus, ex variis gentibus in unam sententiam fidei venientibus; nihilominus in resurrectione justorum super iis animalibus, quemadmodum dictum est: Dives enim in omnibus Deus. Et oportet conditione revocata, obedire et subjecta esse omnia animalia homini, et ad primam a Deo datam reverti escam [quemadmo-

dum autem in obedientia subjecta erant Adae], fructum terrae. Alias autem et non est nunc ostendere leonem paleis vesci. Hoc autem significabat magnitudinem, et pinguedinem fructuum. Si enim leo animal paleis vescitur, quale ipsum triticum erit, cujus palea ad escam congrua erit leonum?

CAPUT XXXIV

Sententiam suam de temporali et terreno sanctorum regno a resurrectione claudit variis Isaiae, Ezechielis, Jeremiae, et Danielis testimoniis, atque parabola vigilantium servorum, quibus se ministraturum Dominus pollicetur.

1. Ipse autem Isaias manifeste annuntiavit tale gaudium in resurrectione justorum futurum, sic dicens: « Resurgent mortui, et surgent qui in monumentis sunt, et laetabuntur qui sunt in terra. Ros enim qui a te, sanitas est eis. » Hoc idem et Ezechiel ait: « Ecce ego aperiam monumenta vestra, et educam vos de monumentis vestris, in quo educam de sepulcris populum meum, et dabo spiritum in vobis, et vivetis, et ponam vos super terram vestram, et cognoscetis quoniam ego sum Dominus. » Et iterum idem sic ait: « Haec dicit Dominus: Colligam Israel ab omnibus gentibus, ubi dispersi sunt illic, et sanctificabor in eis in conspectu filiorum gentium; et habitabunt super terram suam, quam dedi servo meo Jacob, et inhabitabunt super eam in spe, et aedificabunt domos, et plantabunt vineas, et inhabitabunt in spe, quando faciam judicium in omnibus qui inhonoraverunt eos, in iis qui in

circuitu sunt eorum, et cognoscent quoniam ego sum Dominus Deus ipsorum, et Deus patrum ipsorum. » Ostendimus autem paulo ante, quoniam Ecclesia est semen Abrahae: et propter hoc, ut sciamus quoniam in Novo Testamento a Veteri qui ex omnibus gentibus colliget eos qui salvabuntur, ex lapidibus suscitans filios Abrahae, Jeremias ait: « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et non dicent adhuc: Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel ab Aquilone, et ab omni regione quo expulsi fuerant; restituet illos in terram ipsorum, quam dedit patribus ipsorum. »

2. Quoniam creatura omnis secundum voluntatem ad incrementum et augmentum erit, ut tales afferat et nutriat fructus, Isaias ait: « Et erit super omnem montem altum, et super omnem collem editum aqua pertransiens in die illa, quando perient multi, quando concident muri. Et erit lumen lunae quasi lumen solis, septuplum diei, quando sanabit contritionem populi sui, et dolorem plagae suae sanabit. » Dolor autem plagae est, per quam percussus est homo initio in Adam inobediens, hoc est mors, quam sanabit Deus resuscitans nos a mortuis, et restituens in patrum haereditatem, quemadmodum iterum Isaias ait: « Et eris fidens in Domino, et faciet te ingredi supra omnem terram, et cibabit te haereditate Jacob patris tui. » Hoc est quod a Domino dictum est: « Beati servi illi, quos veniens Dominus inveniet vigilantes. Amen dico vobis, quoniam praecingetur, et recumbere eos faciet, et transiens ministrabit eis. Et si venerit vespertina vigilia, et invenerit sic, beati sunt,

quoniam recumbere eos faciet, et ministrabit eis: licet secunda et licet tertia, beati sunt. » Hoc autem idem et Joannes in Apocalypsi ait: « Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. » Et tempus autem annuntiavit Isaias in quo haec erunt: « Et dixi, inquit: Usquequo, Domine? Quoadusque desolentur civitates ad non inhabitandum, et domus ut non sint homines, et terra derelinquetur deserta. Et post haec longe nos faciet Deus homines, et qui remanserint multiplicabuntur super terram. » Sed et Daniel hoc ipsum ait: « Et regnum, et potestas, et magnitudo eorum quae sub coelo sunt, datum est sanctis altissimi Dei, et regnum ejus sempiternum, et omnes principatus servient ei et obedient. » Et ne ad hoc tempus putetur dicta repromissio, dictum est prophetae: « Et tu veni, et sta in sorte tua in consummatione dierum. »

3. Quoniam autem repromissiones non solum prophetis et patribus, sed Ecclesiis ex gentibus coadunatis annuntiabantur, quas et insulas nuncupat Spiritus, et quod in medio turbulae sint constitutae, et tempestatem blasphemiarum sufferant, et salutaris portus periclitantibus exsistant, et refugium sunt eorum, qui altitudinem ament, et Bythum, id est profundum erroris conantur effugere, Jeremias ita ait: « Audite verbum Domini, gentes, et annuntiate insulis quae longe sunt: dicite, quia ventilabit Deus Israel, congregabit eum, et custodiet eum, sicut pascens gregem ovium suarum: quoniam redemit Dominus Jacob, et eripuit eum de manu fortioris ejus. Et venient, et laetabuntur in monte Sion, et

venient ad bona, et in terram tritici, et vini, et fructuum, et animalium, et ovium, et erit anima eorum sicut lignum fructiferum, et non esurient adhuc. Et tunc gaudebunt virgines in congregatione juvenum, et seniores gaudebunt, et convertam luctum eorum in gaudium, et faciam eos in exsultatione, et magnificabo, et inebriabo animam sacerdotum filiorum Levi, et populus meus bonis meis adimplebitur. » Ostendimus autem in superiori libro, quoniam levitae et sacerdotes sunt discipuli omnes Domini: qui et Sabbatum in templo profanabant, et sine culpa sunt. Tales itaque promissiones manifestissime in regno justorum istius creaturae epulationem significant, quam Deus repromittit ministraturum se.

4. Adhuc de Jerusalem, et de regnante in ea, Isaias ait: « Haec dicit Dominus: Beatus qui habet in Sion semen, et domesticos in Jerusalem. Ecce, rex justus regnabit, et principes cum judicio principabunt. » Et de praeparatione, in qua reaedificabitur, ait: « Ecce ego praeparabo tibi carbunculum lapidem, et fundamenta tua sapphirum, et ponam propugnacula tua jasphin, et portas tuas lapidem crystallum, et circumvallum tuum lapides electos, et omnes filios tuos docibiles Dei, et in multa pace filios tuos, et in justitia aedificaberis. » Et iterum idem ipse ait: « Ecce ego facio Jerusalem exsultationem et plebem meam: etiam non audietur in ea vox fletus, neque vox clamoris, etiam non fiet ibi immaturus et senior, qui non impleat tempus suum. Erit enim juvenis annorum centum: moriens autem peccator centum annorum, et maledictus erit. Et aedificabunt do-

mos, et ipsi inhabitabunt: et plantabunt vineas, et ipsi manducabunt fructus earum, et vinum bibent. Et non ipsi aedificabunt, et alii inhabitabunt: neque ipsi pastinabunt, et alii comedent. Secundum enim dies ligni vitae erunt dies plebis in te; opera enim laborum eorum veterascent. »

CAPUT XXXV

Contendit superiora testimonia non posse per allegoriam de bonis tantum coelestibus intelligi, sed implenda esse post adventum Antichristi, et resurrectionem in terrena Jerusalem; prioribusque prophetiis, ex Isaia, Jeremia et Joannis Apocalypsi alias subjungit.

1. Si autem quidam tentaverint allegorizare haec, quae ejusmodi sunt; neque de omnibus poterunt consonantes sibimetipsis inveniri, et convincentur ab ipsis dictionibus differentibus, quoniam « cum desolatae fuerint civitates » gentium, « et quod non inhabitentur, et domus, eo quod non sint homines, et derelinquetur terra deserta; ecce enim, » Isaias ait, « dies Domini insanabilis venit, furore et ira plenus, ponere urbem terrae desertam, et peccatores perdere ex ea. » Et iterum ait: « Tollatur, ut non videat gloriam Domini; » et cum haec facta fuerint, « elongabit, inquit, Deus homines, et derelicti multiplicabuntur in terra. Et aedificabunt domus, et ipsi inhabitabunt, et pastinabunt vineas, et ipsi manducabunt. » Haec enim alia universa in resurrectionem justorum sine controversia dicta sunt, quae fit post adventum Antichristi, et perditionem omnium gentium sub eo exsistentium, in

qua regnabunt justi in terra, crescentes ex visione Domini, et per ipsum assuescent capere gloriam Dei Patris, et cum sanctis angelis conversationem et communionem, et unitatem spiritalium in regno capient; et illos quos Dominus in carne inveniet, exspectantes eum de coelis, et perpessos tribulationem, qui et effugerint iniqui manus. Ipsi autem sunt de quibus ait propheta: « et derelicti multiplicabuntur in terra. »

Et quotquot ex credentibus ad hoc praeparavit Deus, ad derelictos multiplicandos in terra, et sub regno sanctorum fieri, et ministrare huic Jerusalem, et regnum in ea, significavit Jeremias propheta, « Circumspice, dicens, ad orientem, Jerusalem, et vide laetitiam quae adventat tibi ab ipso Deo. Ecce, venient filii tui quos emisisti, venient collecti ab oriente usque ad occidentem verbo illius sancti, gaudentes ea quae a Deo tuo est claritate. Exuere, Jerusalem, habitum luctus et afflictionis tuae, et induere decorem ejus quae a Deo tuo est claritatis in aeternum: circumdare amictum duplicem ejus quae a Deo tuo est justitiae, impone mitram super caput tuum gloriae aeternae. Deus enim demonstrabit ei quae sub coelo est universae tuum fulgorem. Vocabitur namque nomen tuum ab ipso Deo in aeternum, pax justitiae et gloriae colenti Deo. Surge, Jerusalem, et sta in excelso, et circumspice ad orientem, et vide collectos filios tuos a solis ortu usque ad occidentem verbo illius sancti, gaudentes ipsam Dei recordationem. Profecti sunt enim a te pedites, dum adducerentur ab inimicis. Introducet illos Deus ad te portatus cum gloria tanquam

thronus regni. Decrevit enim Deus ut humilietur omnis mons excelsus, et congeries aeternae, et ut valles impleantur, ad redigendam planitiem terrae, ut ambulet Israel tute Dei gloria. Umbracula autem intexuerunt silvae, et omne lignum boni odoris ipsi Israel praecepto Dei. Praeibit enim Deus cum laetitia lumine claritatis suae, cum misericordia et justitia, quae ab ipso est. »

2. Haec autem talia universa non in supercoelestibus possunt intelligi: « Deus enim, ait, demonstrabit ei quae sub coelo est, universae tuum fulgorem; » sed in regni temporibus, revocata terra a Christo, et reaedificata Jerusalem, secundum characterem quae sursum est Jerusalem, de qua ait propheta Isaias: « Ecce in manibus meis depinxi muros tuos, et in conspectu meo es semper. » Et Apostolus autem scribens ad Galatas similiter ait: « Illa autem quae sursum est Jerusalem libera est, quae est mater omnium nostrum; » non ex cogitatione erratici Aeonis dicens hoc, neque de virtute aliqua, quae abscessit Pleromate, et Prunico; sed de Jerusalem quae in manibus descripta est. Et ipsam descendentem in Apocalypsi vidit Joannes super terram novam. Post enim regni tempora, « vidi, inquit, thronum album magnum, et sedentem in eo, cujus a facie fugit terra et coelum, et locus non est eis. » Et illa jam, quae sunt generalis resurrectionis et judicii, exponit, vidisse dicens « mortuos magnos et minores. Dedit, inquit, mare mortuos, quos in se habuit, et mors et inferi dederunt mortuos, quos apud se habuerunt, et libri adaperti sunt. Sed et vitae, ait, apertus est liber, et judicati sunt mortui

ex iis quae scripta erant in libris, secundum opera sua, et mors, et inferi missi sunt in stagnum ignis, secundam mortem. » Hoc autem est quod vocatur gehenna, quod Dominus dixit ignem aeternum. « Et si quis, inquit, non est inventus in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis. »

Et post haec ait: « Vidi coelum novum, et terram novam. Primum enim coelum et terra abierunt; etiam mare non est. Et civitatem sanctam Jerusalem novam vidi descendentem de coelo, praeparatam ut sponsam ornatam viro suo. Et audivi, inquit, vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populi ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et delebit omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors non erit amplius, non luctus, non clamor, neque dolor ulterius erit, quia prima abierunt. » Et Isaias autem hoc ipsum ait: « Erit enim coelum novum, et terra nova, et non erunt memores priorum, neque obveniet eis in cor; sed laetitiam et exsultationem invenient in ea. » Hoc autem est quod ab Apostolo dictum est: « Praeterit enim habitus hujus mundi. » Similiter autem et Dominus ait: « Terra et coelum transiet. »

His itaque praetereuntibus super terram, novam superiorem Jerusalem ait Domini discipulus Joannes descendere, quemadmodum sponsam ornatam viro suo; et hoc esse tabernaculum Dei, in quo inhabitabit Deus cum hominibus. Hujus Jerusalem imago illa, quae in priori terra Jerusalem, in qua justi praemeditantur incorruptelam, et parantur in salutem. Et hujus tabernaculi

typum accepit Moyses in monte: et nihil allegorizari potest, sed omnia firma, et vera, et substantiam habentia, ad fruitionem hominum justorum a Deo facta. Quomodo enim vere Deus est, qui resuscitat hominem; sic et vere resurgit homo a mortuis, et non allegorice, quemadmodum per tanta ostendimus. Et sicut vere resurgit, sic et vere praemeditabitur incorruptelam, et augebitur, et vigebit in regni temporibus, ut fiat capax gloriae Patris. Deinde omnibus renovatis, vere in civitate habitabit Dei. « Dixit enim, inquit, sedens super thronum: Ecce nova facio omnia. Et dicit Dominus: Omnia scribe, quomodo ii sermones fideles, et veri sunt. Et dixit mihi: Facta sunt. » Et secundum rationem.

CAPUT XXXVI

Homines vere suscitabuntur, mundusque non penitus exterminabitur: erunt autem variae sanctorum mansiones pro cujusque dignitate, et omnia subjicientur Deo Patri: sicque erit omnia in omnibus.

1. Cum sint enim veri homines, veram esse oportet et plantationem ipsorum, sed non excedere in ea quae non sunt; sed in iis quae sunt, proficere. Non enim substantia, neque materia conditionis exterminatur (verus enim et firmus qui constituit illam); sed « figura transit mundi hujus, » hoc est, in quibus transgressio facta est; quoniam veteratus est homo in ipsis. Et propter hoc figura haec temporalis facta est, praesciente omnia Deo; quemadmodum ostendimus in eo libro qui ante hunc est, et causam tempora-

lium mundi fabricationis, secundum quod potuit ostendimus. Praetereunte autem figura hac, et renovato homine, et vigente ad incorruptelam, ut non possit jam veterascere, erit coelum novum et terra nova, in quibus novus perseverabit homo, semper nova confabulans Deo. Et quoniam haec semper perseverabunt sine fine, Isaias ait: « Quemadmodum enim coelum novum, et terra nova, quae ego facio, perseverant in conspectu meo, dicit Dominus; sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum. » Et quemadmodum presbyteri dicunt, tunc qui digni fuerint coelorum conversatione, illuc transibunt, id est, in coelos; alii tute paradisi deliciis utentur; alii autem speciositatem civitatis possidebunt: ubique autem Deus videbitur, et quemadmodum digni erunt videntes eum.

2. Esse autem distantiam hanc habitationis eorum qui centum fructificaverunt, et eorum qui sexaginta, et eorum qui triginta: quorum quidam in coelum assumentur, alii in paradiso conversabuntur, alii in civitate inhabitabunt: et propter hoc dixisse Dominum, multas esse apud Patrem mansiones. Omnia enim Dei sunt, qui omnibus aptam habitationem praestat: quemadmodum Verbum ejus ait, omnibus divisum esse a Patre secundum quod quis est dignus, aut erit. Et hoc est triclinium, in quo recumbent ii qui epulantur vocati ad nuptias. Hanc esse ad ordinationem et dispositionem eorum qui salvantur, dicunt presbyteri apostolorum discipuli, et per hujusmodi gradus proficere, et per Spiritum quidem [ad] Filium, per Filium autem ascendere ad Patrem; Filio deinceps cedente Patri opus suum, quemad-

modum et ab Apostolo dictum est: « Quoniam oportet regnare eum, quoadusque ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima inimica destruetur mors. » In temporibus enim regni justus homo super terram exsistens, obliviscetur mori jam. « Quando autem dixerit, inquit: omnia subjecta sunt; scilicet absque eo qui subjecit omnia. Cum autem ei fuerint subdita omnia, tunc ipse Filius subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. »

3. Diligenter ergo Joannes praevidit primam justorum resurrectionem, et in regno terrae haereditatem: consonanter autem et prophetae prophetaverunt de ea. Haec enim et Dominus docuit, mistionem calicis novam in regno cum discipulis habiturum se pollicitus. Et Apostolus autem liberam futuram creaturam a servitute corruptelae, in libertatem gloriae filiorum Dei, confessus est. Et in omnibus iis, et per omnia idem Deus Pater ostenditur, qui plasmavit hominem, et haereditatem terrae promisit patribus, qui eduxit illam in resurrectione justorum, et promissiones adimplet in Filii sui regnum: postea praestans illa paternaliter, quae neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit. Etenim unus Filius, qui voluntatem Patris perfecit; et unum genus humanum, in quo perficiuntur mysteria Dei, « quem concupiscunt angeli videre, » et non praevalent investigare sapientiam Dei, per quam plasma ejus conformatum et concorporatum Filio perficitur: ut progenies ejus, primogenitus Verbum, descendat in facturam, hoc est in plasma, et capiatur ab eo; et factura iterum ca-

piat Verbum, et ascendat ad eum, supergrediens angelos, et fiet secundum imaginem et similitudinem Dei.